



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

### Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

### About Google Book Search


Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>

WIDENER LIBRARY




HX H3EW U





HARVARD COLLEGE LIBRARY  
\* FROM THE BEQUEST OF \*  
EDWARD HENRY HALL  
CLASS OF 1851

S.L.S. 1914



131B

W 157

१८०

Digitized by Google



M. ANTONII MURETI

# SCRIPTA SELECTA.

---

C U R A V I T

C A R O L U S P H I L I P P U S K A Y S E R

P H I L O S O P H I A E D O C T O R , G Y M N A S I I H E I D E L B E R G E N S I S  
P R O F E S S O R , B I B L I O T H E C A E A C A D . P R A E F E C T U S .

---

A C C E D I T

F R I D E R I C I C R E U Z E R I  
E P I S T O L A A D E D I T O R E M .

---

H E I D E L B E R G A E

S U M T I B U S M O H R I I E T Z I M M E R I I  
M D C C C I X .

ML m 976.24



E. H. Hall found

# CAROLO PHILIPPO KAYSERO

AMICO ERUDITISSIMO

S. P. D.

FRIDERICUS CREUZER.

Paucis TE volo, Vir humanissime. Meministi enim, vereri me, ne ejusmodi epistola, a me quidem facienda, nedum prolixia illa et loquax, intempestive satis obstrepere judicaretur elegantissimi hominis sermonibus. Elegantissimum autem disertissimumque mortali- um Muretum ipse ille Joannes Georgius Graevius praedicavit\*). Atque Graevium cum dico, recordari juvat, quo- ties hujus librorum apparatus unâ TU- mectum in manibus tractaveris, per biblio-

---

\* In praefatione ad Ciceron. epistoll. ad famil.  
pag. 5. ed. Amstel. Elsevir. 1677.

thecae nostrae academicae pluteos, inter jucundissimas vices colloquiorum; cum alter alterum, conjunctum sibi et voluntate et disciplinae genere, quasi manu duceret in memoriam illius temporis, quo Ciceronem imitando felicissime expressit Muretus, emendando interpretandoque insigniter adjuvit Victorius hujusque vestigia persecutus Graevius.

In ejusmodi congressu contigit nuper, ut conquereremur fortunam tot puerorum, qui, instituti ab imperitis, nil misericordia inculcantibus, ne imbuerentur quidem quoquam sensu eximiae eloquentiae Ciceronis, ad quam cum se unice conformasset Muretus, eam is facundiae laudem consecutus sit, ut ab intelligentissimo harum rerum arbitro \*) vere Cice-

---

\*) Ruhnkenio, in praefatione ad Mureti opera a se edita, Lugd. Bat. 1789, pag. 4. Conferatur etiam F. A. Wolfii V. C. praefatio ad hujus Varias Lectiones.

ronianus diceretur. Quo gratius accedit, cum TU mihi protinus significares, concinnari a TE Muretinorum operum Selecta. At vero, quaerat quispiam, cur non Ciceronis potius opera excerptebas, quam Ciceroniani? Cui TU continuo ita: „Ain' vero? Evidem praecursionem meditabar ad Ciceronem assequendum, et quasi quandam prolusionem Tulliana e palaestrae“. Recte TU. Et tuetur caussam Tuam is, quo nemo omnium, qui nunc vivunt, judicium harum rerum acris magisque tersum habet. Ita enim ille \*): „Evidem saepe animadverti, homines, qui primum ad Ciceronis lectio- nem accedunt, magis capi ac delectari scriptis Mureti et similium: non quod horum oratio minus Latina, ideoque facilius, sit: sed quod ratio materiaque nostrae

\* ) Wyttēbachius in Biblioth. crit. Amstel.  
Vol. III. Part. II. pag. 115.

aetati nostrisque ingeniiis magis aptae sunt. Horum nos lectio, quasi blanda manu, ad Veteres ducit: estque veluti *ēπιβαθρα*, seu gradus et aditus ad Veteres, sed purus ille castusque, unde nil sordium ad ipsa eorum sacraria adferamus. Certe, si quid ego ad scribendi facultatem profeci: quod, pro rei magnitudine, exiguum esse, non ignoro: sed si quid profeci, hoc magnam partem debui lectioni operum Mureti: quae me adolescentem mira suavitate deliniebat, exemplis augebat, et ad Ciceronem alliciebat.“ Haec ille. Neque TU aliter Muretinis operibus et adhuc usus es, et eorundem Selectis posthac utendum censuisti. Quae TU vel omnino privatim tantum tractari ab iis jubes, qui ad Latine scribendi facultatem pervenire cupiant, vel, si forte in scholis, ita duntaxat, ut inde scriptionis argumenta repetantur, ver-

nacule proponenda discipulis.\*} Publicam enim operam omnem collocatam cupis in solis Veteribus, et, ubi pueri erudiendi sunt, in Livio praecipue. Quia in re Quintiliano potissimum obtemperandum judicasti; qui non modo lacteam hujus ubertatem dilaudat, quae

\*}) Quae ipsa lectio hactenus quoque profuerit literarum studiosis, ut plurimarum rerum scientia imbuantur, quibus aegre careant sive ad penitorem cognitionem antiquitatis, sive ad cetera disciplinarum genera. Neque enim istiusmodi λογοδαιδαλος putandus est Muretus, qui, unice occupatus in comendâ oratione, nunquam vacarit investigationi rerum: sed eo quoque referebat veteres illos Criticos, quod variarum rerum cogitatione mentem agitabat, et universum paene doctrinarum orbem animo complectebatur. Quo ipso hoc ille consecutus est, ut, cum quidem in Jure Civili habitaret: nihilo tamen minus et physices peritissimus evaderebat ethicesque et vero sacrae etiam disciplinae. Atque ex ea doctrinae ubertate sponte illinata est, et quasi se exclusit, ea via eloquentiae, quae luculentissimam orationem leniter funderet.

## VIII

certe nutriendis puerorum ingeniiis accommodatissima est, verum etiam diserte praecepit, Livium, ut candidissimum et maxime expositum, a pueris magis lectitandum esse, quam Sallustium \*).

Me quidem, nosti, quantopere advertat Tua oratio, cum exponere instituīs, quomodo assuefacere soleas pueros cognoscendae proprietati sermonis, quo adiscant genuinam vim verbōrum verumque Latinitatis usum; nec aliud hoc effici, ut judicare valeant, quid cuivis rei consentaneum sit, quidve repugnans debeat existimari; inde vero nasci eam intelligentiam, quae perspectum habeat, quid requiratur ad docendi perspicuitatem, ad suavitatem delectandi commovendique gravitatem. Hanc TU viam grammaticam dicis esse, eaque solā perveniri ad eum

---

\* ) Institut. orator. II, 5 et X, 1.

locum, ubi, dispulta caligine, quae perspicientiae offecit, jam clara illustraque patetans plurima. Eo deorum qui per gradus accesserit, hunc consecutum illud, ut iam cum sensu miretur, quidquid perennibus consignatum monumentis reliquerit docta vetustas, utque idem mirandi causas asserre queat.

Haec TU, mihi KAYSERE, similiaque explicans mihi quidem animula explebas cum aliis rebus, tum suavissimam memoriam superiorum temporum; quandoquidem hujusmodi Grammatici, qualem TU TE dare soles, olim primario apud nostrates loco habebantur. Nempe nunc quidecum nonnulli istos pulchrarum rerum jactatores (Aestheticos vocant) praefici volunt ludis, qui poëtis promiscue perstringendis stupere doceant discipulos ad ea, quae ipsis Cimmeriae tenebrae, quique puerulos, Latinitate adhuc initiandos, varie agi-

tent bellularum sententiarum praestigiis.  
Istis TU illa explicare debebas. — Vide-  
licet nolebas, quod in proverbio est, Ae-  
thiopem. Et vero quid aliud est ole-  
um operamque perdere, quam istis edisse-  
rere disciplinae scholasticae rationem vel-  
le, qui, quidquid e critico genere aut  
grammatico est, fastidiunt et aversantur,  
res spectari debere, clamitantes,  
non verba; haec umbrae esse et pauco-  
rum: rerum cognitionem proferri in lucem  
posse, inque plurimorum usum con-  
verti. Itaque factum vidimus, ut, quas-  
doctrinas majores nostri academiis reser-  
vari volebant, physicam, scientiam pulch-  
ri et morum, metaphysicam et quidquid  
reliquarum rerum est, id omne fere in  
ludorum cancellis includerent ii, qui sibi  
ipsi tantopere plaudunt, quique, cum  
academias nulli posthac usui esse dicti-  
tant, ut reapse nulli usui sint, quantum  
in iis est, efficiunt.

Longum est ejus perversitatis explicare caussas, nec necesse. Nam si ea in iis deprehenditur, qui sellularii et sunt et habentur, ignoscendum ignorantiae: sin eorum esse cognoscitur, qui literatos se haberi volunt, miserandus stupor, qui plus tribuat recentioris lasciviae flosculis, quam intemerato candori Veterum. TU vero ab institutâ ratione nec transversum unguem recedes, ridens istiusmodi clamatorum arrogantiam et ineptias, inque paucorum doctâ comprobatione acquiescens, prae ceteris Heynii illius, qui unus instar est omnium milliarum. Qui quidem cum TE, disciplinae suae alumnū, eruditōrum notitiae commendabat, nimirum non commendabat umbraticum et literularum captatorem, qui torperet ad poëtarum ornamenta facetiasque, sed eum commendabat, qui in Philetae Coi reliquiis specimen dedisset, quam vim haberet vera

h. e. grammatica ratio ad scriptores poëtasque explicandos eamque intelligentiam in usum discipulorum convertendam.

Redeo ad Muretum, qui unus, eloquentissimus e Grammaticis, grammaticae tuendae suâ ipse auctoritate sufficere existimari debet. Estque is scriptor Muretus, e cuius familiaritate non verendum sit, ne quidquam sordium contrahatur. Cui rei non satis cavit Klosius in libello Variorum e variis scriptoribus, qui post renatas literas aliquo Latinitatis usu inclaruerunt. TU igitur prudenter TE continebas in uno Mureto. — At suppètebant integra hujus opera, ea que diligentissime edita a Ruhnkenio, Criticorum principe. Ostendebas fortunam plerorumque adolescentum, quos quidem res angusta domi his voluminibus emendis pecuniolam suam impendere prohiberet. Wolfii autem editio Variarum Lectionum interrupta videbatur, TUque

**praeterea hoc maxime agebas, ut libellus,**  
**parvo parabilis, Muretina haberet quam**  
**plurima ex omni orationis genere.** Ete-  
nim hoc ipso Ciceronianum ille se prea-  
stat praecipue, quod temperare didicit  
orationem argumento, neque vero tragoe-  
dias agit in rebus levissimis, nec, ut in  
proverbio dicitur, fluctus in simpulo ex-  
citat. Et quo latius hodieque gliscere  
videtur istud vitium, ut corrupti adoles-  
centes confusâ lectione vernaculorum libel-  
lorum stupeant magnificas nugas, ampul-  
lasque et tumorem aucupentur: hoc ma-  
gis faciendum est, ut Mureti similium-  
que exemplo revocentur ad illam castita-  
tem sincerae pulchritudinis, quam, ut  
quisque Veterum optimus est, ita maxi-  
me tueri reperitur.

**Atque quo fontes sectari mature dis-**  
**cerent pueri, hoc TU insuper egisti, ut**  
**locorum fere omnium, quos e Veteribus**

a Mureto laudatos reperisses, indicium faceres secundum paginas optimorum, qui quidem suppeterent, librorum; salubri sane industriâ, quam olim in ejusdem scriptoris Variis Lectionibus ex parte praestitit Janus Gruterus; qui praefectus eidem bibliothecae, cuius TU jam curam geris, sed integrae illi, qualem saepe desideravimus, grammaticâ doctrinâ bonis artibus profuit plurimum. Addisti denique Francisci Bencii, quem elegantem hominem ipse Ruhnkenius dixit, orationem de vitâ et rebus Mureti; ut igitur recte judicari videatur, hoc uno libello multis multorum juvenum rationibus affatim a TE consultum esse. De me quidem sic TU habeto, et hoc consilium placere summopere, et reliqua Tua omnia, neque unquam commissurum, ut in me dici queat illud poëtae:

Dieser Karton wird in die Vorrede gehörigen Orts eingehefst.

**Καὶ νῦν κείνων μέν μοι**

**Λάζα.**

**Itaque vale, mi K A Y S E R E, meque,  
quod facis, ama. Scrib. Heidelbergae d.**

**XXIV. Febr. MDCCCIX.**

---



O R A T I O  
IN  
F U N E R E  
**M. ANTONII MURETI**

HABITA

ROMAE IN TEMPLO S. TRINITATIS  
IN COLLE HORTULORUM

F R A N C I S C O B E N C I O

XIV. KAL. QUINTIL. MDLXXXV.



---

Triste sane atque acerbum, sed solemne tam  
en ac justum, cardinales illustrissimi, insigni pro  
vestra pietate atque egregia erga eum voluntate, qui  
vos vivens perpetuo observavit, officium solvit  
M. A. MURETTO mortuo, cuius vel ipso commemo-  
rato nomine, singularis quaedam species omnis eru-  
ditionis atque eloquentiae animis audientium occurrit.  
Nihil videlicet praetermittitis, quod pertineat ad viri  
illius clarissimi mortem celebrandam, qui, cum vive-  
ret, summorum virorum funera laudationibus persae-  
pe amplissimis honestavit. Quo in officio etsi sa-  
pienter illud etiam cogitasti, ut, quemadmodum ho-  
miae plerumque, quibus vivi florebant maxime, iis  
mortui honoribus afficiuntur, sic etiam princeps ille  
oratorum non careret cultu aliquo orationis, et, qui  
dicendo tam multa tractavit argumenta, fieret  
ipse dicendi argumentum; ego tamen, qui et  
vestra autoritate et superiorum meorum per-  
missu et mea etiam nonnulla, ingenue ut fatear, in-  
clinatione voluntatis atque, ut ipse interpretor, erga  
magistrum meum pietate hoc dicendi onus non postu-  
lavi quidem, sed oblatum non recusavi, vereor, ne et  
praeter expectationem vestram et contra voluntatem  
meam mea apud vos infantia mortui desiderium non  
minuam, sed augeam; neque illud tantum dicendo  
confirmem, quod vos, vel nemine dicente, intelligitis,  
ad MURETUM laudandum eo ipso, qui laudatur,  
laudatore opus fuisse, sed admoneam etiam, eloquen-  
tiam ipsam decessisse cum homine eloquentissimo.

Sed, quoniam aequissimum est, ut, qui plurimum

debet, etiam si reddere non possit, quantum debet, velit reddere, quantum potest, illud in hoc praestando futurum mihi persuadeo, ut, si minus eloquens ac prudens, at certe benevolus habear et pius: cum ostendam illud unum, quod sciunt permulti, hujus vocis, qualisunque tandem est, fructum ei potissimum deberi, qui illam aliquamdiu hortatu praecepsaque conformavit. Incitant praeterea currentem diversis stimulis et amor et dolor, qui mihi non tantum a vobis veniam impetrabunt, sed per se etiam affarent, ut spero, opem. Nam, si amor, ut est in veteri proverbio, musicam docet, docebit fortasse et lamentationem; et, si doloris magnitudini vis quaedam dicendi proportione respondet, patefaciet ille se quidem in oratione maximum, ut debet: ac simul aperiet non elegantia quendam dictionis ornatum, quem aspernatur, ac respuit, sed gratum dicentis animum atque eximiam voluntatem. Amor porro erga Muretum meus is est, quem per ipsos duos et viginti annos spectata amplissimi viri virtus et erga me benevolentia excitavit; dolor vero ex ejus desiderio tantus, ut, cum emineat e vultu atque extet, nihil opus sit, cur id faciam, quod olim histrio Polus, qui ad verum dolorem imitandum in scenam filii ossa et urnam dicitur intulisse, cum praecipue sanctissimum hoc templum, in quo condi testamento voluit, ipsum mihi videatur ante oculos ac prope in conspectu constituere.

Dicam igitur, quando ita res tulit, paucas quasdam e plurimis M. Antonii Mureti laudibus: neque enim possunt tam brevi tempore numerari omnes; atque ad ejus formam et praescripta me fingens, ea utar ratione dicendi, quam ille, si praesens esset corpore, quem animo intueor, probaturus videretur.

Vos autem, auditores, quibus pleraque nota sunt omnia (totos enim annos quinque et viginti vir omnini honore ac laude dignissimus in hac urbe vixit, id est, in hac luce ingeniorum, in hoc clarissimo orbis terrarum theatro, et quidem cum esset primarum partium), nolite, quaeso, ex iis rebus potius, quae a me dicuntur, quam ex iis, quae sciuntur a vobis, ejus laudes ponderare, qui fuit ingenio, doctrina, eloquentia, ratione vitae mirabili ad laudem ac prope singulari. Sed hoc agite. Quaecunque a me non ponentur in oratione mea, ea vos taciti mentibus vestris subjicite et, quarum rerum quasi capita breviter attingam, ac si in formula et carmine praeirem voce, eas excipientes, reliquas assensu et cogitatione prosequimini.

Unde igitur in te ornando et laudando, quo minus tam multis praesentibus reprehendar ipse, Muretus, incipiam? An a patria et genere et parentibus? haec certe talia sunt, ut, cum ipsa magnam tibi attulerint laudem, tum vero etiam a te acceperint non minorem. Natus est enim, auditores, M. Antonius anno post Christum natum MDXXVI. mense Aprili in Gallia, in pago suburbanio Lemovici, cui Mureto nomen, loco honestissimo, patre juris-consulto, genere perantiquo et nobili, quippe quod et pagum illum antiquitus possederit (unde etiam familiae nomen) et quadringentis abhinc annis tulerit Stephanum Grandimontensium ordinis autorem, virum sanctissimum atque hominem in corporis afflictione singularem, cuius dies festus in Idus Februarias incurrit. Sed non nititur majorum meritis Muretus. Talis enim fuit ac tantus, ut etiam, si praeclaris generis ornamenta defuisserent, summum ipse generi ornamentum esse posset et suarum splendore virtu-

tum afferret lucem majoribus etiam obscurissimis. At, si hoc omittimus, dicemusne, quod est proximum, de bonis corporis et quadam oris dignitate? At turpe, dicebat quidam e Romanis imperatoribus, cum animal habeat homo, laudem captare ex corpore. Itaque haec etiam praetermittantur: non quidem, quod non praestanti specie ac decora forma fuerit ipse, talis nempe, qualem eum plerique vidistis, ut videatur pulcherrima ejus anima aptissimum sibi diversorum, in quo habitaret, vel optasse vel finxisse; sed, quod multo major atque excellentior animi pulchritudo rapiat atque absorbeat orationem meam, quae etiam, ut haec minora relinquam, hortatur. At in praestantissimis ejus animi virtutibus quas potissimum delibabo, ut magis praedicandas? quas etiam, in hisce angustiis temporis, minore jactura praeteribo? Nimirum hoc illud est, quod ante audiveram, aequem magnum esse ac difficile eum laudare, in quo maxima sunt laudes, atque eum, in quo nullae: quod in altero res ipsae desint orationi, in altero rebus ipsa desit oratio. Perstringamne paucis ipsius initia discendi atque educationem puerilem? Sed vereor, ne, si dicam id, quod res est, videar multa quidem veritati tribuere, sed plura benevolentiae, quod tamen nemo existimare debet. Egone hoc suscepto vitae instituto, in hoc templo, in tam nobili consensu, in tam ampla materia atque uberi, ea sciens dicam, quae sciam posse vel tacentium judicio refelli? Velimne tam multos viros primarios esse cupiditati meae ac mendacio consciens? Quam multi e vobis verum esse illud sciunt, quod vix verisimile aliis fortasse videatur, ab ipsa pueritia MURZUM nostrum tam admirabiliter fuisse ingenii magnitudine, vix ut ullam desideraverit disciplinam? ut paene prius discipulos habere coepit, quam ma-

gistros? Nam, ut primum imbutus est litteris, qui-  
bus informari ad humanitatem aetas puerilis solet, in  
patria sua, Lemovici primum, deinde vero Aginni,  
quae est urbs in Aquitania paene princeps, ea docere  
incepit, cum esset adolescentulus aut potius puer,  
quae nunc quidem, communis more atque usitato, ea  
aetate si quis disceret, in summa laude poneremus.  
Quippe ut ingenio doctrinam, sic etiam usu praecur-  
rebat aetatem. Aginni vero eodem tempore usus est  
suorum duce et adjutore studiorum Julio Caesare  
Scaligero, viro in omni eruditionis atque humanitatis  
genere perfecto ac perpolito. Hunc ille ut parentem  
colebat, a quo etiam ut filius dilgebatur: admiraba-  
tur enim vir omnino admirabilis excellentissimum in-  
genium adolescentis eique volens ac libens rectam  
ac brevem, quae ad rerum scientiam ferret, viam  
monstrabat, quo sua eum natura ducebat. In qua  
tamen bonitate naturae atque ingenii abundantia (rem  
admirabilem!) tanta utebatur contentione animi atque  
industria, quanta utendum est homini, qui, quo mi-  
nus ingenio potest, subsidio sibi comparat diligentiam:  
ut et ingeniosos diligentia vinceret et ingenio dili-  
gentes; et totum illud sibi tempus perire crederet, in  
quo non aut doceret aliquid aut disceret.

Cum igitur aliquamdiu Aginni fuisset, ejusque  
doctrina atque ingenium omnium fama et oratione ce-  
lebraretur; ad illud domicilium doctrinarum et, ut  
ita dicam, orbis terrae museum, Lutetiam profectus  
est. Ubi cum itidem explicaret divitias illas ingenii,  
nec latere posset in tanto urbis splendore tam illustre  
lumen eloquentiae; non magno negotio omnium ad se  
studia atque ora convertit. Novus videbatur ex-  
ortus Demosthenes Christianis Athenis: ita, docente  
**Muzto** et quidem adhuc peradolescente, concursus

audiendi caussa ex tota urbe fiebant, magna hominum  
 frequentia gymnasium celebrabatur, loci ipsi in gym-  
 nasio occupabantur, aditus complebantur, ne pes qui-  
 dem relinquebatur p[re]e maxima auditorum multitudi-  
 ne, ubi pedem doctor ipse ponere posset, ita per il-  
 lorum humeros, quasi per undas, gradiebatur ad sug-  
 gestum, e quo, etsi magno ab omnibus audiebatur stu-  
 dio ac silentio, nihil magis timentibus, quam ne cito  
 faceret dicendi finem, ubi tamen fecerat finem, miri-  
 fico omnium clamore et plausu excipiebatur. Quid  
 plura? nihil ferme aliud erat Lutetiae magis eo tem-  
 pore in hominum sermonibus, quam MURZUS,  
 quem ipse etiam rex aliquando et regina, (at, bone  
 Deus, qui rex, et quae regina!) ut, quod fama et  
 auditione acceperant, re ipsa experimentur, audire vol-  
 luerunt. Onerasset profecto alium tam mirabilis om-  
 nium expectatio et sermo, at M. ANTONIUS, qua-  
 si jam non cum aliis, sed secum ipse certaret, quoti-  
 die sese admirabilior fiebat et melior: ut, quanta  
 ad diligentiam et doctrinam, tanta ad famam ejus  
 et gloriam fieret accessio. Multa mihi necessario,  
 auditores, praetermittenda sunt, ut servem cer-  
 tum aliquem et laudandi et dicendi modum, quanquam  
 difficile est admodum servare modum dicendo in iis lau-  
 dibus, quae modum re ipsa superaverunt, cum et, qui  
 eas cognitas habent, alia potius, quam ea, quae di-  
 cuntur, dici potuisse, et, qui incognitas, ne ea qui-  
 dem debuisse, quae majora sint hominum opinione  
 ac fide, arbitrentur: ut ex horum sententia af-  
 dicta nonnulla, et ex illorum detracta non pauca vi-  
 deantur. Vestram hic ego, Pictavienses, Burdigalen-  
 ses, Auscitani, Tolosani, (nam Tolosae ille juris ci-  
 vilis docendi primum quidem facultatem, deinde vero  
 etiam potestatem accepit) sed tamen vestram ego,

emnes quos dixi, universae Galliae populi nobilissimi, imploro et autoritatem et fidem: nonne, cum juvenem excellentem omniisque laude cumulatum videbatis, cum ejus voce ac doctrina fruehamini, Mercurii vobis filium, ut nonnulli e vestris, ex ipsius litteris nominis apte trajiciendis sciteque connectendis quasi omen conjicientes ingenii, dixerunt, aut ipsum potius Mercurium, ut dicebant alii, videre et audire videbamini? Et fuerunt fortasse, qui adolescentis gloriae, qua ita se extollebat, ut aliquorum luminibus officeret, vel detraherent occulte vel invidenter aperte. Semper enim nascentis gloriae comes fuit invidia, ut solis umbra. Quae tamen gloria, progressione usq; admirabili et cursu paene incredibili, ut sol, cum est in altissimo coeli vertice, umbram, sic ipsa, cum pervenisset ad summum, invidiam plane omnem extinxit: ut, quoniam cum sole virum clarissimum comparavi, consequens illud fuerit, ut, posteaquam omnem prope Galliam illuminarat, suam illam lucem diffundoret in Italiam. Itaque Venetias, id est, ad illam urbem, quae veterem hujus urbis splendorem ac speciem aemulatur, cum annum ageret duodetricesimum, venit. Neque vero hic latuit diutius: statim enim praeclara ejus eloquentia, ut Phidiae statua, et perspecta et probata est, quae etiam habita est in aliorum comparatione praeclarior. Venetiis vero apud Lauredanos, Bembos, Contarenos, Sorianos, Manutios ac ceteros clarissimos viros tanto in honore ac pretio fuit, ut dulcis quaedam inter eos contentio nascetur, qui maxime amarent MURETUM aut admirarentur: incerti omnes, utrumne ipsi admirarentur magis, an amarent, admiratio enim e virtutibus nascetur, ex admiratione amor, ut e Thaumante Irim, ex Iri amorem nasci poetae voluerunt. Paulo post

concessit Patavium; in optimam illam et vetustissimam in Italia officinam ingenuarum disciplinarum et artium. Neque hic etiam diu versatus est. Anno enim aetatis circiter quarto et tricesimo, honestissimis conditionibus invitatus, ad summum illum doctorum Maecenatem Hippolytum cardinalem Estensem se centulit, in cuius comitatu et cohorte cum rediisset in Galliam, mox etiam in Italiam, Romae tandem anno MDLXIII. ipsius cardinalis suasu atque eorum rogatu, quorum consiliis litterarum studia regebantur, Aristotelis ethicen docere publice incipit, tanta, ut memini, hominum voluptate ac frequentia, ut Aristoteles quidem ipse Romae docere, sed nostra lingua, et lux quaedam huic urbi redditiva videretur veteris eloquentiae. Non licet, auditores, sed ne decet quidem, cum Romae loquamur, de iis rebus agere, quae Romae per hosce annos unum et viginti (tot enim annos Romae docuit vir praestanti sapientia) agebantur a MURETO. Quid docuerit, breviter ego cursimque perstringam; quo enim modo docuerit, vobiscum ipsi recordamini. Docuit videlicet annos quatuor libros Aristotelis de moribus, totidem jus civile, nec vulgari sane via, spinosas illas jurisconsultorum concertationes cum sermonis nitore conjungens; reliquos postremo annos, usque ad annum aetatis undesexagesimum, qui fuit annus superior, Gregorii XIII, cujus mortui gloria vivet semper in memoria vivorum, autoritate ac liberalitate permotus, in eorum librorum, qui non solum acuerre, sed alere etiam ingenium solent, ut Platonis, Senecæ, Horatii, Taciti, Ciceronis explicatione collocavit. Quo interim tempore, cum a Stephano Bathoreo, serenissimo Polonorum rege, qui et consiliis et factis Romanorum veterem imperatorum aequare

ridetur gloriam, in Poloniam accerseretur amplissimis praemiis, morem gessisset optimi principis voluntati, nisi cum eo, quem Romani gymnasii lumen et columnen appellabat, egisset idem Gregorius, ne discederet; atque id quidem tum sua sponte tum Romanorum monitu magistratum, qui MURZTO ipsi aliquot ante annis ultro detulerant jus Romanæ civitatis. Qua etiam ratione effectum est, ut tantum stipendium decerneretur homini amplissimo, quantum haud scio, an unquam antea nemini. Parcite, cardinales illustrissimi, properanti; parcite etiam dicentiam enim variam et multiplicem laudationem suppeditat nobis MURZTI laudum seges et copia, ut et oporteat properare, et nonnulla tamen attingere sit necesse. Diximus non nihil de iis, quae docuit; de iis, quae scripsit, in quibus ejus spirat imago atque ingenium, adhuc quidem nihil, de quibus etiam nihil est, quod multa dicamus, cum in promptu sint omnia omnibus. Quid enim variis ejus lectionibus, ut inde potissimum incipiam, uberius? quid pictius? quid omni lepore conditius? quid magnificentius aut grandius orationibus? quid magis pium aut eruditum versibus? iis dico versibus, quos, Romae cum esset, composuit: illa namque poemata, quae, cum esset annorum circiter viginti, juventutis quodam calore atque impetu profudit in Gallia et convenienti quodam nomine appellavit juvenilia, juvenilia inquam, dicam clariss, ut meius exaudiar ab omnibus, saepe mihi in sermone dicebat sibi ideo non placere, ut ea tanquam sua non modo probaret, sed ne agnosceret quidem. Et cuperbat hujusce suae voluntatis, si vita suppeteret, extare testimonium. Quod ego nunc ipse opportuno sane loco et tempore aperte testificor planeque denuncio. Quid igitur senilibus MURZTI versibus

## XXVIII

magis pium, eruditum, addo etiam jucundum? Quid subtilius atque elegantius iis disputationibus, quas scripsit de jure civili? quid dulcius epistolis? quid verius iis notis et scholiis, quae scripsit ad autores utriusque linguae probatissimos? Haec certe omnia ea sunt, ut jam non septem Thebarum portae, non pyramides Aegyptiorum, non Romanorum trophya ac monumenta, quorum hodie vix cadavera projecta jacent, ad tam diuturnam posteritatis memoriam pertinuerint, ad quam ipsa pertinebunt. Quae quidem omnia, ut flumina, quae eo magis augentur, quo longius e fontibus et capitibus suis recesserunt, temporis beneficio fient non suis modo virtutibus, sed alienis etiam vitiis (liceat enim hoc mihi dicere, quandoquidem jam fervent omnes ac feruntur scribendi studio) praestantiora. In quibus tamen scribindis utrum admirer magis maximam scribentis elegantiam, an incredibilem ejusdem sive facultatem siue copiam? Mihi credite, auditores, loquor enim, quod non opinor, sed scio; non accepi auribus, sed oculis, neque semel atque iterum, sed quoties se offerebat occasio: ut omnis non tantum assentationis, sed amplificationis etiam suspicio abesse debeat. Nihil unquam bis scribebat MURETUS, cum tam multa scribebat, vix adeo bis legebat id ipsum, quod scripserat, raro interpolabat, non saepe mutabat aliquid aut emendabat, rarius demebat, delebat. Ita, cum uno quasi tenore fluenter omnia, nihil nisi aptum et accommodatum ad manum mentemque veniebat: ut multo meliora fortuito illi exciderent, quam alii, qui assiduo opere eandem tundunt incudem, extundant atque excudant labore. Accipe quodvis unum de praeclaris ipsius voluminibus, non dico ex iis, quae adhibito acriore studio scripsit ac diligentia,

sed ex iis, quae effudit ludibundus: una cujuslibet argumenti sententiola, non dico pagina, una cujuslibet paginae vocula, non dico comprehensio, manifesto ostendet, nihil fieri potuisse MURETUM in scribendo perfectius: ut non sine caussa inventi sint, qui, cum esset morti proximus, quasi quiritantium more opem implorarint Romanorum civium, quod Metellus fecit Macedonicus, mortuo Africano, non eam quidem ob caussam, quod Romanae urbis moenia essent everea, ut dicebat ille, sed, quod Romanae eloquentiae splendor extingueretur.

Quae omnia ut ad summam faciunt laudem viri ornatissimi, ita communem augent nostrum omnium dolorem. Accipite enim, auditores, quod, etsi erit auditu acerbissimum, erit tamen et dictu verissimum, nec fortasse ingratissimum scitu. Cum in divinum hominis ingenium et in diuturnam ejus at paene incredibilem industriam, qua vim sibi et prope mortem afferte visus est (ad summum enim singulis noctibus somno quinas horas, quaternas plerumque aut etiam ternas tribuebat); cum in aureum illud, ut ita dicam, flumen eloquentiae animum mentemque converto; cum et, quae olim pepererit, cogito et, quae jam diu parturiret, etiam si magna et multa ab illo exierunt: ea tamen omnia haud posse conferri existimo cum iis, quae parabat, ut non tantum MURETUM mortem, qui vivere poterat diutius, sed ejus etiam operum, quae, ut dicebat Sappho, aeterno quodam vere florere potuissent, lamentari ac dolere possimus. Nam quis tandem nobis Aristotelis ethicen, rhetoricen, politicen, quis Platonis de republica libros ac de legibus, in quae fere omnia inchoatos habebat commentarios, quis insignes illas, quas meditabatur, notas ad Herodotum, Thucydidem, Xenophontem,

Plutarchum, Livium, Plinium, Tacitum, ad juris ci-  
viles autores, ad eos denique, quos evolvit, libros  
(quos autem non evolvit?) repraesentabit? O vita  
ihs quidem, qui nihil agunt, persaepe longa, Mu-  
nere certe, qui nunquam non agebat aliquid, nimium  
brevis! Agebat ille quidem, cum est mortuus, an-  
num sexagesimum: qua aetate qui essent, etiam de-  
cennio minores, a Theraeis non lugebantur, quasi vi-  
xissent diu. Sed ego tamen sic arbitror, semper acer-  
bam esse eorum mortem, qui immortale aliquid cogi-  
tant, ut prosint omnibus mortalibus, etiam si vitam  
duxerint quam longissimam. Etsi tu quidem, Mu-  
nere, si spectamus, quod facere poteras, parum vi-  
xisti; si, quod fecisti, satis; si praeclarí memoriam  
nominis, quam reliquisti, semper victurus es. Sem-  
per enim vivunt, etiam mortui, qui, quam diu vixe-  
runt, vixerunt bene. Bene autem vivere ii dicendi  
sunt, qui in omni vita prosunt aliis potius, quam sibi,  
et in ea sunt cogitatione defixi, ut sibi perpetuo mi-  
grandum putent ad unum illum, qui omnia audit et  
videt, Deum.

Quae duo, quoniam hunc in locum incidit oratio,  
ut praetermittenda non sint, ita extiterunt in Mu-  
nere, ut non admirationi magis, quam imitationi  
esse possit. Nam, quod pertinet ad benignitatem:  
quis tandem fuit, non dico e summis viris ac princi-  
pibus, quales vos estis, cardinales illustrissimi, qui-  
bus ille omnibus fuit tum propter summam doctri-  
nam et eloquentiam tum vero propter suavitatem  
morum et elegantiam longe carissimus; sed e mediis,  
sed ex infimis etiam hominibus, non dico ex illis, qui  
ei essent familiares et cogniti, sed ex ignotis atque  
externis, quorum nonnulli vel ex ultima Europa  
hominis conveniendi et consulendi caussa Romam con-

fluebant, qui tamen profitebantur omnes atque aperte praedicabant, omnia se majora re ipsa comperisse quam fama: quis fuit, inquam, ex omnibus, quin, si vellet, ejus auxilio uteretur et consilio? eccei unquam suam ille domum, bibliothecam, quam hahebat instructissimam, aures, arcum denique patere noluit? cui non aut opera benigne fecit aut pecunia? Tribunorum olim domus in hac urbe nunquam claudebantur, ut essent portus quidam ac perfugium omni civitati. Simile quiddam mihi videntur **M u r x t i** aedes suis, quem nunquam fere solum aut vacuum inveneris, quasi a Deo esset, uti erat, ad communem omnium utilitatem datus. Rogares, ut perobscurum aliquem aut Latini scriptoris aut Graeci declararet locum? declarabat; ut carmen corrigeret aut orationem? corrigebat; ut epigramma inscriberet in sepulcro? inscribebat; ut epistolam scribebat? scribat; ut eclogum in ponte aut in hasi statuae ponendum excogitaret? excogitabat; ut haec ipsa recognosceret? recognoscebat: ut interdum mihi diceret (saepe enim mecum perquam familiariter loquebatur), sibi non licere vivere. Et vivebat quidem ipse, sed, ut dixi, vivebat magis aliis, quam sibi. Docebat enim, quae poterat, id est, quae discere velles, omnia: quid enim velles discere, quin posset docere? Ab eo vero, quem docebat, nullam omnino mercedem exigebat, ne illam quidem, quam Thales Milesius a Mandrayto Prianensi, quem docuerat, quanta esset solis magnitudo, exegisse dicitur, cum ab eo cavit, ut ipsum tantummodo tam praelari inventi laudaret autorem: ut non mirum fuerit, si invenirentur interdum, qui, quae a **M u r x t o** gratis acceperant, pro suis venditarent. Atque haec pauca de benignitate in homines.

Quid de religione ac pietate in Deum? Nolite expectare, auditores, dum commemorem, quod plerique meministis, catholicam semper ab eo servatam, servatam dico? immo vero etiam defensam et pro virili parte ornatam religionem ac fidem, cum tamen non defuisse in Gallia homines nequissimi, qui omni machinatione admirabile ingenium ad suas partes abducere conarentur. Itaque propiora videamus. Hic vero mihi quam multa occurunt, quam ingentia! quot conturbant in hac ipsa extrema, in qua versamur, oratione dicentem! cum et videam, multa esse omittenda, et unumquodque, quod occurrit, prae-  
cerendum esse videatur. Novem jam sunt anni, auditores, cum sacris est initiatus M. ANTONIUS ac sacerdos factus: ex quo tempore tam saepe, tam religiose, tam sancte fecit rem divinam, ut inter sacrificandum nec lacrymas teneret ipse et easdem etiam audentibus excuteret. Sacras vero quotidianas precationes quam diligenter ac sedulo obibat! ut se assidue ad sanctorum et Christi exempla limabat! quam sollicite in se inquirebat! quam attente videbat, ne quid aut faceret aut diceret, quod aut reprehensum aut revocatum vellet! Quid? quod saepe tecum (credo etiam cum aliis) de morte tanquam de migratione loquebatur; quod, cum laboraret molesto morbo ac difficulti pedum, jam jamque sibi esse cedendum domo, cuius jam labarent fundamenta, praedicebat; quod, cum ei quietem suaderem atque otium nec tamen persuaderem, quietem sibi aeternam adesse proprius praesagiebat. Et certe tam insignis vita, quasi fabula, quae tam praestantes habuit ceteras partes, extremo debuit actu praestantissimo terminari, qui talis fuit, ut haud sciām, an meliorem nos ipsi exitum optare possimus.

**M**ortuus est enim ille, si tamen moritur, qui consequitur immortalitatem, ornatus omni instrumento et viatico, quod Christiana religio tribuere homini atque impetrari solet, quem parat ad mortem; a Xysto etiam quinto pontifice maximo non privatum modo veniam peccatorum impetravit, sed ad eorum expiationem ejusdem etiam illam publicam adhibuit, indulgentiam, qua qui rite uteretur, ei vero non liberationem modo culpeae, sed remissionem etiam poenae Christi vicarius benignissime concedebat: ut scilicet Muretanae illam mortis opportunitatem non lamentatione et misericordia, sed gratulatione et benevolentia prosequi debeamus. Sed effudit mihi pectus memoria illius diei, post quem diem obiit die tertio, quo cum esset sacrosanctum Christi corpus Christiano more suscepturus, omnibus, qui eo convenerant, praesentibus et audientibus, longo exordio supplex veniam a familiaribus petiit atque, ut sibi ignoscerent, postulavit: quod eo fecit animi sensu ac dolore, ut ex illo numero, qui sibi a lacrymis temperaret, inveneris neminem. Post quem diem, toto eo tempore, quo potuit loqui, in magnis totius corporis doloribus, illas modo voces, interruptis spiritu, o Jesu! o Deus! moribundus iterabat: ut, quoniam interpres mentis est lingua, eum constet aliud nihil eo tempore, in quo potissimum moriente corpore disceptabat animi salus, habuisse in mente, nisi illum, quem habebat in ore, cum quo et ad quem, ut confidimus, evolavit.

**H**em, M. ANTONI MURETZE, vir clarissime! ut vere es natus ad omnem dignitatem et gloriam; contemnebas illam tu quidem inter homines, illis etiam temporibus, cum eras gloriacione dignissimus: cum in sacrosancto purpuratorum patrum senatu, in illo sanctitatis ac religionis domicilio, in illa arce regum ac

#### XXXIV

nationum omnium, fulminabas, tonabas, splendidissimorum verborum et pulcherrimarum rerum et gravissimarum sententiarum flumina effundebas; sed nunc tandem aeternam istam atque immortalem, quam sperabas, Dei munere et concessu, pro summa tua erga eum pietate atque erga homines benignitate, es consecutus. Nos autem, nos, inquam, afflitti jacemus ac moerentes desiderio tui; quod longinquitas temporis non leniet, sed duplicitabit. Et conati quidem sumus, ut horum illustrissimorum principum obsequeremur studiis, tuarum aliquot suspicere laudum commemorationem; sed eorum pondere oppressi nostrarum ostendimus virium imbecillitatem. In quo tamen illa nos cogitatio consolatur, quod illud fecimus, quod potuimus, quod voluimus, quod debuimus, quod etiam haud scimus, an unquam postea viro eruditiori atque homini eloquentiori officium simile praestare possimus. *Dixi.*

---

I.

M A N T O N I I M U R E T I

E P I S T O L A E.



---

1.

M. ANTONIUS MURETUS

IOANNI NICOTIO S. D.

Multæ caussæ sunt, Joannes Nicoti, vir clarissime, propter quas magnorum et illustrium virorum epistolæ expetantur. Sunt, quas sermonis nitor et elegantia et nativa quædam pulcritudo, nullo, ut videtur, artificio exulta, nullis pigmentis colorata commendet. Sunt contra, quæ et verborum et sententiarum minime vulgato genere cultum et artificium ostentent. Nonnullæ etiam ita scriptæ sunt, ut historiam quasi quandam contineant eorum temporum, quibus ii, qui illas scripsere, vixerunt. Atque hæ, sive a disertis et ingenuarum artium scientia expolitis hominibus prodierint, tanto cupidius leguntur; sive etiam ab iis, qui lepore ac festivitate dicendi caruerint, non tamen propterea negliguntur. *Historia* enim, ait Plinius <sup>1)</sup> quoquo modo scripta delectat. Graves quædam et philosophicæ officii præcepta tradunt; falsas opiniones evellunt

---

<sup>1)</sup> epist. V, 8.

ex animis; quanta in virtute dignitas; quanta in vitiis turpitudo sit, docent: quo in genere Seneca excellit. Quædam, etiamsi ad res modo privatas et familiaria negotia pertinent, excitant tamen hominum studia propter eorum, a quibus scriptæ sunt, auctoritatem. Natura enim comparatum est, ut, quos admiramur ac magni facimus, eorum omnia maxima minima cognoscere cupiamus. Recteque ac vere Xenophon<sup>2</sup>), virorum virtute præstantium non seria modo, sed et joca digna esse, ait, quæ memoriæ commendentur. Et certe si vascula quædam, quibus illi usi erant, et alia, quæ in eorum supellectile ac frivolis fuerant, mortuis ipsis, cupidos emptores invenierunt; (quomodo lucernam Epicteti mille drachmis, Protei Stoici baculum talento venditum accepimus) multo magis eorum quamlibet tenues et exiles epistolæ in pretio esse debent. Sed ego hæc omnia mecum agitans, caussam tamen reperire nullam queo, cur aliquem epistolarum mearum librum videre multi istic, ut scribis, elegantis ingenii homines concupiscant. Sive enim Latinas litteras amant et ad aliquam Latine scribendi faculta-

---

<sup>2)</sup> cyropæd. II, 5, 1.

tem pervenire cupiunt: quisquam est, qui, cum extent Ciceronis, Senecæ, Plinii epistolæ, non dicam **ex** meis, sed **ex** cujusquam, qui his mille annis vixerit, Latinæ linguæ aut integratatem aut copiam sibi petendam putet? idem etiam de illo qualicunque scribendæ epistolæ artificio dixerim. Quid enim aut Plinio limatus aut Seneca gravius aut Cicero-ne in omni genere perfectius optari potest? Gravidarum mulierum morbus ille fuerit, quæ, neglectis bonis ac salubribus cibis, cinere se nonnunquam et carbonibus pascunt. Ne res quidem ipsæ adducere aut invitare quemquam possunt ad epistolas meas cupide legendas. Homo enim privatus, qui ita in libris ac litteris consenserim, nullam ut unquam attigerim reipublicæ partem, nullam unquam epistolam scripsi, nisi quæ ad mea non magni momenti negotia pertineret. Quis autem ego sum, ut, quod postremo loco posui, auctoritate quisquam adductus mea res meas cognoscere cupiat? Mitto jam, quod cum in ceteris tum in hoc præcipue genere ita negligens sum, ut epistolas, uno impetu fusas, raro admodum bis legere; certe quidem nunquam bis scribere, sed, ut primum fluxerunt, litarum sæpe ac macularum plenas ad ami-

cos mittere soleam. Itaque multum negotii habui in iis, quas ad te nunc mitto, colligendis. Nam præter paucas, quas familiares quidam mei descripserant, ceteræ ab iis ipsis, ad quos missæ erant, aut ab iis, in quorum manus, mortuis ipsis, pervenerant, corrogandæ quasique ostiatim conquirendæ fuerunt. Quas non ullo ordine aut personarum aut temporum, (neque enim res tanti videbatur) sed, ut quæque allata erat, et cum eis nonnullas ad me a viris doctrina et auctoritate præstantibus scriptas, in unum volumen congregendas curavi: ut tuæ vel voluntati obsequerer vel auctoritati obtemperarem. Tantum enim et amicitiæ nostræ et prudentiæ tuæ in maximis muneribus publicis obeundis jam pridem spectatæ tribuo, ut nulla in re tibi aut volenti negare aut suadenti adversari fas putem. Quare quid a me postules aut quid me facere jubeas, ipse videris: certe, quidquid postulaveris, quod quidem in me situm sit, consequeris. Hoc autem æquiore animo passus sum, extare aliquas epistolas meas, quod quædam multis jam abhinc annis editæ sunt pro meis, de quibus scribendis ego ne per somnium quidem unquam cogitavi. Confinxerat eas is ipse, qui tanquam a me ad se

missas divulgaverat, homo eruditus ille quidem, sed improbus et natura nocendi ac male faciendi cupidus: cum plurima et maxima officia, quibus a me affectus erat, summis injuriis compensare vellet. Qua de re olim a me graviter objurgatus multis cum lacrymis a me veniam petuit, laqueo digna commisisse se, fassus; cum ei sermoni Hadrianus Turnebus et Ioannes Auratus præsentes interessent. Sed mittamus hæc. A te pro amicitia nostra peto, des operam, ne quid istic excudatur pro meo, quod meum non sit. Quid enim futurum est, nisi coerceatur istorum audacia, qui superioribus mensibus poema quoddam de laudibus Ioannis Austriaci, quod ego nunquam legeram, pro meo ediderunt? In quo et mihi et ei, cuius illud poema est, imposita insignis injuria est. Nunc tua potissimum fide, diligentia, auctoritate, voluntate erga me fretus, nihil tale posthac eventurum esse, confido.

Vale. Romæ. IX. Kalend. Septemb. MDLXXIX,  
(lib. I. epist. 1.)

## 2.

## PAULO MANUTIO.

**H**eri redeuntem me a Balneis Aponi, quo  
me partim animi, partim valetudinis caussa  
contuleram, exceperunt litteræ tuæ: quæ  
quam mihi gratæ fuerint, noli quærere.  
Mihi crede, quidquid reliquum erat mo-  
lestiæ ἐξ ἐκείνου τοῦ συμπτώματος, οὐ περ  
πρώην ἔμαθες, deterserunt omnemque ex eo  
natam ægritudinem depulerunt. Habebant  
egregiam sane atque illustrem significationem  
veteris illius ac perpetui amoris erga me  
tui: de quo, etsi mihi nunquam, ut dubita-  
rem, contigit; tamen sit, nescio quomodo,  
ut omnis illius expressio \*) quasique pro-  
fessio pergrata mihi perque jucunda sit.  
Ego, mi Manuti, cum de eo, quod mihi  
contigerat, retulisse ad medicos meque  
illis omni ex parte indicassem neque quid-  
quam de tota mea ratione ac consuetudine  
vivendi reticuissem; nihil aliud reperire  
potui, nisi id, quod ipse per me facile su-  
spicabar: nocere mihi, quod tam raro exi-  
rem domo quodque, ut me impetus ceperat,

---

\*) *expressio insolens hoc sensu. RUHNKENIUS.*

ita me, nulla habita ratione temporis, aut ad legendum aut ad scribendum darem. Itaque de eorum consilio meditor paulo laxius ac solutius vivere et ante cibum ambulatiuncula modici sudoris aliquid excitare prætereaque, cum videbitur, alienis et oculis legere et manibus scribere: quem ad usum parare cogito amanuensem quempiam, cui epistolas inambulans dictem; nisi, si quid erit τῶν ἀποφῆτων: quanquam hæc quoque interdum, sed ἐν αἰνίγμασι. Antea enim solebam statim a prandio calamum in manum sumere et horam unam atque alteram epistolarum scriptioni dare: quo, re ipsa comperi, nihil esse perniciosius. Cavebo igitur et, ut mones, parcam mihi cum mea caussa tum mehercules etiam tua. Non enim levem neque contemnendam jacturam faceres, si quid mihi contingere. Φίλον γὰρ οὐδὲν κτῆμα τιμιώτερον. Ego vero amicus tibi sum et amicus ex animo: quales admodum paucos esse, non injuria querebatur Theognis<sup>3)</sup>. De Catullo, exiguum tu quidem mihi diem præfinis; sed tamen dabitur opera, ut satisfiat tibi. Torquatus Bembus respon-

---

<sup>3)</sup> sentent. 74. 645. 698.

dit, se cognoscendi mei cupidissimum esse mihi que libenter gratificaturum, quacunque in re posset. Quod scribam, aliud nihil occurrit. Etiam atque etiam vale, mi Manuti. A. D. (MDLVIII) IV. Kalend. April. Patavio. (I, 3.)

## 3.

**Q**uod te a curis omnibus acquiescere in mearum epistolarum elegantia ac suavitate dicis, agnosco humanitatem tuam: neque tamen ita me ignoro, ut in meis quidquam posse reperiri elegantiae putem. Scribo enim ad te sine ulla cura, quidquid in solum, ut dicitur, et dum tibi animi mei sensus aperiām, quibus id verbis faciam, non laboreo. Quod eo dico, quia scrupulum quendam injecisti mihi nuper in sermone, cum significares, te epistolis tuis, si quando eas divulgarès, velle admisceri quasdam etiam ad te meas. In quo tu etiam atque etiam vide, quid agas. Nam ego quidem nihil unquam (ita tu me ames) memini ad te scribere, quod non dicam editione, sed lectione magnopere dignum putarem. Sic enim scribo ad te, non quasi ad unum ætatis nostræ

hominem doctissimum et linguæ Latinæ intelligentissimum, sed tanquam ad amicum arctissima mihi necessitudine et familiaritate conjunctum, apud quem in loquendo non modo peccare impune liceat, verum etiam, si quis magnam diligentiam in eo ponat, ut ne peccet, is eo ipso peccare videatur. Itaque ne releggere quidem soleo, quæ ad te mitto. Tuo tamen arbitratu. Scio enim, te meæ laudi æque favere ac tuæ; neque vero mihi sumo, ut in hac re aut omnino ulla in re plus videam, quam tu. Sed de his satis aut etiam plus satis. Obsecro te, quid est, quod tu, quod apud me Catulli reliquum est, id biduo ad te mitti petis? an non satis est, dum ne tuis in mora sim? quanquam faciam equidem, quod voles; sed neque mihi neque tibi expedire istam celeritatem puto. Chartas quinque una cum his litteris accipies; cetera, ubi voles, parata erunt. De Hieronymo tuo valde equidem miror et (vere ut dicam) vix consilium in ea re tuum laudare possum. Tantillum puerum tam procul ablegari? neque te navigatio commovet, quæ concutere ac dejicere etiam homines confirmatæ ac corroboratæ ætatis solet? Mihi crede, valde commoveor:

amo enim puerum illum insigniter, tum quia tuus est tum quia mirifice festivus. Et mihi venit in mentem, quæ ille jam pericula missellus subierit, pæne prius in vitæ discrimen adductus, quam sentire posset, quid jucunditatis esset in vita. Deum tamen cælestesque omnes ex animo compreco, ut fortunent, quod agis. Et aliud, quod scribam, nihil est, et Molinus noster me admonet, redeundum esse ad Catullum. Nihil igitur addam, nisi ipsius nomine plurimam tibi salutem. Etiam Herculem tuum nostro utriusque nomine plurimum ut salutes, a te petimus: quanquam equidem est, tibi, Hercules, quod succenseam. Tene, cum hic esses, semel tantum ad me adiisse neque postea rediisse amplius? Itaque ut te ulciscar, nihil adhuc ad eas litteras, quas a te plenissimas suavitatis accepi, respondeo. Curavi tamen, ut id, quod petebas, ad te mitteretur. Valete ambo nōsque amate ambos. Patavio. A. D. XIV. Kal. Maji. Nolo enim facere, quod tu, qui interdum pro Majo Aprilē, pro X. XVII. ponis. Itaque interdum videor mihi accipere litteras tuas XX. diebus ipsis, posteaquam scriptæ sunt. Interdum contra, sex aut septem diebus, antequam scriptæ sint, perferuntur. Iterum vale. (III, 2.)

## 4.

Qui possum paria paribus? et, si pergis, clama-  
mabo, me circumveniri. Næ tu, mi Manuti,  
δεινός τις εἶ καὶ τὸ ἄλλα καὶ μάλιστα εἰρωνεύεσ-  
θαι. Qui cum ad me eas epistolas quotidie  
mittas, quales post Ciceronem nemo fecit præ-  
ter te; tamen delicias facis et perinde loque-  
ris, ac si meæ, quas ego popularibus verbis,  
quasi crassiore filo, contextas, ne relegere  
quidem, quæ mea pigritia est, soleo, cum tuis  
ullo modo conferri debeant. Evidem, qui,  
ubi cum quibusdam me aliis confero, adulor  
interdum ipsem mihi et, quia, quam non  
Latine alii loquantur, animadverto, videor  
mihi paullo, quam illi, longius in hac facultate  
progressus esse: idem vel te audiens vel scrip-  
tum a te aliquid legens, hastas, ut dicitur,  
abjicio et nedum eum putem esse me, quem  
tu facis, non modo inter principia, sed ne in-  
ter impedimenta quidem, ullum mihi relinquai  
posse arbitror locum. Μακάριος εἰ σὺ ταῦτα  
τῆς ἐνγλωττίας, μακάριοι δὲ καὶ ὑμεῖς, οἵσπερ  
ὑπὸ σοῦ ἀπέραντον ὅσον ἀπολειφθεῖσιν, οὐ μὴ  
ἄλλα γε συμβέβηκε τῆς σῆς καὶ ἀπολαύειν  
δυσλίας, καὶ οὐκ ἀναξίους δοκεῖν φιλίας. Sed  
de his satis. De re Bononiensi, ut plane tibi

assentior, ita vota facio, ut Sigonius noster petat. Nam neque Bargæum descensurum puto; alios, si qui erunt, facile ab illo superatum iri confido. Mihi quidem quid magis in optatis sit, quam ut id eveniat, quod tu mihi amice (utinam etiam vere!) auguraris? Neque video sane, si ille decesserit, quid mihi impedimento esse possit. Fruamur igitur hac spe: quæ sive rata erit, paulo tollemur altius; sive fefellerit, non tamen omnino jacemus. De Philopono noli laborare, ego istic, si Deus volet, intra quatuor aut quinque dies futurus sum: absens non video, cui possim satis commode id negotii dare. Vale, mi Manuti, vale et me ama. VIII. Kal. Septemb. Patavio. (III, 1.)

## 5.

**A**dolescentes, qui ad te has litteras perferent, si genus requiris, nobilissimo ac splendidissimo inter suos orti sunt loco; si bona animi et studia laudandarum artium spectas, conjecturam facere vel ex eo potes, quod, cum ipsis domi in summis deliciis et in maxima rerum omnium affluentia vivere liceret, longinquas peregrinationes suscipere seseque excolendi ingenii caussa infinitis difficultatibus objicere

maluerunt. Ii, cum judicarent idem, quod omnes, qui recte sentiunt, judicant, ingenii et eloquentiae gloria Italiam ceteris nationibus, in Italia autem longe unum ceteris omnibus Paulum Manutium antecellere; neque se studio suo satisfacere posse arbitrati sunt, nisi in Italianam venirent, neque, cum in Italianam venissent, nisi Pauli Manutii aspectu et colloctione fruerentur. Quod autem de scriptis utriusque nostrum intellexerant, quanta inter nos voluntatum ac studiorum conjunctio esset; statuerunt, se id, quod cuperent, nullo modo melius, quam per me, consequi posse, mecumque egerunt, ut eos tibi quam diligentissime commendarem. Ita igitur facio petoque a te, ut, si ulla unquam apud te mea commendatio valuit, quod scio valuisse quam plurimas, huic plus etiam, quam ceteris, tribuendum putas adjiciasque ad illam humanitatem, qua omnes excipere solitus es, quidquid, rogante atque obsecrante me, adjici potest. Vale. Postrid. Non. Sept. Patavio. (I, 19.)

## 6.

## PAULO SACRATO.

**N**eque te uno amabilius quidquam aut officii plenius neque litteris tuis festivius omnique

suavitate conditius fieri potest. Quæ si quam lepide ac polite loquuntur, tam etiam vera de me prædicarent, magna caussa esset, cur et ego mihi gauderem, et tu tibi de amicitia nostra gratulareris. Nunc ea res me male habet, quod, cum in meum (ut dicitur) sinum inspicio meque ac mea omnia diligenter executio, nihil propemodum tale reperio, qualia mihi tu innumerabilia assingis: ut mihi tale quiddam usu veniat, quale histrionibus, qui dum in scena Agamemnonem agunt aut Atreum, concipiunt spiritus quosdam regios; post, absoluta fabula, dum ad vestitum suum et ad se ipsos redeunt, agnoscant necesse est, facta fuisse illa omnia et alienæ oblectationis caussa ad breve tempus suscepta; se vero homines tenues et non admodum magni pretii artifices esse. Sic ego quamdiu tuas litteras lego et a te tanquam a chorago aliquo impositam mihi personam sustineo, placeo mihi (fatebor enim, quod verum est) et videor esse aliquis; post, ubi ille quasi ventus resedit, agnatum errorem meum tacitus rideo meque, tanquam ad solitum cultum, ita ad usitatam illam et perpetuam meam de me opinionem refiero. Sed hæc aut in aliud tempus reservemus aut, quod satius est, in perpetuum omit-

tamus, Ego te, Sacrate, pro eo ac singularis  
virtus et doctrina et voluntas erga me multis  
testata officiis postulat, et amo et magni facio,  
neque id facere desinam, donec tu is, qui es,  
esse desieris, quod exploratum habeo nun-  
quam fore. Ardeo autem mirifica quadam  
cupiditate, si qua id ratione a me perfici po-  
test, ut etiam posteris hujus conjunctionis  
nostræ memoria prodatur, amicosque vixisse  
~~nos~~, non æquales modo nostri, sed futura  
etiam secula intelligent. Cujus rei gratia con-  
stitueram repertas a me in Gallia neque usque  
in hunc diem a quoquam divulgatas Victorini  
veteris, non rhetoris modo, sed philosophi  
quoque ac theologi lucubrationes in publicum  
emittere; cumque in eis emendandis non par-  
yum laborem sustulisset, ad te potissimum  
mittere et tibi quasi dicare, quidquid in eis  
mea industria effectum esset, jamque id secis-  
sem, nisi me quiddam, quod aliquando in-  
telliges, retardasset. Tu interea, mi Sacrate,  
perges amare me, ut facis, tibique certo per-  
suadebis, te a me merito tuo mirabiliter amari.  
Salutabo tuo nomine Janinellum, cum pri-  
mum eum videro. Vale. V. Id. Sext. MDLXIII.  
*Romæ. (III, 12.)*

## 7.

## HORATIO CARDANETO.

Volo tecum, Horati, si modo ab eo voluntas tua non abhorret, quasi mercaturam quan-dam instituere litterarum: ut, quando iisdem fere in studiis nostrum uterque versatur, si quid et bellum atque elegans et non vulgare neque protritum, dum, ut longinqua littora, ita veterum scripta lustramus, reperisse vide-bimur, id in commune conferamus et alter cum altero communicemus. Hoc fecisse ve-teres illos, quos *endo cœlo*, ut Cicero in legi-bus <sup>4)</sup> loquitur, *merita locarunt*, Hippocratem Coum et Democritum Abderiten, Platonem Atheniensem et Tarentinum Archytam; tum e nostris (quanquam illos quoque quidni no-stros vocare liceat?) sed tamen ex illis, quos usitatus nostros dicimus, idem inter se Cice-ronem ipsum, Nigidium, Atticum, Varronem factitasse, satis aperte ipsorum monumenta declarant. Quorum ego exemplum, quantum in me est, renovare cupiens ad hanc te socie-tatem, Horati, voco: quam nisi refugis, non dubito fore, ut ex ea primum uterque no-

---

<sup>4)</sup> II, 8.

strum, deinde etiam alii, non eorum modo, qui nunc sunt, sed etiam, ut Homericō<sup>5)</sup> verbo utar, τῶν ὀψιγόνων, si non magnos atque uberes, aliquos tamen aliquando capiant fructus. Ejus autem, nisi tibi secus videtur, eae leges ac pactiones erunt. Primum, ut, quidquid alterutri nostrum quoconque in scriptore antiquo occurrerit, quod aut sit aut videatur obscurum, ambiguum, depravatum, de eo ut ipsi alterius sententiam exquirere jus fasque sit. Deinde ut is, qui sententiam rogabitur, re diligenter pensitata, cum amicis etiam, si videbitur, communicata, quidquid aut commode cogitare ipse aut ex aliis expiscari potuerit, aperiat. Tum, ut si alterutri aliqua alterius opinio non probabitur, liberum ei solutumque sit, caussas, cur eam non probet, exponere, isque, qui reprehendetur aut potius admonebitur, non modo non lædi se ac violari in eo, verum etiam beneficium sibi tribui putet. Postremo, ut quidquid alter ab altero acceperit, nunquam neque privatim neque publice id se ab eo accepisse dissimulet: quin potius uterque omni ope omnes alterius ornandi atque amplificandi occasio-

---

5) Il. III, 353. VII, 87. Od. I, 502. III, 200.

nes, non tantum oblatas arripiat, sed etiam studiose diligenterque pérquirat. Hæc si faciemus, alter alterius industriam acuemus, ingenium excitabimus et discemus denique vicissim et vicissim docebimus. Gisberto quidem nostro, quem ego adolescentem quotidie plus amo, quod ipse quotidie honesta studia plus amat, præsens ex hac nostra negotiatione lucrum paratum est. Ego enim, qui cum ad cetera omnia tum ad scribendum ita piger sum, ut nemo magis, eo posthac, cum ad te scribam, amanuensi uti cogito. Nam et ipse cum laborem caussa mea libenter capit tum hoc studiis suis inutile non fore arbitratur. Vale. III. Kal. Jan. MDLXIV. (I, 32.)

## 8.

**R**espondebo tibi breviter, ut et postulas, et occupationes meæ cogunt. Non te præterit, apud optimos utriusque linguæ auctores reperiri quædam seu de industria seu ab aliud cogitantibus peccata, quæ grammatici modo ἀνακόλουθα, modo σολοικοφανῆ vocant: cum illi non ipsam conformatiōnem orationis aut vocum convenientiam, sed id modo, quod sensum est, respiciunt. Exempla scio tibi

non deesse; sed tamen, ut videas, me tecum  
 ἀτεχγω̄ς καὶ ἀδόλως agere, congeram, quæ in  
 mentem venient. Terent. Hecyra: <sup>6)</sup> *Nam*  
*nos omnes, quibus est alicunde aliquis objectus*  
*labos, Omne, quod est interea tempus, prius*  
*quam id rescitum est, lucro est.* Ut omnia co-  
 nere, non reperies, cum quo cohæreat illud  
*nos omnes.* Sallustius: <sup>7)</sup> *Sed antea item conju-*  
*ravere pauci contra rempublicam, in quibus*  
*Catilina fuit: de qua, quam verissime potero,*  
*dicam. Idem:* <sup>8)</sup> *Interea servitia repudiabat,*  
*cujus initio ad eum magnæ copiæ concurrebant.*  
*Idem:* <sup>9)</sup> *Familia nostra cum populo R. bello*  
*Carthaginiensi amicitiam instituit: quo tempore*  
*magis fides ejus, quam fortuna, pendenda erat,*  
*quorum progeniem.* Idem: <sup>10)</sup> *Abundantia*  
*earum rerum, quæ prima mortales ducunt.*  
 Atque ut in aliis, ita in hoc quoque Sallustius  
 Thucydideus fuit. Apud illum etiam talia  
 ἔστα κόνις. Plautus: <sup>11)</sup> *Hos, quos videtis stare*

<sup>6)</sup> III, 1, 6 sq.

<sup>7)</sup> Catil. 14.

<sup>8)</sup> Catil. 52.

<sup>9)</sup> Jugurth. 10.

<sup>10)</sup> Jug. 37.

<sup>11)</sup> Capteiv. prolog. 1 sq.

*hic capteivos duos, illi qui astant, ii stant ambo,  
non sedent. Sed ne apud Plautum quidem  
talium modus. Hujus generis sunt et illa  
Homerica:*

*Tέκνον φίλε<sup>12)</sup>*

*Et:<sup>13)</sup>*

*'Ενγῆμαρ μὲν ἀνὰ σφατὸν φέχετο κῆλα θεοῖσι,  
Τῇ δεκάτῃ δ' ἀγορήνδε καλέσσατο λαὸν  
'Αχιλλεύς.*

*Et:<sup>14)</sup>*

*'Εθνεα πολλά δρνιθων ἀγαλλόμεναι πτερύγεσσιν.*

*Et illud Virgilianum:<sup>15)</sup>*

*Crastina lux, mea si non irrita dicta putaris,  
Ingentes Rutulæ spectabis cædis acervos.*

*Et:<sup>16)</sup>*

*Parspedes ire parat campo, pars arduus altis.  
Fertur equis.*

Possum e Sophocle, Euripide, Pindaro, aliis  
quamlibet multa congerere; sed ne longior  
sim et ne tibi homini eruditissimo videar.

<sup>12)</sup> Il. XXII, 84. Od. II, 363. III, 184. XV,  
125. 508.

<sup>13)</sup> Il. I, 53.

<sup>14)</sup> Il. II, 459 et 462.

<sup>15)</sup> Aen. X, 244 sq.

<sup>16)</sup> Aen. VII, 624 sq.

diffidere, pauca tantum tibi in memoriam ex ipso Cicerone revocabo. Ita igitur est in secundo <sup>17)</sup> Tusculanarum: *Etenim si orationes, quas nos multitudinis judicio probari volebamus, (popularis est enim illa facultas, et effectus eloquentiae est audientium approbatio) sed si reperiebantur nonnulli, qui nihil laudarent, nisi quod se imitari posse considerent,* etc. Scio, esse locum quendam, ubi ad Atticum scribens, cum *epistolam* dixisset, ita reliquum orationis contexuit, quasi *litteras* dixisset, non *epistolam*. Sed nunc non venit in mentem. Inspice diligenter locum illum ex Catone majore, <sup>18)</sup> ubi citantur hi duo versus Cæciliani:

*Tum etiam in senecta hoc deputo miserrimum,  
Sentire, ea aetate esse odiosum se alteri,  
et vide, cum quo ea, quæ statim subjungit,  
cohæreant: Jucundum potius, quam odiosum.  
Neque enim hoc dicit: miserum est sentire,  
se jucundum potius, quam odiosum; sed hoc:  
si quis commodus senex sit et humanus, eum  
jucundum potius esse, quam odiosum. Quæ  
tamen sententia, si verba tantum spectes,  
effici nullo modo potest.* Revocabo te ad illos

<sup>17)</sup> c. 1.

<sup>18)</sup> c. 8.

ipsos libros de oratore <sup>19)</sup>). Ita igitur loquitur in jocorum tractatione: *Ex eodem hoc vetus illud est, quod ajunt, Maluginensem illum M. Scipionem, cum ex centuria sua renunciaret Acidinum consulem, præcoque dixisset, Dic de L. Manlio; virum bonum, inquit, egregiumque civem esse arbitror.* Vide, quam conveniat *Maluginensem illum* cum verbo *inquit*, quod postea subjunxit. Eodem igitur modo cum dixisset: *etenim ceteræ fere artes et cetera;* ita dixit postea *cujus terminis septa teneatur,* quasi non *bene dicere* dixisset, sed *ars bene dicendi*, quod orationis ἀκολούθια postulare videbatur. Habet verbosam et insuavem epistolam, ut scriptam a properante et occupato etiamque, ut tibi molestia duplicitur, mea manu scriptam, ut fortassis etiam in legendo aliquid tibi negotii futurum sit. Gisbertus enim noster, propterea quod ei hodie ad fores herilis cubiculi assidendum est, ut statis vicibus omnes cubicularii solent, operam mihi dare non potuit. A te peto, ut me ames: quod cum facies, mutuo me facturum esse, scito. Vale. Romæ. VI. Kal. Mart. MDLXV. (I, 53.)

---

<sup>19)</sup> II, 64.

9.

## G E R A R D O.

Mihi crede, irascerer Titio nostro, nisi vererer,  
ne ipse eandem rationem iniret placandi mei,  
quam iniit abhinc biennium. Etenim, si  
nescis, cum ego eum, nescio qua de caussa,  
subaspere appellassem meque illi iratum esse  
dixissem; renidens ille, *faxo*, inquit, *istud  
verbum magno redemptum velis*. Eo ipso die  
sub vesperam, cum mihi jam parata coenula  
esset, ecce tibi homo ad fores. Quid tu, in-  
quam, huc? *Tecum*, inquit, *ut cœnem, si forte  
placare te possim, φιλίαν ἀμφὶ τράπεζαν*. Tu  
vero coenare mecum potes: placare me neque  
tam cito neque tam facile potes. Inter coenam  
multa, ut solet, festive narrare, multa urbane  
dicere: quæ omnia ego, non facile quidem,  
sed tamen mihi imperans silentio audiebam,  
ita composito ad severitatem vultu, ut ne  
illud quidem facerem, quod canes iratæ so-  
lent. Discessurus, etiamne, inquit, *iratus es?*  
Multo, inquam, iratior, quam prius. Postridie  
eadem hora, cum tanquam ad constitutum ve-  
nisset, quærenti mihi: Quid tu huc denuo

invocatus? Αὐτόματοι δ' ἀγαθοί, <sup>20)</sup> inquit ille. Itane, inquam, falsis dictis et versiculis cœnam te quotidie nacturum putas? At ego, ne erres, hodie non cœno. *Recte sane, inquit, ego igitur, te spectante, bona tua comedam.* Scio enim, quid tibi in cœnam paratum sit. Forte autem eo die amicus quidam ad me turdos et ficedulas aliquot miserat. Quarum cum partem coqui, partem in crastinum servari vellem; præteriens ipse coquo meo, homini simplici ac credulo, apud quem valde gratiosus est, persuaserat, ut omnes coqueret; alioqui enim fore, ut corrumperentur. Ita mihi denuo hospes habendus fuit non multum tantum joci, sed multi etiam cibi. Ubi adsedimus, tam multa dixit, ut non ceteris tantum domesticis risu ilia distenderit, sed postremo mihi etiam ipsi, qui tristitiam simulare cupiebam, risum invitissimo excusserit. Facile jam perspicere poterat, iram in se meam aut nullam fuisse (et ita erat) aut plane depositam esse; sed expediebat homini putare, me adhuc iratum sibi. Redit tertio et quærenti, quid hoc negotii esset, volo, inquit, parere veteri sententiae: Οὐ χρὴ συμποσίοισι φίλων ἀπέχεσθαι

---

<sup>20)</sup> Platon. *sympos.* II, 4.

*ἐταιρῶν Δηρὸν.* Tum, tu igitur, inquam, unum me sodalem habes? *Ego vero, inquit, te unico magis unicum, neque mihi unquam bene est, nisi cum et esse et comesse una tecum licet.* An tibi igitur diu videris absfuisse, qui mecum et heri et nudius tertius coenaveris? *Quin imo, inquit, ita erga te affectus sum, ut Meduṣ ille erga Cyrus,* <sup>21)</sup> *καὶ ὅσον σκαρδαμύττω χρόνον πάρνυ πολὺς μοὶ δοκεῖ εἶναι.* Abi, inquam, quo dignus es, cum istis tuis ineptiis, an te mihi pro ignoto verba dare postulas? Licuit dicere, licuit objurgare: ipse tamen absterreri nunquam potuit, quin mecum coenaret. Sublati mensis, quæso, inquam, amoto ludo, an hoc quotidie facturus es? *Quotidie, inquit, donec te mihi plane placatum esse cognovero.* At ego, inquam, potius jusjurandum in eam rem arbitratu tuo dabo. Quid quæris? Nisi irasci desiissem, adhuc, opinor, eum *σύνδειπνον* quotidianum haberem. Itaque quidvis jam perpeti possum potius, quam ut istis irascar, qui se tam bene vindicare norunt. Extra jocum, mi Gerarde, neque Titio quisquam vir melior est neque officii plenior neque cuius aut sermo aut convictus mihi dulcior sit; sed

---

<sup>21)</sup> Xenoph. cyrop. I, 4, 28.

tamen interdum in me nimis sibi multa permittit. Nihil est in bibliotheca mea ita abs-trusum ac reconditum, ut ei non pateat: omnia inspicit, omnia perscrutatur. Fuit etiam tempus, cum, quidquid visum erat, etiam me inconsulto, auferebat ac deinde referebat; sed id facere desiit, postquam me ægre ferre animadvertis. Et tamen sic quoque, absente me, pervolutat omnia, omnes forulos excutit, neque si quid modo absolutum ac perpolitum est, sed rudia etiam, si collibuit, et inchoata describit. *Quis neget hoc nimium?* ait Hispanus poeta. <sup>22)</sup> Sed sit satis; saltem ne me trudiceret, sed (quod semper pollicetur, nunquam præstat) nugas meas legeret solus. Nunc, quia ita me amat, ut mea omnia miretur, vos quoque sibi esse hujus erroris socios putat et ea sæpe vobis, ut admiranda, dilaudat, quæ vos, sat scio, contemneretis. Mitto cetera. Hoc de Græca tragœdia quale est? Neque enim uni tibi, ut putas, sed aliis compluribus amicis dixit, vidisse se apud me tragœdiam quandam Græcam admirabilem: cum tamen ego Latine quidem duas tantum adolescentulus tragœdias scripserim, de Græca tragœdia scribenda nun-

---

<sup>22)</sup> *Martialis epigr. XI, 23, 3.*

quam, ne per somnium quidem, cogitarim.  
 Non ea vis animo. Et tamen vix credas, quot  
 mihi tragœdias ficta illa tragœdia concitarit:  
 multis, qui ex eo illud audierant, ejus legen-  
 dæ potestatem sibi fieri postulantibus mecum-  
 que, quod id non facerem, expostulantibus.  
 Narrabo tibi rem totam, ut tum porro nar-  
 rare aliis possis. Sumpseram haud ita pridem  
 otiosus in manus Senecæ tragœdias easque  
 animi caussa evolvebam ac forte incideram in  
 principium Troadum. Ita enim vocandam  
 puto, quæ vulgo dicitur Troas. Libuit ten-  
 tare, num quid Græce simile possem, et su-  
 bito quodam impetu ita exorsus sum:

Εἰ τις τυράννῳ θυμὸν ἐξαρθεὶς τύχῃ  
 Φρένας γέγηθε γαῦρος, οὐ κομπάζεται,  
 Ήσ αὖ τὸ θεῖον ταυτὸν ἐλπίσας μενεῖν,  
 Έμοὶ τε καὶ σοι, δύσμορε Τροῖ, ἐμβλέποι.  
 Οὐ γάρ ποδ' οἱ θεοὶ τὰ παρὰ τοῖς θνητοῖς  
 σεμνὰ

Σαφέστερον ἀπέδειξαν, ὃς πάντ' ἀσθενῆ,  
 Παιῶν τ' ἄθυρμα καὶ καπνοῦ σκιᾶς ὅναρ.  
 Φεῦ, φεῦ, τὸ κλειγὸν ἔρεισμα τῆς πρὸν ὀλβίας  
 Ασιάτιδος γῆς, θεῶν πεπονημένον χερὶ,  
 Ής φέρετο πολεμίῳ κατασκαφθὲν δορὶ,  
 Κεῖται τε φροῦδον οἴον εἰς οἴου φανέν;

Vereor, ne projicias epistolam, si perrexero.

m sind gehörig einzuschalten.

Et tamen, blandiente progressu, persecutus sum totam illam Hecubæ φῆσιν. In illud αὐτοσχεδίασμα, absente me, inciderat Titius, et putans, se reperisse, quod \*) pueri in faba, avidissime legere exorsus, superveniente me, destitit. Vix a me digressus erat, cum, ut in quemcunque amicorum inciderat, spargit, mirificum poetam esse me: visam a se tragœdiā Græcam meam, δαιμόνιόν τι χρῆμα; sed me non temere quemlibet ad mea legenda admittere. Jovis, ut ait Horatius, <sup>23)</sup> auribus illa servare. Paucis post diebus, ut quisque amicorum mihi obvius factus erat, ita omnes orare, obsecrare, obtestari, uti sibi saltem inspiciendæ præclaræ illius tragœdiæ facerem copiam. Cum ego, qui vix jam illorum versuum memineram, negarem, ullam unquam a me scriptam esse tragœdiā Græcam idque etiam jurejurando confirmarem; neque tamen aut hoc persuadere possem aut ab eis cognoscere, quis ejus fabulæ auctor fuisse: extitit tandem unus, qui Titium nominaret. Audito hominis nomine, statim

\*) Scribendum *non quod pueri* e Plauto  
Aul. V, 1. 11. RUHN.

<sup>23)</sup> epist. I, 19, 43.

suspicatus sum id, quod res erat. Itaque cum quibusdam eorum, iis præcipue, quos videbam iniquiore animo ferre, quod parum amice agere me secum putarent, eos versus ostendissem; feci, ut tragœdia in mimum verteretur. Video, tibi quoque illud mendaciolum aspersum. Tu vero, mi Gerarde, cave, quidquam meorum esse arbitreris, quod ego non tecum libentissime communicem. Quod si tanti essem, ut quidquam tale scrip sissem; non te modo auditorem, monitorem, censorem admitterem, sed alios operis inspectores quam possem plurimos corrogarem. Neque enim mihi cornea fibra est. Neque quisquam unquam, qui bonos versus aut fecisset aut fecisse se putaret, occultos illos habere voluit. Ego de tua valetudine, de studiis tuis, quid in isto amoenissimo secessu legas, quid scribas, cognoscere discupio. Vale et alumnum tuum præstantissimum adolescentem, Ascanium Columnam, quando me ab eo amari scribis, meo nomine saluta. Romæ, Prid. Id. Sextil. MDLXV. (I, 83.)

## 10.

## ALEXANDRO RIPARIO.

Versiculi, quos ad me misisti, ostendunt illi quidem, te, si ad poeticam ingenium tuum contulisses et, bonos magistros nactus, in eo studio perstitisses, ad aliquam præstantiam pervenire potuisse. Nam et numerosi sunt et sententias habent neque inconcinnas neque ineleganter collocatas, et ipsum dicendi genus non abhorret a recto. Planeque sperare posses, te aliquando bonum poetam fore, si hoc agere velles. Sed majora tibi proposita sunt, quæ, quantum potes, urgeas, censeo; et subsicivis horis veterum poetarum scripta manibus teras, non tam ut imiteris, quam ut eis te oblectes simulque aliquid ex eis assidue, quod tibi usuis sit, colligas. In scribendis versibus tempus a te collocari, verum ut fatear, nolim. Malos versus facere, turpe est; mediocres, inglorium; bonos, difficilius, quam ut præstari possit ab iis, quibus aliud agendum est. Quid in tuis lima egeat, præsens præsentem monere possem: per litteras non æque facile possum. Recteque ac vere mihi videtur Ovidius <sup>24)</sup> dixisse, emen-

---

<sup>24)</sup> epist. ex Pont. III, 9, 20 sqq.

dandi labore in maiorem esse, quam scribendi. Mihi hoc credas velim, me hodie non difficilius ad saltandum, quam ad faciendos versus adduci posse. Si quid erit serium, in quo meam operam desideres, non deero: in his levioribus, si quando de me cogitabis, peto a te, illud quoque cogites, non multo juniores esse me, quam erat Horatius, cum illa de se scribebat: <sup>25)</sup>

*Nunc itaque et versus et cetera ludicra pono.*

Vale. Romæ. Id. Febr. MDLXVIII. (I, 65.)

### 11.

#### JOANNI ANTONIO ODISCALCO.

Etsi pro mutua inter nos voluntate tibi dubium esse non potest, quin tua omnia mihi cara ac jucunda sint; tamen mihi hoc affirmanti credas velim, litteras tuas mihi etiam jucundiores fuisse, quam tu existimare facile possis. Nam et, quod ego summo opere cupiebam, continebant λεπτομερέστατα totam rationem itineris tui, et quæstic vita, qui mores, quæ cum ceterarum artium tam juris docendi ratio, ita diserte ac luculenter explicabant, ut Ulixis Homerici <sup>26)</sup> narrationem Alcinoo ac Phæacibus minus fuisse jucundam putem. Ad misericordias etiam eis plurimum nativi

<sup>25)</sup> epist. I, 1, 10.

<sup>26)</sup> Odyss. IX — XII. cf. XIII, 1 sq.

illius leporis et αὐτοφυῆς urbanitatis, qua præsens sermones tuos condiebas, ut, eas legens, tantum non spectare te ac tecum confabulari videber. Accessit ad voluptatem meam, quod patruus tuus V. C, qui eas mihi usque in Quirinalem, (ibi enim nunc sumus) ipsem et attulit, ostendit mihi etiam eas, quas ad alterum patruum scripseras: quibus eadem prope, quae in meis, sed Latine expressa continebantur. Tum demum agnovi, quid te adduxisset, ut ad me populari sermone scriberes. Neque enim illud te movit, in quo jocaris, Phormionis exemplum; sed id potius fecisti, φιλοτιμούμενος παρ' ἡμῖν ἐπὶ τῇ ἐν ἀμφοτέροις τοῖς ιδιώμασιν εὐεπείᾳ. Quod artificium tuum cum jam detectum esse videoas; censeo, posthac ad me quoque Latine, si videbitur, scribas. Quod tamen ea lege a te peto, ut ne propterea minus crebras aut minus longas litteras des. Quidvis enim malo, quam earum fructu carere. Gaudeo metum meum de iis, qui istic jus civile profitentur, vanum suisce, et eos scriptores, quos ego tibi dilaudare consueveram, etiam istic vigere. Felicius hac in parte tecum actum est, quam cum quibusdam aliis συμφοιτηταῖς tuis, qui, ut a me dicensi sunt, inter illos συρφετῶδεις ac βορβορῶδεις splendidarum ineptiarum magistros conse- nescunt. Ego et tibi hec nomine, ut debeo, gra-

tulor et cupide tempus illud exspecto, cum ad nos non illa inani δοκησισοφία, sed vera ac solida jurisprudentia instructissimus revertaris. Nondum audiisse te puto, me hic pandectas publice interpretari, non sine aliqua molestia eorum, qui nollent configi oculos cornicibus, et, quœ juvenes didicere, senes ridenda fateri <sup>27)</sup>. Evidem dabo studiose operam, ut eripiam ex animis hominum stultissimam illam opinionem, nihil in jure aut sapienter cogitari posse, quod non ex illis lacunis hauriatur, aut erudite dici, quod non insulse ineleganterque dicatur. Spero, me his æstivis mensibus, quibus res proferentur, in Tiburtino secessu aliquid novi edolaturum. Quidquid erit, si quid modo erit, sum enim mirifice callipides, ad te mittetur. Interea amabis me, ut facis, scis enim, te id mutuo facere; et ad me, quam sœpissime poteris, scribes. Vale. Romæ. III. Non. Jan. MDLXVIII. (I, 85.)

## 12.

## J U S T O   L I P S I O.

Nihil est aut te amabilius aut litteris tuis dulcior, ad quas ego nudius tertius acceptas statim respondissem, si aut fuisset plus otii, aut statim

---

<sup>27)</sup> Hor. epist. II, 1, 85.

responderi tua interfuisset. Cum et essem paulo,  
quam soleo, occupatior et, in unius diei mora  
nihil esse incommodi, viderem, indulsi naturæ  
meæ, qui perspectam haberem facilitatem tuæ.  
Desiderio tibi esse mutuam consuetudinem nos-  
tram, si vis, me aperte ac simpliciter loqui, ut  
mea consuetudo fert, et ut nostra summa con-  
junctio postulat, gaudeo; quodque ipsi mihi ad-  
mirabile videtur, ex molestia ipsa tua volupta-  
tem capio. Nam neque tu, nisi me valde amares,  
tam iniquo animo ferres absentiam meam, et  
mihi nihil jucundius est, quam a te valde amari.  
I nunc et dicio, verum esse illud Euripideum <sup>28)</sup>  
*ές κοινὸν ἀλγεῖν: cum duorum, qui certe inter-  
se amicissimi sunt, videas, uni alterius ægritudi-  
nem esse jucundam. Cave tamen, putas, minus  
a me sermones tuos requiri, quam a te meos. Hic  
enim etsi adfluimus omnibus deliciis planeque  
Phæacum vitam <sup>29)</sup> vivimus, ubi*

*- - εὐφροσύνη μὲν ἔχει κατὰ δῆμον ἀπαυτα,  
Δαιτυμόνες δ' ἀνὰ δώματ' ἀκονάζονται  
ἀοιδοῦ,*

*"Ημενοι ἔξεινες, παρὰ δὲ πληθούσι τράπεζαι  
Σίτου καὶ κρειῶν,*

<sup>28)</sup> Iphig. in Aul. 408.

<sup>29)</sup> Homer. Od. IX, 6 sqq.

nemo tamen est, qui iisdem, quibus nos, studiis delectetur, ut jam verear, cum istuc rediero tamdiu a Musis et a litteris omnibus peregrinatus, ne quis vestrum, quibus adsidue in libris versari licet, mihi illud <sup>30)</sup> occinat: Ἐβαρθάρωσε χρόνιος ὡν ἐν βαρθάροις. At tu, mi Lipsi, si me audis, hominem si non valde prudentem, certe quidem insigniter amantem tui, obdura et noli tam cito de Roma relinquenda cogitare. Mihi crede, *Iste tibi quondam lœtitiam feret labos.* Conventum esse a te Manutium meum, gaudeo, et talem repertum, qualem ego tibi eum saepe descripseram. Hoc tibi liquido confirmare possum, eum virum bonum esse, φιλόφιλον et studiosissimum beneficiandi quam plurimis. Quare auctor tibi sum, ut te, quantum potes, insinues in illius consuetudinem. Cogitabam de eodem oleo et opera ad Plautum nostrum scribere, sed alio vocor. Interea salutabis eum meo nomine et, ut cœpisti, reddes quotidie tua consuetudine doctiorem. Cras ad eum scribam. Bene vale, mi suavissime Lipsi. Tibure. XII. Kal. Sept. MDLXIX. (II, 1.)

---

<sup>30)</sup> Euripid. Orest. 485.

## 13.

## CORNELIO VALERIO.

**R**edit ad te Lipsius tuus et redit magno meo dolore. Ita enim me devinxit sibi præstantia ingenii et doctrinæ, integritate morum, suavitate sermonis ac consuetudinis suæ, ut, eo discedente, a memetipso mihi avelli viderer. Felicem te, Cornelii, cūjus ex disciplina adolescens tam rari exempli prodiit. Evidem antea et magni faciebam te ex scriptis tuis et amabam pro judicio, quod amantissime de emendatis a me Terentii fabuljs feceras. Nunc vero, mihi crede, tanta accessio propter Lipsium facta est, et ad opinionem de te et ad amorem erga te meum, nihil ut magis cupiam, quam occasionem mihi aliquam dari declarandi tibi re et factis, quanti apud me sis. Cujus rei si libebit periculum facere, quæsto te, si qui huc venient, quos tu ames, præcipueque qui habeant aliquid simile Lipsii, ut eos mihi potissimum commendandos putes. Nam eadem opera et ego mihi videbor abs te beneficium accipere et conabor efficere, ut ipsi quoque eo nomine aliquid se tibi aliquando debere fatuantur. Vale. Romæ. III. Non. April. MDLXX. (I, 49.)

14.

## ALEXANDRO RIPARIO.

Dulces litteræ tuæ, ut omnia, quæ a te profici-  
scuntur, etsi in eis multa peccaveras. Sed, ut filio-  
li balbutientes libenter audiuntur a patribus,  
suntque eorum etiam ipsi errores voluptati, sic  
mihi ista tua in litteris infantia jucundissima est.  
Eas ipsas ad te remitto mea manu emendatae.  
Scis enim, ita inter nos convenisse. Tu, mi  
Alexander dulcissime ac suavissime, sequere ma-  
gno animo eam viam, ad quam et tua te natura  
fert, et ego tibi hortator atque impulsor fui.  
Magnam de te spem meo testimonio apud paren-  
tes tuos concitavi: quæ ne et eos et me fallat,  
omni tibi cura ac studio providendum est. Vale.  
Nonis Julii Tibure. MDLXX. (I, 58.)

15.

Nepriores litteræ tuæ ad te pervenirent, Caroli  
incuria factum erat, cujus tu quoque negligen-  
tiam nosti. Nunc una cum his meis utrasque  
tuas accipies simulque hoc intelliges, (quod tibi  
gratuleris) posteriores multo meliores esse prio-  
ribus: ut, si ad istum modum pergas, magna mihi  
spes sit, te præclare responsurum exspectioni

meæ. Vide igitur, si me amas, quod et facis et facere certe debes, ut, omnibus aliis rebus neglectis, quantum quidem valetudinis ratio patietur, urgeas studia tua: multa legas, multa ediscas, multa audias, frequenter cum iis versere, quorum familiaritate ac consuetudine melior ac doctior fieri potes. Fac, cogites, gravissimam esse jacturam temporis; præcipue autem ista ætate, qua tu nunc es, hora nulla tibi perire sine magno dispendio potest. Saluta mihi præceptorem tuum, cui meas ad te litteras ostendas licet. Eas quidem, quas tu ad me missurus es, nemini prorsus ostendi volo: eas enim mihi gratiores faciunt ipsi errores tui. Vale, mi dulcissime Alexander.

IV. Id. Julii MDLXX. Tibure.

Oblitus eram scribere, heri in mensa injectum esse sermonem de comoedia: qua occasione multa de te quoque dicta sunt. Valde tibi tunc aures tinnivisse oportet. Omnino spero fore, ut huc tibi ad me veniendum sit. (I, 59.)

## 16.

**P**erge, ut facis, mi Alexander, amare litteras, eis te oblectare, in eis omnia et seria et joca tua collocare. Non magnus labor magno tibi olim honori futurus est. Ista via, quam tu nunc ingre-

deris, multi humili et obscuro loco orti ad amplissimas dignitates pervenerunt. Atque etiamsi nulla ejusmodi præmia litteris proposita essent: ipsa tamen doctrina amanda est per se; neque quidquam in homine ingenuo turpius est ignorantia earum rerum, quarum scientia sine litteris comparari non potest. Voluptas, quæ ex turpibus capit, celeriter transit; dolorem autem in animo diuturnum relinquit: at labor, in rebus honestis collocatus, ipse quidem effugit; memoriam autem sui in animo relinquit plenam honestissimæ et solidissimæ voluptatis. Hæc cogita et vale. Postrid. Id. Jul. Tibure. (I, 60.)

## 17.

**E**tsi nihil erat, quod scriberem, ac præterea mirum me quoddam scribendi odium tenebat; nolui tamen verberonem hunc meum sine meis ad te litteris istuc venire. Amo te quotidie magis, quod, a te litterarum studia eodem modo amari, confido. Sed velim, ad me diligenter scribas, quo te nunc scriptore oblectes, Cicerone, an Terentio, an, quod malim, utroque. Dare etiam operam debes, ut in iis, quæ ad me scribes, iis loquendi generibus utare, quæ in illorum scriptis notaveris: ut ea ipsa res fidem mihi faciat

diligentiæ in eis legendis tuæ. Vale. Tibure. V.  
Kalend. August. MDLXX. (I, 61.)

## 18.

**N**emo est omnium, ad quem libentius, quam ad te, scribam. Sum enim animo ac voluntate erga te plane paterna. Sed vix credas, quam sim in hoc secessu occupatus, quem tamen plerique omnes esse plenum otii putant. Et quotidie quinas aut senas ab amicis litteras accipio, ad quas si respondere omnes velim, nil aliud agendum sit. Gratum est mihi, quod applicuisti te ad consuetudinem P. Æmilii et Horatii Macarani. Eorum enim uterque te et doctrina et exemplo efficere meliorem potest. Tales sectare. Qui autem alio ingenio sunt, eorum consuetudinem quasi pestem aliquam vita. Ætati tuæ nihil diligentius providendum est, quam quibus sodalitatibus utare. Neque ego severum esse te ac tereum omnique generi voluptatum inimicum volo. Hoc tantum moneo, non eas amicitias quærendas, quæ dulcissimæ videantur, sed inducendum animum; ut, quæ honestissimæ sunt, easdem etiam dulcissimas esse ac suavissimas, putas. Mi Alexander, etiam atque etiam vale. Tibure. V. Id. August. MDLXX. (I, 62.)

## 19.

**V**ide, quam te amem! Cum a multis hodie litteras acceperim, nihil mihi prius faciendum esse duxi, quam ut ad te potissimum rescriberem. Cavé, putas, Alexander mi, ipsi te patri tuo cariorem esse, quam mihi. Acsì quæras, quæ caussa sit hujus erga te tanti amoris mei, ne vivam, si aliam adferre possum, quam quod videor mihi animadvertisse in te ingenium excellens et, si tu volueris, ad omnia summa natum. Sed tu hoc facito tecum cogites: multas res esse suapte quidem natura bonas, sed quæ culpa eorum, qui illas possident, interdum pessimæ ac perniciosissimæ fiant. Bonæ sunt opes, sed, si quis non recte utatur, malæ. Bonum forma, sed id bonum multis exitio fuit. Ex eodem genere est ingenium. Si recte utaris, nullum prope hominum generi dari potest majus aut præstabilius donum; sed, si ad bonum ingenium mala mens accesserit, itidem erit, ut gladius in manu furiosi. Quo erit melior et acutior, eo plus adseret mali. Ego autem te, Alexander, amo nunc, quia ingenio bono es; amare desinam, si tu bono ingenio male uti cooperia. Sed id spero non fore, teque bono ingenio bene usurum esse confido, vel tua prospontie, vel quia videris mihi valde amare amorem

erga te meum: quem tueri ac conservare alia ratione nulla potes. Vale et, si me amas, virtutem ac litteras ama. Nulla in humanis rebus majora bona sunt. Iterum vale. Tibure. VIII. Kalend. Sept. MDLXX. (I, 63.)

## 20.

**A**ccepi ternas tuas litteras; in postremis autem quædam erant ita negligenter scripta, ut facile constaret, aliud egisse te, cum illa scriberes. Ostendam ea tibi, cum istuc venero, et auriculam pervellam tibi: ut postea in scribendo attentior sis et saltem eos soloecismos effugias, quos effugerent etiam pueruli, qui primis litteris imbuuntur. Noli tamen ex hac mea admonitione molestiam ullam capere. Non enim propterea volo quidquam de tua hilaritate detrahi, sed ad diligentiam addi. Vale. Tibure. IX. Kalend. Octobr. MDLXX. (I, 64.)

## 21.

## M. ANTONIO CIOFANO.

**E**t ad litteras tuas et ad versus suavissimi adolescentis Julii Roscii citius respondissem, si habuissem, per quem arbitrarer litteras meas ad vos perlatum iri. Cepi tandem hoc consilium,

ut eas mitterem ad amicum quendam, qui mea  
caussa eas perferret in seminarium ad Roscium,  
a quo spero has quoque tibi redditum iri. Eadem  
caussa est, cur nihil rescribam ad litteras Germani  
illiis, quas tu a Manutio tibi datas ad me misi-  
sti. Scribit enim ad me Rostochio, cuius ego op-  
pidi nomen nunquam antea audiveram neque,  
ubi terrarum sit, scio. Et alioqui, ut verum tibi  
fatear, non admodum libenter scribo ad homi-  
nes ignotos; præsertim ortos in iis regionibus,  
ubi vulgo a recta et vera religione homines descir-  
verunt: vereor enim, ne imprudens ad aliquem  
*τῶν μεμιασμένων* litteras dem, cum quibus ego  
nihil mihi esse aut familiaritatis aut commercii  
volo. Nec caussa quidem ulla est, cur hoc qui-  
dem tempore, præsertim occupatus, respondeam  
ad litteras fratris tui, quibus mihi gratias agit,  
quod se episcopo Sulmonensi commendandum  
curaverim. Ego semper, quæ ad te quæque ad  
illum pertinebunt, studiosissime procurabo, ne-  
que in tanta nostra conjunctione ullus unquam  
gratiarum actioni futurus est locus. Manutium,  
si adhuc istic est, meis verbis salutes velim eique  
adfirmes, invaletudinem \*) ipsius mihi summo

---

\*) In valitudo bis terve apud Ciceronem  
legitur. Sed veteres libri, modo valitudo,

dolori esse: qui si forte animum induceret huc ad nos secedere et nobiscum transigere hos aestivos calores, fortasse perciperet eandem utilitatem e salubritate cœli Tiburtini, quam multi alii capiunt: a me certe exspectare posset ea omnia officia, quæ vetustissimæ inter nos amicitiæ et summis ipsius erga me beneficiis debentur. Salutabis etiam meo nomine optimum et eruditissimum hominem Fulvium Cardulum eique, quod adductus mea commendatione rationibus tuis consulere conetur, ex me quoque gratias ages. Plura scriberem, sed avocor. Vale XI. Kal. Sextil. MDLXX. (I, 91.)

## 22.

J U L I O R O S C I O.

**E**x elegiis, quas a te nuper accepi, dici non potest, quantum ceperim voluptatis: non tantum, quia me laudabant, (etsi ἡδιστον ἀκονσμα δέπαινος<sup>31</sup>) sed quia id elegantissime venustissimeque faciebant. Omnino multa mihi Hercules noster de ingenio tuo deque præstantia in pangendis

---

modo invalido præbentes, dubiam scripturam faciunt. Vide Drakenborch. ad Liv. epit. 13. RUHNK.

<sup>31)</sup> Xenoph. Hier. I, 14.

versibus dixerat. Sed tu eam opinionem, quam ego ex ipsius sermonibus de te conceperam, longe multumque superasti. Vere hoc tibi adfimo, nullum a multis jam annis vidi æqualem tuum, quem tecum in hoc genere conferendum putem; neque dubito, si perrexeris, quin possis aliquando inter optimos hujus seculi poetas censi, *Insignemque tuo capiti petere inde coronam, Unde prius paucis velarint tempora Musæ* <sup>32</sup>). Sin te, quod fore auguror, gravius aliquod studium, progrediente ætate, ab amœnitate poematum abduxerit; tamen te, mi Rosci optime et suavissime, hortor, ne Musas unquam plane deseras, neve unquam ita te addicas cuiquam illarum severioris, ut ita dicam, supercilii artium, ut non tibi identidem ex Musarum cantibus, si nihil aliud, petendam certe graviorum cogitationum elevationem putes. Neque te hoc factum esse diffido. Μοῦσαι γὰρ ὄσονς ἵδον ὄμματι παιᾶς, Ἀχρὶ βίου πολίους οὐκ ἀπέθεντο φίλους <sup>33</sup>). A me vero ut posthac omnia officia expectes, quæ ab homine amicissimo exspectari spossunt, te etiam atque etiam oro. Cum istuc rediero, erit mihi gratissimum, si interdum ad

<sup>32</sup>) *Lucret.* I, 928 sq.

<sup>33</sup>) *Callimach.* epigr. XX, 5 sq.

me, quod modo permissu eorum fiat, apud quos  
educaris, ventites meque ac rebus omnibus meis  
æque libere utaris ac tuis. Spero autem, consue-  
tudinem sermonesque nostros ad istam ipsam  
laudem, ad quam adspiras, consequendam tibi  
non prorsus inutiles fore. Vale, mi Rosci, tibique  
persuade, te a me plane in filii et quidem ὀψι-  
γόνον loco amari. XI. Kal. Sextil. MDLXX. Litte-  
ras, quas cum his accipies, peto, ut Ciosano, cum  
primum poteris, reddendas cures. (I, 95.)

## 23.

**I**n hac commutatione consilii de instituenda  
ratione studiorum tui, nihil me magis sollicitum  
habet, quam quod nescio, quos progressus in  
Græcis litteris feceris. Quarum sine mediocri  
saltē cognitione cave putas ad ullam doctrinæ  
præstantiam perveniri. Eis si ita imbutus es, ut  
possis Aristotelem suapte lingua loquentem in-  
telligere ejusque etiam interpres Græcos sine  
cujusquam interpretatione Latina consulere;  
non invitus patiar, te ad studia philosophiægra-  
dum facere, etsi, ut verum fatear, Demostheni,  
Thucydidi, Herodoto, Xenophonti et hujus ge-  
neriscriptoribus prætereaque poetis Græcis an-  
num adhuc unum dari maluissem. Volo equi-

dem, quidquid ages, prospere tibi ac feliciter evenire; sed tamen non committam, ut, si absque illo instrumento te ad philosophiam contuleris, dicere unquam possis, Muretum tibi ejus consilii auctorem fuisse. Neque hæc a me ita disputationur, quasi tibi in iis litteris, quæ humaniores dicuntur, consenescendum arbitrer. Longe semper ab ea sententia meus abfuit animus; sed tu et ea ætate es, ut properare non debeas, et eo ingenio, ut, si firma ac solida doctrinæ fundamenta jeceris, ad summa omnia facile perventurus esse videaris. Nam quod ais, sine eloquentia multos ad summam amplitudinem pervenisse, sine sapientia neminem: verius dixisses, et sine sapientia et sine eloquentia et sine ullo vero bono multos ea, quæ vulgo habentur amplissima, et olim consecutos esse et quotidie consequi. De quibus constitueram hoc loco pluribus dissere, sed avocor. Tres enim hic habemus cardinales, Augustanum, Varmensem, Alciatum: qui mihi omne prope tempus eripiunt. Mi Rosci, ignosce occupationibus meis et vale. Tibure.  
III. Non. Octobr. MDLXX. (I, 94.)

## 24.

## HORATIO CARDANETO.

**V**alde tardi effecti sunt tabellarii vestri, qui quadragesimo demum die litteras huc istinc adferant. Idem mihi accidit haud ita pridem in litteris quibusdam Gisberti Oddi, quæ, cum scriptæ ab eo essent mense Novembri, perlatæ ad me sunt ineunte Januario. Sed hoc tamen commode, quod hodie potissimum: ut qui dies unus ex omnibus summa hilaritate ab omnibus traduci solet, eo potissimum hilararer jucundissimo sermone litterarum tuarum et recordatione amoris erga me tui; simulque, quoniam ab interpellatoribus nihil est periculi, (ludis enim et spectaculis omnes hodie detinentur) vacui temporis ad respondendum aliquid haberem. Igitur de me meisque studiis jam cognosse te aliquid puto ex iis litteris, quas proxime ad Gisbertum dedi: satis enim scio, earum te statim participem factum. Tarentianum <sup>34)</sup> illud *si sit opus* joci caussa dictum est: quasi evenire ullo modo possit, ut hoc quoque facto opus sit. Ergo *si sit opus*;

---

<sup>34)</sup> Eun. II, 1, 17. III, 2, 26. Andr. III, 2, 10.  
Heaut. I, 1, 28.

*si quis a me id fieri postulet; si quis hoc sibi a me officium tribui petat; si quis in eo me sibi gratificari velit; si quid eveniat, ut publice intersit, eum laborem a me capi; et si cogites, multa nos quoque vulgo ita jocantes dicimus. Quando ita jubes, sedebo, cum tamen nemo jubeat. Honoris tui caussa ad prandium ibo, quasi qui id facit, non sua potius caussa faciat. Hodie in prandio pulcre tibi operam dedi, quasi, qui bene ac libenter vescitur, non sibi potius operam det, quam amico. Ex eodem genere est illud si sit opus, de quo satis jam multa. Albedo Latinum non est, non magis quam Nigredo. Sed ita sumus omnes, etiam qui paulo melius Latine loqui putamur, quam vulgus solet. Dum confidimus, nos jam eam facultatem consecutos, ut vel aliud agentes emendate loquamur, multa inepta et ne in pueris quidem ferenda effundimus. Isti præcipue delicati, qui omnia sibi præter Ciceronem putere ajunt; qui, si sine Nizolio possint unam aut alteram epistolam scribere, germanos se esse Cicerones, putant; qui Senecam contemnunt, Plinium irrident, Tacitum damnant, ad inferiorum vero temporum scriptores etiam nauseant; qui me aut mirantur aut miserantur aut irrident, quod ex Apulejo ipso aut Sidonio quædam petenda esse*

dicam ad usum Latini sermonis: illi igitur ipsi sæpe ita et loquuntur et scribunt, ut non eos modo, quos ipsi tantopere abjiciunt, quos præse contemnunt, sed eorum pistores ac coquos multo Latinius locutos fuisse constet. Ad omnia epistolæ tuæ capita responsum esse, arbitror. Vale. III. Kalend. Martii. MDLXXI. Romæ, quo ipso die litteras tuas accepi, quibus adscripta erat dies VII. Kalend. Feb., ne me tam sero tibi respondisse mireris. (I, 36.)

## 25.

**P**ostquam ad te nuper scripsi de illo Terentiano *si sit opus*, venerunt mihi in mentem alia, quæ apertius confirmarent explicationem meam. Simile igitur est illud ex Adelphis: <sup>35)</sup>

*Tu inter eas restim ductans saltabis. M. probe.*

*Et tu nobiscum una, si opus sit.*

Et illud Catulli ex epigrammate in Vettium: <sup>36)</sup>

*Ista cum lingua, si usus veniat tibi, possis.*

Sed nolo alterum versum adscribere neque puto, esse opus. Quamvis igitur sperabam, sententiam meam ita tibi probatam esse, ut nihil præterea argumentis opus foret; tamen ne

---

<sup>35)</sup> IV, 8, 34 sq.

<sup>36)</sup> XCVIII, 3.

hanc quidem ad te scribendi occasionem prætermittendam putavi. Vale et Gisbertum mihi saluta et si quos istic præterea nosti amantes mei. Romæ. Postrid. Non. Mart. MDLXXI.  
(I, 37.)

## 26.

## HERCULI CIOFANO.

**A**ccepi volumen orationum: de quo amo te, ut debedo, plurimum; eo simul atque usus ero, remittam. *Demere partem de solido die apud Horatium* <sup>37)</sup> sine ulla dubitatione est *meridiari*, id est, ipso meridie horam unam aut alteram dormire: quod qui faciunt, diem quodam modo frangunt ac dividunt neque eum unum ac solidum et ὀλόκληρον esse patiuntur. Itaque is, qui demit partem de solido die, dicitur id facere *nunc viridi membra sub arbuto stratus*, *nunc ad aquæ lene caput sacræ*. Et hoc ipsum Varro alicubi vocat *diem dividere*. De verbo *deducendi*, cur eo vim ullam significari putas, non sane video. Cleopatra quidem neque volens neque invita in triumpho ducta est. At non est tamen dubium, neminem volentem θριαμβεύεσθαι. Nemo enim volens vin-

---

<sup>37)</sup> carm. I, 1, 20.

citur aut poenas dat ei, adversus quem bellum gessit. Versus tui non insuaves sunt, et erit mihi gratum, si te, cum licebit, in hoc quoque genere exerceas. Vale. Romæ. IV. Id. Mart. MDLXXI. (I, 95.)

## 27.

## FRANCISCO BENTIO.

**U**traeque litteræ tuæ mihi gratissimæ fuerunt: hæ posteriores eo etiam gratiore, quod subdu-bitabam, ne ægre tulisses, nihil a me ad illas Senenses responsum esse, etsi videbar satis respondisse, cum, quæ petebas, ad te miseram. Mihi enim videtur melius petenti respondere, qui silentio facit, quod rogatur, quam qui verborum affatim rependit, rei nihil. Gaudeo, te Perusiam venisse, unde (opinor) crebrius a te litteras exspectare potero. Cupio autem scire, quem potissimum scriptorem explicandum susceperis. Nam, si nihil aliud, exacuam indu-striam tuam teque fortassis ad locos quosdam diligentius, quam ab aliis solent, tractandos ex-citabo. Cave enim, putes, quidquam mihi acci-dere posse jucundius, quam videre te τηλυγέτην, ut ita dicam, disciplinæ meæ alumnū, floren-tēm laudibus et quotidie longius progredien-

tem in ea via, quam me tibi olim monstrare memini: etsi tu quidem, ut a me discessisti, multo, quam ego sum, meliores magistros nactus es. Sed quid tum? blandior mihi γεροντικῶς et, quia te olim nescio quid docui, videor mihi te, quantus quantus es, aut potius quantus futurus es, produxisse. Sed ut hæc missa faciam, scin' tu, me nuper a pontifice iterum *antiquo*, ut ait Horatius, <sup>38)</sup> *inclusum ludo*? Cum enim Cæsarius multorum jam stipendiiorum veteranus missionem impetrasset, egerunt mecum primum cardinales, deinde etiam ἀυτὸς ὁ ἀρχιερεὺς, ut eam provinciam susciperem. Multa argumenta allata sunt, quæ me moverent, sed unum ἀλητοῦ καὶ ἀφυκτοῦ, quod pro ducentis aureis annuis quadringentos proposuerunt; homini autem egenti et propter imminentem senectutem paulo ad rem attentiori nullum medicamentum adhiberi potuit efficacius. Itaque redibo jam ad veteres illos congerrones meos, Ciceronem, Horatium, ceteros et mihi quodammodo repuerascere videbor. Tumultuantur tamen, qui ex me pandectas audiebant, et negant, se quenquam alium ferre posse; plerique etiam, nisi me habeant, jurisprudentiæ

---

<sup>38)</sup> epist. I, 1, 3.

se multam salutem dicturos esse, profitentur. Ipsi viderint. Ego ludibundus quadringentos illos quotannis in arcam, Θεοῦ Θέλοντος, concludam, ut sit aliquando, unde otio frui possim. Beatum te, qui eam vivendi rationem ingressus es, ubi a talibus curis animus liber est. Noli tamen putare, a me ipso hæc ita curari, ut anger: λαμβάνω τὰ διδόμενα, et, quia usque huc paulo negligentior fui, ex illa negligentia ita aliquid detraho, ut nihil detrahā ex hilariitate. Adolescentem, qui mihi litteras tuas redidit, vidi perlibenter; et mihi, quantum ex una collocutione existimandi potestas fuit, virus est tua commendatione dignissimus. Saluta mihi, si quos istic nosti studiosos mei. Vale, mi Benti optime et suavissime, et me ama. Romæ. V. Kal. Sept. MDLXXII. (I, 41.)

## 28.

## CONSTANTIO BARGELLINO.

**N**unquam putassem fore, non modo ut ex tuo, sed ut ex cuiusquam dolore voluptatem capere possem. Et tamen, si vera dicenda sunt, fatear necesse est, jucundissimum mihi fuisse, quod ex litteris tuis intellexi, vehementer doluisse te, cum primum de invaletudine mea nuncius

**i**stuc allatus est. Dolor enim ille aliunde, quam ab eximio quodam amore erga me tuo, proficisci non potuit, et mihi, ex quo te primum vidi atque ex aliis plurimis audivi, qua tu eruditio ne ac virtute vir essem, nihil optatius fuit, quam ut abs te amarer. Jam optabilium rerum signa atque argumenta omnia jucunda esse, notum est. Incredibiliter igitur gavisus sum, Bargelline, vir præstantissime, tanti me a te fieri, ut et mirificum dolorem senseris, cum me graviter ægrotare audisti, et exhilaratus sis, simul atque Dei beneficio morbum depulsum esse cognosti. Quanquam ego ipse nondum satis constitui, utrum mihi satius fuerit, ex hujus vitæ miseriis quam primum eripi, an diutius hic manere. Certe enim, cum omnes summo consensu medici dictitarent, nullam prope amplius reliquam esse spem evadendi; ita me compararam atque ita animum composueram, ut neque angerer neque ternerer mortis, ut putabatur, imminentis metu neque quidquam aliud a Deo peterem, quam ut mecum misericorditer ageret, condonaret errata anteactæ vitæ neque pateretur, me in illa separatione animi a corpore aut diutius aut vehementius torqueri, quam vires meæ ferre possent. Hoc ego tum unum agitabam animo; hoc ex animo preca-

bar; hoc ceteros quoque, qui mihi assidebant,  
ut a Deo mihi impetrare conarentur, obsecra-  
bam. Spero tamen, relictum esse me a Deo in  
hac vita, ut maculas superiori ætate contractas  
lacrymis deleam tandemque, omissis et ab-  
jectis vitiorum illecebris, saltem jam senex eam-  
vivendi rationem capessam, quam tenere a  
principio debuisse. Atque a te, vir clarissime,  
etiam atque etiam peto, ut me ad hoc animi mei  
propositum persequendum, ut exemplo incitas,  
ita et monitis ac præceptis et fusis pro me ad  
Deum precibus adjuvare digneris. Jucundissi-  
mum mihi fuit munus tuum. Nam radiculæ  
illæ non tantum palato suaves sunt, sed etiam  
ad valetudinem meam valde accommodatae.  
Mitto ad te, ut te pro opibus remunerer, librum  
unum orationum mearum et poemata quædam,  
quæ spero te libenter lecturum esse, non quod  
valde bona sint, sed quod mea. A te peto, uti  
me amare pergas tibique pro certo persuadeas,  
te a me ita observari ac coli, ut paucos admo-  
dum habeas tui, quam ego sum, studiosiores.  
Vale. Romæ. XIV. Kalend. Mart. MDLXXVI  
(I, 55.)

## 29.

## PAULO SACRATO.

In multis, tenuibus illis quidem, sed ipsa assidueitate molestissimis occupationibus meis usus eram ea libertate, quam tu mihi dederas, ne prius ad litteras tuas respondere necesse haberem, quam episcopus Hadriæ istuc rediret. Quod dum exspecto, etsi quibusdam et meis et ipsius familiaribus negotium dederam, ut me tempestive de discessu ipsius admonerent; prius tamen, eum abiisse, rescivi, quam de abitu cogitare cognossem. Factum id non modo eorum, quibus id mandaveram, negligentia, sed et consuetudine quadam multos jam menses a me suscepta, nunquam, nisi cum urget necessitas, exeundi domo et perraro veniendi in ædes cardinalis: non quin et ipse me libenter videat, et ego eum, qua debeo, observantia colam; sed tanta me satietas, tantum odium et aulæ et rerum aulicarum cepit, ut nunquam mihi magis solus videar, quam in illa turba; nunquam melius comitatus, quam cum me solus in bibliothecam abdidi. Itaque cum cardinale ipso ter, opinor, aut ad summum quater collocutus sum, postquam huc venit. Multi fortassis hanc aut asperitatem aut rusticitatem vocabunt. Vo-

cent sane, ut libet. Mihi ægre est, quod non jam pridem ita vivere cœperim. Et tamen, vivente Hippolyto cardinali, alia ratio erat. Referta erat domus hominibus eruditis, ex quorum convictu ac sermone aliquid perpetuo discesses. Ipse, quanquam doctrina mediocri, magno tamen et excenso ingenio et mirifice dedito studiis nostris. Itaque domus ipsius Academia quædam videri poterat. Hic amat quidem et ipse mirifice homines bonarum artium scientia excultos, sed sua ei comitas damno est. Dum enim omnes blande excipit, cum omnibus humane colloquitur, facilem se atque obvium omnibus præbet; excitat quidem admirabiles amores sui, sed a tam multis gratiam ipsius ambientibus perpetuo obsidetur, ut ei vix ad curandum corpus satis temporis supersit. Quid quæris? Ego, qui quotidie cum illo altero suavissimis sermonibus horas aliquot transigere consueveram, nunc in alium quendam orbem mihi delatus videor. Sed hæc mussanda sunt; quæ tamen semel in tuum hominis amicissimi sinum effundere volui, putans, in eo aliquid levationis fore. Nunc ad alia venio. Quod tam sæpe me in epistolis tuis tamque honorifice appellas, gratiam habeo; etsi video, te multo plus amori, quam judicio tribuere. Sed hoc ipsum

non minus jucundum est, sentire, me a te unice diligi. Quod nunc præterea scribam, nihil habeo, nisi forte illud scire vis, me hoc anno, si Deus volet, explicaturum publice libros politiorum Aristotelis, in quibus video mihi natus operam et multa ab aliis interpretibus non animadversa dicturus. Hoc te puto malle, quam quid de bello aut pace dicatur, et quæ ejus generis vulgo a circumforaneis hominibus disseminantur.*"Ἐκαστος γὰρ τῶν ἔαυτοῦ κῆδεται.* Vivamus, mi Sacrate, vivamus et consenescamus in studiis nostris, contemnentes ea omnia, quæ vulgo maximi fiunt. Deum et æternitatem cogitemus. Alia omnia fluxa et caduca sunt. Vale. Romæ. III. Id. Jul. MDLXXVII. (I, 23.)

## 30.

JOANNES ZAMOSCIUS

M. ANTONIO MURETO S.

*Tum ex constanti fama, tum ex scriptis tuis, quæ in lucem a te edita manibus omnium, ob eorum elegantiam, teruntur, cognovi, quantus sis in litteris. Facile igitur tua virtus me, etsi tanto locorum intervallo a te remotum, et eum, qui te nunquam viderim, in tui amorem trahere potuit: cum et ipse eas, licet earum ignarus ac in vita*

*civili occupatus, amem. Id tibi litteris hisce meis  
breviter significare volui. Plenius vero per gene-  
rosum Joannem Zamoscium, serenissimi regis  
nostrí secretarium, qui istuc a rege missus est.  
Cui tu fidem in iis, quæ tibi nomine meo nun-  
ciabit, adhibebis et me tui amantem redamabis.  
Vale. Ex castris ad Gedanum. III. Kal. Jul.  
MDLXXVII. (I. 79.)*

## 31.

## S T E P H A N O Poloniæ regi.

Nihil in vita aut optabilius authonorifcentius mihi contingere potuit, serenissime rex, quam ut homo neque ingenio neque doctrina præter ceteros præstans, amplissima et honestissima conditione proposita, a majestate tua in Poloniā vocarer. Quo equidem venire cupiebam, non tam privati commodi spe, quam mirifico quodam studio incensus videndi ac venerandi minus eum principem, qui solus hodie confirmat vetus dictum hominis sapientissimi : <sup>39)</sup> *tum demum beatas civitates fore, cum aut philosophi regnarent, aut reges philosopharentur* Sed id, cum ita cuperem, ut nihil unquam cu-

---

<sup>39)</sup> Plato. nis de republ. V. p. 52 sq. ed. Bipont.

pierim ardentius, cur efficere non potuerim,  
regia majestas tua ex Joanne Zamoscio secre-  
tario suo intelliget. A qua supplex peto, ut ne  
propterea dedignetur me in suorum numerum  
adscribere neque iniquo animo ferat, me,  
dum vivam, quibuscumque modis potero, et  
loquendo et scribendo, quantum regiae ipsius  
liberalitati debeam, profiteri ac prædicare.  
**Deus Opt. Max.** regiam majestatem tuam rebus  
omnibus florentissimam quam diutissime ser-  
vet. Romæ. Kalend. Decembr. MDLXXVII.  
(I, 80.)

## 32.

## JOANNI ZAMOSCIO.

**P**ræter spem et opinionem meam accidit, ut  
cum inter me et Joannem Zamoscium serenis-  
simi regis secretarium omnibus prope de rebus  
convenisset, jamque ego me ad iter accingerem  
atque isthic animo et cogitatione totus essem,  
subito ostenderit Gregorius pontifex maximus,  
professionem meam sibi non placere; meque  
per viros summa auctoritate præditos monen-  
dum curaverit, ne ex urbe discederem: sibi cu-  
ræ fore, ut ne in urbe deteriori conditione es-  
sem, quam quæ mihi in Polonia deferretur.

Quin etiam ad quingentorum aureorum numerorum stipendum, quod mihi jam pridem constitutum erat, statim ducentos adjici jussit mandavitque datario suo, primo quoque tempore quoquo modo efficeret, ut aliunde mihi trecenti aurei nummi quotannis penderentur. Ea re factum est, ut coactus sim deponere consilium, quod ceperam, veniendi ad vos: a quo, ne vivam, si me alia ulla res, quam summi pontificis voluntas atque auctoritas abducere potuisse. Interea, etiam tacente me, facile omnes vident, quantum serenissimo ac potentissimo regi Stephano, quantum tibi, Zamosci clarissime, debeam. Vobis enim, nisi plane ingratus sim, hanc tam luculentam fortunarum mearum accessionem acceptam feram necesse est. Quare dum vivam, me utrique tantum debere fatear oportet, quantum ab homine deberi homini plurimum potest. A te etiam atque etiam peto, ut mihi veniam a serenissimo rege impetres tibique persuadeas, si ullum tempus unquam eveniat, ut me vitam ipsam vel pro majestate ipsius vel pro tua, clarissime Zamosci, dignitate in discriben exponere oporteat, nemini me concessurum, qui id promptius aut majori animo faciat. Vale. Romæ. Kalend. Decembr.  
**MDLXXVII.** (I, 81.)

## 33.

## PAULO SACRATO.

Tandem ad te remitto epistolas tuas: neque enim per assiduas occupationes et per molestissimum oculorum dolorem, quo dies aliquot laboravi, citius licuit. Eæ si conquerentur, se a me paullo severius acceptas esse; recordari debabis, hoc ipsum a te mihi mandatum esse: ut, si mollius ac lenius eas tractare voluissem, vendendum mihi fuerit, ne tibi non satis obsequens viderer. Sed de his satis. Nunc exponam tibi totum illud negotium Polonicum, quando litteræ, quas ad te, re adhuc recenti, scripseram, perierunt. Stephanus Poloniæ rex, qui et aliis regiis virtutibus ornatissimus est et hoc supra ceteros omnes reges, qui multis abhinc seculis vixerunt, eximium habet, quod et amat unice homines eruditos et ipse omni elegantis doctrinæ genere mirifice excultus est, miserat in Italiæ unum e domesticis suis, qui quasi delectum quendam haberet præstantium doctrina virorum eosque, opimis admodum propositis conditionibus, in Poloniam invitaret ad academiam novam, quam rex Cracoviæ instituere parabat. In mandatis autem regiis, quod ad alios quidem attinet, facta erat potestas ei, qui

huc venerat, optimum quemque et in docendo exercitatissimum diligendi; de tribus nominatim prescriptum erat, de me, de Carolo Sigonio et de Fulvio Ursino. Ac mihi merces proposita mille quingenti quotannis aurei numi. Addebat rex, si sacris initiari vellem, (nondum enim sciebat, me sacerdotem esse) perfecturum se, quo mihi magis liberet manere in Polonia, ut intra breve tempus honesto aliquo sacerdotio, ex quo non minus quingentos annuos aureos numeros caperem, coheresterar. Ea de re unus e primoribus illius regni, Joannes Zamoscius, qui nunc magnus regni cancellarius est, litteras ad me peramanter perque honorifice scriptas dedit. Commotus sum non tam ipsius præmii magnitudine, (etsi his quidem temporibus inusitata) quam tanti regis tam propensa ac benefica erga homines litterarum studiis deditos voluntate. Neque me commovebat itineris difficultas: qui exploratum haberem, cum lectica, una cum siliolo fratris mei, puero sex annos nato, quem mecum illuc ducere cogitabam, ad fanum Lauretanum (eo enim religionis ac pietatis caussa iter facere decreveram) gestatus essem, posse me cisio Cracoviam usque commodissime vehi. Et jam convenierat, ut mihi regis nomine ad iter conficien-

dum darentur trecenti aurei numi, ad quos ego ducentos de meo praeterea addere cogitabam. Jam mihi illud sanctitatis et doctrinae specimen, Stanislaus, cardinalis Varmiensis, gratuitam habitationem in palatio, quod Cracoviæ habet amplissimum, offerebat. Multæ a summis viris litteræ commendatitiae in Germaniam et in Poloniam promissæ erant: ut, cum eo venissem, nunquam fere in diversoria publica ingredi necesse haberem. Neque verebar illam, quae in Polonia esse dicitur, inclemantium caeli asperitatemque frigoris. Sciebam, illa omnia remredo minora esse, quam fama; et alioquin ipse quoque natus in parte Galliæ maxime montosa ac frigida. Quod autem quidam, qui deterrere me cuperent, clamabant gentes illas feras ac barbaras esse; interdum mihi risum, interdum stomachum movebant. Magna mihi, Sacrate, cum multis Germanis, magna cum permultis Polonis familiaritas, magnus usus, magna necessitudo fuit. Semper eos expertus sum bonos viros, rectos, simplices, apertos, humanissimos praeterea et prope omnes eo vitae cultu ac munditia, quae ad elegantiam potius, quam ad ullam barbarem, accederet. Nugae istae sunt hominum,

eos, qui adulari et fallere et aliud loqui, aliud cogitare nesciunt, barbaros vocantium. Utinam nos eo modo barbari essemus! Utri vero barbariores sunt: nati in media Italia, quorum vix centesimum quemque reperias, qui Latine aut Graece loqui sciat aut litteras amet? an Germani ac Poloni, quorum permulti et earum linguarum utramque perfectissime callent et ita litteras ac liberales disciplinas amant, ut in eis tempus omne consumant? Olim illi fortassis asperi ac barbari fuerunt; hoc quidem seculo, vereor, ne ad nos barbaries, ad illos cultus et splendor vitae et eruditio atque humanitas, mutatis sedibus, commigrarint. Itaque, ut verum tibi fatear, libentissime eo commeassem, si nihil obstitisset. Quidquid enim commodi mei caussa ab eis petebam, id omnes prolixe ac copiose offerebant: ut jam constaret, inter nos sine ullo negotio conventurum esse. Quid quaeris? Fidem eis dederam, venturum esse me, si per summum pontificem, cui servio, et per cardinalem Estensem, cujus in clientela ac familia sum, liceret: alioqui enim non posse me, nisi eorum permissu, de me ipso quidquam tale polliceri. Putabam autem, neutrum eorum hoc iniquo animo laturum:

cam cardinalis quidem gratis me alat (nullam enim ad rem mea opera utitur), summus autem pontifex ingentem copiam habiturus es- set eruditissimorum hominum, qui se in locum meum substitui postularent. Contra tamen accidit, quam putaram. Etenim cum rumor de meo discessu tota jam Urbe pervulgatus esset, conservatores populi Römani (is summus magistratus est eorum, qui hodie populi suffragiis deferuntur) ad pontificem accedunt, cum praesentes etiam adessent ii ex cardinalibus, quibus studiorum cura commissa est, remque ei exponunt atque ab eo supplices petunt, ne me abire patiatur, addunt multa de me, quae malo te ex aliis cognoscere. Pontifex benigne eos audit, bono animo esse jubet, se, quod opus foret, impe- raturum esse, confirmat. Paucis post diebus per Ludovicum Castaneum Rupipozaeum, Christianissimi regis oratorem, virum et clari- tate generis et virtute et eruditione pree- stantem, jubet mihi denuntiari, ne abeam: sibi curae fore, ne me, quod auctoritati suae paruisse, poeniteret. Respondi, nullam pe- cuniā mihi esse tantī, ut mihi quidquam placeret, quod pontifici displiceret, et hono- rificum quidem mihi visum esse, quod a tan-

to rege vocarer, sed multo honorificentius, quod et a pontifice et a tali pontifice retinerer. Pontifex postea epistolam ad me misit amantissime scriptam, qua ad stipendum quingentorum numorum aureorum, quod jam pridem capiebam, significabat, se ducentos præterea addidisse. Eodem tempore Matthæus Contarellus, pontificis datarius, vir et eximia quadam integritate vitæ et singulari Romanarum rerum intelligentia insignis et mei, ut scis, amantissimus, certiore me fecit, sibi a pontifice mandatum esse, ut mihi quam primum attribueret et assignaret annuam trecentorum aureorum numorum pensionem. Itaque rex tam longinquus effecit testimonio et judicio de me suo, ut sanctissimi pontificis liberalitate ad veteres fortunulas meas accesserint anni quingenti aurei numi. Sed et cardinalis Estensis, simul atque istinc rediit, ample me atque honorifico munere donavit: quod ego eo magis prædicare gestio, quod ipse tacere me jussit. Parendum tamen est, ne, dum gratus haberi volo, me illi non satis morigerum præbeam. Sed et ego scribendo defessus sum et te suspicor, cum hæc tam verbose scripta legeris

fessum fore. Vale. Romæ. Prid. Kal. Maji.  
MDLXXVIII. (I, 66.)

## 34.

**H**eri accepi a te litteras reliquarum tuarum simillimas, id est, amorem et suavitatem omni ex parte spirantes. Pro quibus quid tibi, mi Sacrate, respondere possim, equidem non video. Nihil enim jam pridem jubes me tua caussa facere, neque sane, ut sunt tempora, video, qua in re opera mea uti possis. Sed si quid evenerit, noli quæso dubitare, quin is erga te sim, qui debeo et qui semper fui. Mihi crede, neque te quidquam usquam amabilius est, neque tu quemquam habes amantiorem ac studiosiorem tui. Sed hæc inter nos supervacanea videntur. Mitto ad te libellum quendam, quem in gratiam τοῦ ἀντιοῦ scripsi \*). Cum enim prima elemen-ta Latinæ linguæ ei tradere vellem, nihil re-periebam ad captum tam teneræ ætatis accommodatum. Ea res coëgit me repuerascere. Neque magis id mihi alienum aut in-decorum puto, quam olim Agesilao fuit de-

---

\*<sup>o</sup>) Inscriptur Institutio puerilis a d M. Antonium Fratris F. Anno superiore seorsum est edita Heidelbergæ.

prehendi cum filiolis equitantem in arundine longa. Tu illud carmen, qualemque est, quia meum est, libenter, ut opinor, videbis. Vale. Romæ. XVI. Kal. Dec. MDLXXVIII.  
(III, 26.)

## 35.

NATIO GERMANORUM IN SCHOLA  
PATAVINA JURISPRUDENTIÆ  
OPERAM NAVANS

M. ANTONIO MURETO.

*R*em arduam sane tentamus atque difficilem, sed, ut speramus, iudicio tuo, Murete, et auctoritate confirmati, laudabilem inprimis et fructuosam, non tam nationi nostrae, quam universae reipublicae litterariae. Petimus a scholae Patavinae triumviris, magno multorum nobis adversantium odio atque invidia, jureconsultum, qui pandectas juris civilis in eadem schola publice interpretetur, non more illo barbaro et incondito, sed Gallico, hoc est, omnium recte sentientium iudiciis comprobato. Ex omnibus autem jureconsultis, quos praecellentissima doctrina in Italia vel ipsi novimus vel fama et praedicatione aliorum accepimus, neminem scimus, quem tibi hac in parte comparare, nedum

*anteferre debeamus. Quod itaque ex fide dignis hominibus jam pridem intellexissemus, non te penitus consilium abjecisse redeundi in haec loca et in ius, quod vitae reliquum est, transi- gendi; unum te, quamvis ignarum hujus insti- tuti nostri, ex omnibus nominare et a triumvi- ris coram et per litteras flagitare non dubitavi- mus. Qui nobis polliciti fuerunt denique, se ad legatum Venetum, qui Romae est, scrip- turos eique, ut de hac re tecum agat, negotium datus. Quod vero scire non possumus, quid tecum ille aut an omnino egerit aliquid, ex diu- turna vero mora et conatibus multorum spei nostrae quaedam minus convenientia metuimus; his te litteris rogare ausi sumus, ut de tota hac re deque animo et consilio tuo aliquid certi quam primum nobis significare ne graveris. Nam illud humanitas singularis tua et animus ille tuus ad praecclara omnia comparatus ne ro- gare quidem nos patitur, ne vel desiderio no- stro tam honesto vel communium litterarum caussae vel laudi denique et gloriae tuae deesse velis. Quam etsi summam jam adeptus es, splen- descet illa magis tamen, novae hujus dignitatis quasi luce collustrata, quae ad omnis gloriae cumulum uni tibi divina quadam sorte destina- ta videtur. Praestitisti tu quidem antehac exi-*

*mia omnia planeque admiranda et eloquentia tua prope divina omnes populos ac gentes tibi devinxisti, quae sensu aliquo humanitatis prae-ditiae sunt. Reliquis est, ad extremum vitae actum tibi reservatus, ingens quidem ille labor, sed viro magnanimo et ad summum laudis et gloriae fastigium contendenti, optatus maxime atque jucundus, ut scilicet, alter tanquam Hercules, hydra illa tot capitum confecta, Augiae stabulo expurgato, denique barbarie foedissima profligata, reginam scientiarum omnium jurisprudentiam in pristinam dignitatis sedem restituas. Est illa sane laus maxima, ut diximus, quam ex ceteris studiis et laboribus tuis es consecutus, sed tamen communis tibi quodammodo cum doctissimis quibusdam viris. Haec vero laus, quae ex inusitato et paeclarissimo facinore te manebit, tua erit propria, tibique uni victoriae tam insignis triumphi omnes debebuntur. Sed indecora facimus, qui ad ea te incitemus, ad quae sponte te inflammatum esse novimus. Studium profecto summum et desiderium tui nostrum ex his litteris per-spicies. Cui desiderio si eventus responderit, tuque spem optatissimi adventus ad nos tui no-bis confirmaveris; officio apud triumviro-s nostros non sumus defuturi et, si quid nationis*

*nostrae preces, si quid utilitas et dignitas scho-  
lae Patavinae apud viros prudentissimos et lit-  
terarum amantissimos poterunt, brevi magnum  
illum Muretum in amplissimo hoc orbis terrarum  
gymnasio de omni barbarie triumphanter aspi-  
ciemus. Vale. Datae Patavii III. Non. Januarii,  
anno post partum Virginis MDLXXVIII.  
(III, 69.)*

## 36.

SODALITATI GERMANORUM IN  
SCHOLA PATAVINA JURISPRU-  
DENTIAE STUDIA COLENTIUM

M A N T O N I U S M U R E T U S.

Tertio Idus Januarii, cum jam advesperas-  
ceret, accépi litteras vestras, hoc est, eo ipso  
die, quo tabellarii publici, qui statis diebus  
hinc Venetias eunt, iter ingressuri erant:  
quo factum est, ut statim respondere non  
potuerim. Postridie autem ejus diei conveni-  
legatum Venetum, ut ex eo cognoscerem,  
num quid in mandatis habuisset ea de re,  
de qua vos ad me amantissime et honoriscen-  
tissime scripseratis. Negavit, quidquam ad  
se tale aut a triumviris aut a quoquam alio

scriptum esse. Ex quo facile intelligere potestis, non tantam haberi honestissimae voluntatis vestrae rationem, quantam par erat. Omnino autem video rationem illam tradendæ veræ ac solidæ jurisprudentiae, quæ hodie in Gallia viget, Italis non placere: etsi ego quidem in hac urbe, cum libros digestorum interpretarer, multorum studia commoveram jamque illud consecutus eram, ut plerique istorum, qui magno fastu illas, quas vos merito aversamini, ineptias docent, soli in scholis relinquenterunt. Itaque quidam ex eis adierunt pontificem ac cum eo egerunt, ut ne me illam docendi juris rationem tenere pateretur; alioqui fore, ut juventus orationis suavitate capta præclaram Bartoli et talium doctrinam repudiarent; se quidem, si ego ulterius pergerem, destituros potiusque se docendi munere abdicatueros. Quid plura? et ipsi facile persuaserunt, quod volebant, et ego non ægre a me obtinere passus sum, ut annuo quingentorum numorum aureorum stipendio proposito, eloquentiae potius et politices præcepta traderem. Nuper etiam cum me Stephanus Poloniæ rex tantis propositis præmiis, quanta vix cuiquam alii cujusquam artis professori hoc tempore proposita fuisse

scimus, in Poloniam evocasset; pontifex, ut me in urbe retineret, suapte sponte ad vetus illud stipendum quingentorum ducentos præterea numos aureos annuos addidit porroque se multa facturum pollicetur, quo mihi magis in urbe esse libeat. Quo igitur in statu res sit, videtis. Hesterno quidem die curavi, ut ipse pontifex per oratorem regis Galliæ, qui hic est, de vestra audiendi mei cupiditate certior fieret. Qui cum hoc libenter accepisse visus esset, *cur non ipsi*, inquit, *potius huc veniunt?* *Excipientur enim a nobis onus generis humanitatis*, neque tunc impediemus, quo minus Muretus arbitratu suo illorum studiis obsequatur. Certe pontifex ipse propensissima est in gentem vestram voluntate; neque vobis ignotum est, quantam vim pecuniae quotannis attribuerit et assignaverit Germanis aliquot adolescentibus educandis. Ego vero, nobilissimi et ornatissimi viri, semper mirifico animo erga Germanos fui, motus ingenua quadam simplicitate et integritate ab omni fuco et fallaciis remotissima, quam in eorum plerisque ita cognoveram, ut eam laudem gentis vestræ propriam esse statuerem. Quando igitur istie una esse non licet; videte, cum rationibus vestris expadiat huc venire et

**mecum una, communi studio, ad vindicandam  
a barbarie jurisprudentiam incumbere.** Mihi  
credite: si vobis huc venire libeat, aliquid fiet.  
Quæso autem obtestorque vos, ut, quidquid  
hac de re consilii capietis, ad me scribere ne  
gravemini vobisque ita plane persuadeatis,  
quidquid a me vestra caussa aut publice aut  
privatim fieri poterit, id semper cupidissime  
facturum esse. Romæ. XV. Kalend. Februar.  
**MDLXXVIII. (III, 70.)**

## 37.

**JACOBO CUJACIO.**

**B**iennium jam est et eo amplius, Cujaci, V.  
C., cum Lælius Ubaldinus et Octavius Bandi-  
nus, summo genere nati adolescentes, in Gal-  
liam se studiorum caussa, auctore potissimum  
atque impulsore me, contulerunt. Nam cum  
ex me ipsorum propinqui quæsiissent, quid  
eis potissimum faciendum esse, quaue ratio-  
ne ipsorum studiis optime consuli posse cen-  
serem; auctor eis fui, ut Lutetiam primum  
irent ibique se Græcarum litterarum et phi-  
losophiæ magistris recoquendos darent, dein-  
de jus civile, cuius studio incensi erant, ne-  
que usquam hodie, nisi in Gallia, neque in  
Gallia, nisi a Cujacio, recte ac vere disci-

posse sperarent. Ita igitur fecere et, quod  
meo consilio paruerint, sibi magis magisque  
in dies gratulantur. Ego autem, Cujaci, am-  
bitiosum fateor esse me, et, quod Thucydi-  
des <sup>40)</sup> ait, unum hoc πάθος senii expers esse,  
vere ab eo dictum, demum experior. Quare  
cuperem, eos, qui mihi jam multum se de-  
bere agnoscant, quod indicaverim sibi iter  
ad fontem, debere etiam mihi, quod a te,  
mea caussa, libenter viderentur exciperentur  
que ea humanitate ac comitate, qua tu exci-  
pere omnes ingenuo ac liberali præditos in-  
genio soles. Sed vereor, ne mea jam sera  
commendatio sit, neve ipsi, qua sunt et mo-  
rum et ingenii elegantia, ita te jam, homi-  
nem ὑπὸ τῶν τοιούτων εὐάλωτον, ceperint,  
ut novæ commendationi nullus supersit locus.  
Peto tamen a te, quantum me amas, (et puto,  
me a te non vulgariter amari) ut, sive ali-  
quid est, quod addi ad tuam erga eos bene-  
volentiam possit, id mea caussa adjicias, sive  
ita jam eos amas, ut nulla fieri possit acces-  
sio; reperias ipse tamen atque excogites ali-  
quid, quod, commendatione mea adductus,  
eorum caussa fecisse videaris. Ego te, Cuja-

---

<sup>40)</sup> II, 44.

ci, eximie amo et, quantum in me est, excito horum hominum ingenia ad evolvendos libros tuos et ad cognoscendam doctrinæ tuæ præstantiam. Te quoque æquum est aliquid mea caussa facere. Majus autem facere nihil potes, quam si his duobus adolescentibus ostendas, meam commendationem aliquid apud te valere. Vale. Romæ. VII. Kalend. Febr. MDLXXIX. (I, 67.)

## 38.

## PAULO SACRATO.

Volo te, mi Sacrate, miseriarum mearum participem facere: ita enim leviores videntur fore, si eas in amicissimi hominis sinum deponuero. Accidit mihi his diebus quiddam, quod me prope ad insaniam adegit, certe quidem ita conturbavit, ut nunquam in vita commotiorem fuisse me meminerim. Nosti, opinor, facilitatem meam, et ut omnes, qui notam modo aliquam humanitatis præ se ferre videantur, in bibliothecam meam admittere eisque mea omnia aperire ac patefacere soleam. Eorum quidam (quis fuerit, suspiciari possum, pro certo adfirmare non possum) nuper, data occasione, Plauti librum,

in quo emendando viginti quinque annos et eo amplius insudaveram, furto subripuit et una cum eo alios aliquot libros, quorum jactura minus me movet, quia similes alios pecunia parare possum. Plautus me conficit, Plautus me angit et exanimat, Plautus quiescere me non sinit. Pericrunt tot annorum sudores ac vigiliæ; adempta est voluptas, quam maximam ex illius lectione capiebam; præcisa spes gloriolæ, quæ ex tot locis emendatis sperari poterat: quam etsi non aucupor, facere tamen non possum, quin doleam eam mihi, mea stultitia, aliena improbitate subreptam. Idem ille plagiarius, quisquis est, septem folia libelli mei, quæ tu ad me miseris, abstulit: in quo magis etiam improbitatem suam declaravit, qui id quoque suffurari voluerit, ex quo ad se quidem nihil commodi, ad me autem aliquid incommodi perventurum esset. Peto igitur a te, primum ut meo dolore doleas; deinde ut ad me quam primum septem illa prima folia mittas: octavum enim habeo. Ego autem missurus ad te statim sum interpretationem Græcorum et indicem eorum, quæ a librariis peccata sunt. Vale et me ama. Romæ. III. Idus Januar. MDLXXXI. (III, 28.)

## GILBERTO GENEBRARDO.

Et litteræ tuæ suaves mihi atque optatæ fuerunt, et liber, quem ad me misisti, multis nominibus carissimus. Primum quod ingravescente jam ætate, sero quidem, (video enim, quanto id maturius facere debuerim) sed tamen aliquo, ut spero, cum fructu, in sacrorum librorum lectione quotidie temporis aliquid ponere institui, magis magisque in dies perspiciens, alia omnia inania esse, ex eis solis veram animi quietem, solidum et efficax remedium adversus improbas cupiditates, certissimam molestiarum, quibus in hac vita conflictantur etiam, qui felicissimi videntur, consolationem peti oportere. Mihi autem, quamquam in aliis studiis minoris momenti non prorsus inexercitato, in his tamen plane tyroni, multa occurunt, in quibus hæream neque satis ipse per me explicare me possim. Ac facio quidem, quod Moses jubet, ut interrogem senes meos, id est, ut illos perpetuo ecclesiæ consensu probatos patres consulam, ex illorum libris eorum, quæ minus intelligo, explicationem petam. Sed illi plerumque grandia quædam et sublimia loquuntur, & λ-

ληγορικὰ καὶ ἀναγωγικὰ, quæ ego suspicio quidem et admiror et divinitus cogitata esse video; sed tamen, ut puerulus, lac concupisco et aliquam ejusmodi interpretationem requiro, quæ simpliciter ac dilucide sententiam eorum, quæ lego, grammaticorum more singula verba minutatim persequens, mihi patefaciat. Ea suffulto ac subnixo faciliorem mihi ad ardua illa gradum fore, confido. Cum tu igitur, talis tantusque vir, tale quoddam munus non susceperis modo, sed, ut ex litteris tuis intelligo, magna jam ex parte conferris; quantum tibi me, Genebrarde, quantum alios mei similes, qui sane multi sunt, eo nomine debere arbitraris? Deinde quod a psalmorum potissimum editione exorsus es, vix credas, quam id mihi gratum optatumque obtigerit. Mirabiliter enim capior ejus libri lectione, cumque mihi certa pars illius ex ecclesiæ instituto quotidie legenda sit, subinquo interdum animo ferebam, tam multa esse, quæ intelligentia consequi non possem. Ex quo autem librum tuum accepi, sensi magnam mihi detractam ejus molestiæ partem. Ideoque quoties eum in manus sumo, (quotidie autem id facio) fausta tibi ac felicia omnia comprecor et quanta maxima possum animi

contentione a Deo peto, ut tibi ad tam sanctum ac salutare opus perficiendum vitam pro-roget, vires augeat, otium ac quietem tribuat; in primis autem, ut mentem tuam perpetua spiritus sui luce collustret. Perge, obsecro te, Genebrarde, in tam sancto proposito: etiamsi scires, industriam tuam ab iis, qui in cathedra pestilentiae sedent, non risu modo, sed probris ac conviciis omnibus exceptum iri. Quanto pluris apud te esse debet, quod omnes te pii ac probi laudabunt; quod pro te vota facient; quod, etiamsi ab hominibus nihil consequare, is ipse, qui hoc beneficium hominibus per te praestat, Deus bonum opus suum in te remuneraturus est. Summo quidem pontifici, cuius tu judicium et auctoritatem, ut facis, maximi facere debes, liber tuus jucundissimus fuit, eique, si pari studio ac fide in ceteris sacrosanctis libris illustrandis perrexeris, neque facultas neque voluntas ornandi tui defutura est. De negotio tuo quid actum sit, e fratre tuo intelliges. Vale meque mutuis apud Deum precibus adjuva. Romæ. IV. Id. April. MDLXXXI. (III, 35.)

40.

## PAULO SACRATO.

Velim, hoc mihi credas, Sacrate mi optimæ et amicissime, non te ardentius cupere litteras meas, quam ego ad te et creberrime et longissime de toto rerum mearum statu scribere cupio. Sed ita multa quotidie interveniunt, quæ me varias in partes distrahant, ut interdum vix respirandi otium detur. Itaque cum hic amicos et plurimos et potentissimos habeam, cum omnia mihi Dei beneficio non modo ad commode, sed ad laute ac magnifice vivendum affatim suppetant, cum me libenter omnes videant, cum apud omnes ordines gratiosus sim; major me tamen in dies urbis satietas percipit. Quando enim vivam, si post tot annos labiosissime actos, ne seni quidem quies ulla conceditur? Alius me negotii sui caussa, cursitare per urbem jubet et modo hunc, modo illum ex proceribus convenire ac colloqui; alius sepulchralem inscriptionem petit; alius quod in ponte aliquo aut in basi alicujus statuæ inscribat; est qui hujus aut illius scriptoris locum sibi aliquem declarari

postulet; est qui epistolam, carmen, orationem emendari aut, quod interdum minus molestum est, totum refungi ac recudi velit. Jam quantum mihi temporis auferri putas ab istis, qui, quoties ipsi, nihil quod agant, habent, alios quoque omnes diffluere otio existimant? Veniunt, admitti volunt; nisi admittantur, fremunt; inhumanum esse me ac difficilem, conqueruntur; admissi, ultiro etiam objurgant, quod nimis in studiis defixus sim, quasi per istos quidquam mihi temporis studiis meis tribuere non liceat; relaxandum interdum esse animum clamant, quem ne relaxare possum, ipsi magna ex parte obstant. Tum in alienissimos et mihi molestissimos sermones ingrediuntur: quid novarum rerum allatum sit e Gallia? qui Belgicorum tumultuum futurus exitus putetur? quid agat, quid meditetur pontifex? quot et quos cardinales proximis comitiis hominum fama designet? Quarum omnium rerum ego ita non imperitus modo, sed etiam incuriosus sum, ut sæpe, Romæ an ruri sit pontifex, nesciam. Obdurare tamen et vorare hæc et talibus ineptiis verberandas aures præbere cogor, donec et ipsi tundendo defessi sunt, et ego vapulando enectus. Semianimis et *εμβρόντητος* relictus, ubi

me denuo in bibliothecam abdidi, video in  
mensa satis multa explicata, quæ mihi torpo-  
rem excutere possint. Neque est, quod dicas,  
ista omnia, si quis obfirmet animum, posse  
vitari. Mihi crede, aut multæ ac graves ini-  
micitiæ suscipiendæ sunt, aut hæc et ejusdem  
generis innumerabilia preferenda. Eant nunc  
amici et querantur, ullum tabellarium sine  
meis ad se litteris venire. Quid quaeris? Ha-  
rum rerum tædio de urbe relinquenda ~~se~~  
piissime cogito et Venetas ire ibique, quod  
reliquum ætatis est, transigere discupio. Ille  
mihi locus ad senilem quietem ac tranquilli-  
tatem factus videtur. Atque equidem si spe-  
rarem, aliqua honesta ac tuta ratione tantum  
capere me illic ex fructibus pecuniæ meæ  
posse, quantum ad vitam γεροντικώτερον, id  
est, paullo mollius ac delicatius agendum suf-  
ficeret; colligerem omnes vindemiolas meas  
et istuc venirem. Videor autem conficere  
posse ad novem aut decem millia numorum  
aureorum. Ea si possem ita collocare, ut et  
de sorte nullum discriminem esset, et in singula  
millia octogenos numos aureos quotannis  
percipere liceret; non equidem ad te accur-  
rarem, sed ad volarem. Efficerentur enim  
octingenti aurei numi annui, quibus ego

facile sustentare me possem. Viverem interea quietus in studiis et multa scripta mea partim rudia et inchoata perficerem, partim affecta et prope ad extremum perducta edolarem et expolirem. Viderem etiam interdum Sacratum meum. Certe enim nonnunquam aut ipse Venetias, aut ego Ferrariam venirem. O si mihi Deus hoc annuat, quam mihi videor beatus fore! Quid si tu quoque ad hoc consilium meum adjuvandum et accelerandum aliquid curæ ac cogitationis conferas? Quod ut facias, a te peto quæsoque. Vides, quam libenter tecum confabuler? Quippe, hæc enim scribo sexta hora noctis: cum periculum ab interpellatoribus nullum est. Incredibiliter doleo, ægrotasse te; convaluisse, immortaliter gaudeo oroque te, ut vel mea caussa valetudinem tuam diligentissime cures. Sed quid est, quod aīs de Tiberii negotio? Nam nullus quidem mihi a te Tiberius commendatus est, nisi quæ litteræ interciderunt. Sed suspicor, voluisse te Victorium dicere. Accipe igitur, quo in statu res sit. Cardinalis ipse mihi aperte dixit, totum negotium mala fide gestum esse, et, ne operam ea in re meam amplius interponerem, monuit; sibi tamen curæ fore, ut Victorius aliquem

ex mea commendatione caperet fructum.  
Ama me, ut facis, et vale. Romæ. XVI. Kal.  
Sept. MDLXXXI. (III, 29.)

## 41.

Otiosus sum. Non sëpe usurpare mihi hoc verbum licet. Ut igitur, si una essemus, quidquid daretur otii, tecum libentissime consumerem: ita nunc tecum absens per litteras colloquar. Sed ut inter præsentes, cum sermonis argumentum deest, quærere alter ex altero solet, ecquid novi audierit, ut inde nascatur sermonis occasio; ita fingam, te ex me nunc quæsiisse, num quid novi Romæ acciderit. Utrum autem respondeam, incertus sum: novane multa quotidie et accidisse et accidere; an nihil omnino novi. Nam et multa nova, insperata, inopinata quotidie eveniunt, et alia quadam ratione vetera, vulgata, usitata omnia. Hic, quem nuper nemo aspectu, nemo sermone, dignabatur, repente dives effectus, colitur ab iis, qui eum haud ita pridem ne resalutandum quidem esse duxisserent; fastidit eos ipsos, quos nuper horribat; aditur per epistolam ab iis, qui nudius tertius eum, si quid peteret, postridie redire

jussissent. Quis non hoc miretur, ut novum? Fit ille ex gregario milite episcopus; alias mulos stringere ac defricare solitus, tanquam ex fonte aliquo biberit, qui prudentes et rerum multarum experientes efficiat, (ut olim Pyrene pota faciebat poetas) in consilium de maximis rebus adhibetur; supercilii ac capitatis motu de maximi momenti negotiis, nemine ridente, decernit. Alius, cuius mane exituri atrium cohortes clientium obsidebant, cuius aures precibus obtundebantur, manus osculis conterebantur, ab iis, quos nuper aspectu beabat, insalutatus præteritur. Cui non hæc nova et admiranda videantur? Sed hæc qui mirantur, nunquam eis, quod mirentur, defuturum est. Vetera sunt, quotidiana sunt, obsoleta sunt. Non tam mirandum est, quod eveniant, quam mirandum esset, si non evenirent. Quam multos, qui diu jacuerant, in altum repente sublatos, quam multos, cum diu in sublimi stetissent, momento dejectos vidimus? Qui talia mirantur, solem vesperi occidere eundemque mane redire mirentur. Ego si in quempiam virum antiquæ fidei ac probitatis inciderem, qui et aliis honesta præciperet et ipse ad regulam suam viveret, qui sine ambitione, sine simu-

latione, sine malis artibus ad virtutem et ad honestatem tota mente ferretur; clamarem, *Porro Quirites*<sup>41)</sup>. Id mihi novum, inusitatum, admirabile videtur. Ægrotare hunc, illum mortuum esse; alii natos liberos, alii mortuam uxorem; illum iter ingredi, hunc in urbem redire: hæc ita communia et tralatitia sunt, ut mirer esse, qui talia miren-  
tur. Sed nonne divinaveram fore, ut non diu otiosus essem? Ecce tibi nescio quis fores cubiculi pultat. Quicunque est, exspectabit tamen, dum has litteras obsignavero. Multum illi debes, quisquis est. Onerasse te hodie tam multis nugis, ut petiturus fueris a me, ut potius nihil omnino scriberem, quam talia scriberem. Sed iterum ac tertio jam verberatae sunt fores. Valebis igitur et ineptias meas æquo animo feres. Romæ. XVI.  
Kal. April. MDLXXXII. (III, 32.)

## 42.

## FABRICIO MANCINO.

Jam pridem ad te scripsi, quod iterum scribam, quando litteras meas ad te perlatas non

<sup>41)</sup> Laberius ap. Macrob. *Saturn.* II, 7.

esse video, ineptos istos, de quibus scribis, indignos prorsus esse, quibus respondeatur: ita se ne leviter quidem litteris tinctos esse declarant. Quid enim est, cur de *Paullo et Quinto* me potissimum accusent? Cur non eum Manutio potius et cum Siganio agunt? quorum uterque ante hos, opinor, viginti quinque annos ita scribendum esse docuit. Et certe in vetustis marmoribus præcipue que in fastis Capitolinis ita perpetuo scribitur. At versum illum exagitant:

*Una virum et virtutum omnium acerba lues.*  
*Ridicula capita, quasi non ei plane geminus*  
*sit ille Catullianus.* <sup>42)</sup>:

*Troja virum et virtutum omnium acerba cinis.*  
*Desinant igitur stultitiam suam prodere ac*  
*patefacere et prima saltem elementa diseant,*  
*priusquam de reprehendendo cogitent. Satis-*  
*facere tibi, quem video mei studiosum esse,*  
*volui, alioqui tam stultas reprehensiones risu*  
*ac silentio excepturus. Tu quoque idem fa-*  
*cias, suadeo, et istos contemnas ac consenes-*  
*cere in inscitia sua sinas. Stulta illos de se*  
*persuasio indignos, qui doceantur, facit.*  
*Versiculi tui valde me oblectaverunt: nam et*

---

<sup>42)</sup> LXVIII, 90.

scite ac lepide facti sunt et habent insignem  
significationem amoris erga me tui. Si quid  
hic erit, quod me causa tua facere posse ar-  
bitris, non committam, ut frustra me amare  
videaris. Vale. VI. Kal. Julii, (quo ipso die  
acceperam litteras a te scriptas Idibus Maji,  
ne me forte ad eas serius respondere mireris)

MDLXXXIV. (III, 57.)

### 43.

#### J U L I A N O.

In summis doloribus, quibus vexabar ex in-  
genti quadam vi flavæ bilis, quæ, diu per to-  
tam sinistram corporis mei partem grassata,  
tandem in tibiam sinistram tota decubuerat,  
allatæ mihi sunt a te litteræ, Julianæ, præsul  
amplissime, veterem illam, qua vincis omnes,  
humanitatem tuam singularemque amorem,  
quem erga me jam pridem suscepisti, omni ex  
parte spirantes, quæ mihi levationem quidem  
aliquam doloris attulerunt, neque tamen ita  
me confirmare potuerunt, ut statim ad te  
rescribere auderem. Misi igitur ad Joannem  
Baptistam Altovitam, (ille enim eas mihi cu-  
raverat) qui eum meo nomine rogaret, ut  
in suis ad te litteris excusationem tibi meam

exponeret pollicereturque, me officio non de- futurum, simul atque dolor aut depulsus aut mitigatus foret: quod eum fecisse non du- bito. Nunc cum Dei beneficio, non quidem me plane reliquerit dolor, sed tamen et mul- tum de priori acerbitate remiserit et inter- valla satis crebra habeat; non differam diu- tius hoc æs alienum, ne merito non rusticus modo, sed plane ἀναισθητος videar, nisi per- sentiscere me ostendero, quantum tibi de- beam, qui, ista nobilitate generis, ista digni- tate, ista eruditionis magnitudine præditus, fasces tamen summittere et de rerum mea- rum statu tam sollicite atque amanter exqui- rere non graveris. Nam quod meam erudi- tionem et eloquentiam tam multis verbis commendas, non possum equidem negare, quin mihi gratissimum sit laudari abs te lau- dato viro; sed mihi saepè tua legenti veniebat in mentem illud Homericum <sup>43)</sup>, οὐτις τοι θεὸς εἰμί. Facis tu in eo, quod plerique fa- ciunt, ut, quæ sibi supersunt, aliis non gra- vate tribuant: sic enim et tu, qui veris ac solidis laudibus abundas, tenuiores amiculos earum non invitus participes facis. Itaque

---

<sup>43)</sup> IL IV, 58.

iiis omissis ad alia, quæ scire cupere ait, venio.  
Ego, Julianæ mi præstantissime, æquitate  
animi eadem sum, qua semper fui, conditio-  
ne, quod ad τὰ ἔξωθεν attinet, meliore at-  
que optabiliore. Nam et ipsos principes  
civitatis amicissimos, quosdam etiam mei stu-  
diosos habeo, et opum is modus est, qui ad  
liberaliter vivendum sit satis. Cujuſ rei vel  
hoc tibi argumentum sit, quod superioribus  
mensibus, petita prius ejus rei a pontifice ve-  
nia, publico docendi munere, quod annos  
in hac urbe unum et viginti sustinueram,  
sponte me abdicavi: et tamen ex eo capie-  
bam quotannis septingentos aureos numos,  
quam pecuniam nemo, nisi aliunde affatim in-  
structus, facile, ut opinor, contemserit.  
Causæ mihi fuerunt capiendi ejus consilii  
multæ. Quinquaginta octo annos natus sum  
et sentio, me paulatim viribus defici. Semper  
autem audivi, a sapientibus dici, desinere sa-  
tius esse, quam deficere. Multa scripta ha-  
beo partim inchoata, partim etiam affecta,  
quæ mecum omnia intercidant necesse est,  
nisi mihi ad ea expolienda otii aliquid sump-  
sero. Simul verebar, ne quis ἀπληστιαν meam  
accusaret, si, quod satis superque est ad tu-  
tandam vitam, consecutus, labori tamen non

parcerem, sed amplificandæ rei supra modum studerem. Ergo et hac suspicione me exsolvi et otium mihi, ut spero, in reliquam vitam comparavi. Quo tamen otio non ad ignaviam abutar; sed semper aliquid moliar, quod me prodesse posteris, si minus potuisse, at certe toto animo voluisse testetur. Describuntur hic nunc a typographis opera omnia Senecæ, emendata studio ac diligentia mea. Quæ simul absoluta erunt, ad te mittentur. Sequetur commentarius in ethica Aristotelis aliaque deinceps, quæ tibi non usquequaque displicitura confido. Interea mitto ad te oratiunculam habitam hic a me in funere Pauli Foxii archiepiscopi Tolosani, magni ac præstantis viri tibique, ut opinor, non ignoti. Addidi duo quædam poemata mea, ad quæ familiaris quidam meus notulas quasdam adjecit, non prorsus inelegantes. Hæc pauca libenter accipies teque iis oblectabis, dum a me gravius aliquid et dignius, quod ad te mittatur, accipias. Interea oro te per illam sæpe mihi spectatam humanitatem ac comitatem tuam, ut amare me pergas ejusque rei mihi fidem interdum, quod commodo tuo fiat, tuis jucundissimis

mibique optatissimis litteris facias. Vale. Ro-  
mae. VI. Kal. April. MDLXXXIV. (III, 82.)

44.

## POMPILIO AMASÆO.

**Q**uod ad amantissime scriptas litteras tuas serius, quam par erat, respondeo, peto a te ut id, pro cetera tua humanitate nostraque veteri amicitia, non dicam occupationibus, sed afflictæ valetudini meæ multisque molestiis, quibus hoc toto tempore conflictatus sum, condonandum putes. Nam cum sextum jam mensem tantis tibiarum ac pedum doloribus vexatus sim, ut ardere interdum mihi viderer, eaque res et mihi somnum adimeret et efficeret, ut neque cibum appeterem et id ipsum, quod capiebam, non concoquerem, unde mirabilem cruditatem existere necesse erat; ita me diurnitas morbi et magnitudo doloris efferaverat, ut, ἀγριός τις καὶ ἀπρόσιτος γεγενημένος, Telephi alicujus aut Philoctetæ, quam ejus, quem me amici semper judicaverant, similior viderer. Accedebat eo æque diurnus, sed, ut res ipsa magno cum meo mœrore docuit, periculosis morbus nobilissimi et humanissimi adolescentis Poloni, qui, cum in ædibus meis di-

versaretur, sub id fere tempus, quo tuæ litteræ mihi redditæ sunt, tabe consumptus est: quo tantus cumulus additus est ad illam superiorē animi mei ægritudinem, ut nullum tempus, nullum locum quietis reperire possem. Nunc, cum, Dei beneficio, et prope convaluerim, et ægritudini ex amici morte conceptæ dies ipsa levationis aliquid adferre coeperit, respondebo ad litteras tuas διὰ κεφαλαιῶν. Ac primum quod vetas, me amoris erga me tui magnitudinem litterarum gravitate <sup>\*)</sup> metiri: ego quoque a te, Amasæe, vir optime et eruditissime, peto, ut mecum eodem jure utaris, neve ex litterarum silentio factam unquam esse ullam de mea erga te, tibi, ut arbitror, non incognita voluntate diminutionem suspiceris. Sit igitur hoc inter nos positum, ne, alter ab altero quod minus sæpe litteras accipiat, minus etiam se amari putet. Nunc ad cetera. De Federico Silburgio, qui me sibi quasdam in Halicarnasseum et alios notas pollicitum esse ait: fieri quidem potest, ut ita sit; neque ego de eo, quem tu et doctissimum et humanissimum esse scribis, quidquam sequius suspicari debo; sed tamen, quod inter nos dictum sit, neque Federici

<sup>\*)</sup> Perspicuum est, corrigendum esse litterarum raritate. R.

ipsius memini, neque me quidquam ejus generis cuiquam Germano pollicitum esse. Et, ut verum fatear, typographus ille, quem nominas, pessime hic religionis nomine audit: ut quidquam cum eo habere commercii neque satis tutum neque satis piuum esse videatur. Cogitabis hoc ipse tecum paullo accuratius meque, si id tanti putabis, quid tui consilii ac sententiae sit, admonebis. Venio nunc ad ultimam epistolæ tuæ partem, in qua omnibus ex partibus sese tuus ille sæpe spectatus in me amor ostendit. Quod ais, istius nobilissimæ civitatis magistratus sæpe de me in Sigonii τοῦ μακαρίτον locum vocando ac substituendo cogitasse; sed, cum scirent, quomodo hic res meæ constitutæ ac constabilitæ sint, putasse, me non facile ad eam conditionem accipiendo adduci posse; quod si spem aliquam ostendero muneris illius non detrectandi, et ipsos cupide facturos omnia, et te studiose operam daturum, ut id quam maximo meo commodo fiat: primum video, quantum illi splendidissimo et honoratissimo XL virum consilio debeam, qui de me, homine nulla eximia eruditione prædicto, tam honorificum judicium fecerint; deinde tibi, Pompili amicissime, vel hoc uno nomine ita esse me ob-

strictum ac devinctum agnosco, ut tecum unquam paria faciendi omnis mihi spes plane præcisa sit. Evidem, si paullo minus senex essem, non ambirem quidem istum honoris gradum, conscius mihi tenuitatis meæ; sed ultro delatum sine ulla detrectatione avidissime arriperem. Nunc quam me multæ res impedian, ne id facere possim, vide. Vixi Romæ annos plus minus XXIV, quo toto tempore prolixam et propensam erga me agnovi et P. R. et summorum pontificum voluntatem. Præcipue autem Gregorius XIII, pontifex ad bene merendum de omni humano genere natus, ita me perpetuo fovit, ea est caritate complexus, ut, si mihi vita pro eo refundenda sit, nullam tamen beneficiorum ipsius erga me partem videar consecuturus. Quo igitur ore, qui nuper ab eo, ut veteranus emeritis stipendiis, missionem et petierim et impetraverim, petere ab eodem audeam, ut me istuc venire patiatur? An poenituisse me dicam, quantum mihi honorarii nomine quotannis penderetur? Septingenti aurei numi: quantum nemo, opinor, ante me, qui hoc litterarum genus profiteretur, accepit. Et tamen, si ea me res movisset, nihil facilius erat, quam efficere, ut ad

eam summam aliquid adderetur. Sed demus, aliquid tamen causæ reperiri posse, cur, qui Romæ amplius docere noluerim, Bononiæ, quamvis eosdem labores suscipiam, non recusem: quid, quod ea migratio sine luculento rei familiaris detimento a me fieri non potest? Hic in ædibus meis non commode tantum, sed etiam, pro meo captu, splendide habito. Iстic pro ædibus pendenda merces erit; distrahenda supplex, et, quæ magno empta sunt, vili addicenda; emenda Bononiæ nova, majore fortassis pretio, usu minore; sumptus in itinere et in librorum meorum gestatione faciendi. Trecenti aurei numi, quos mihi otioso pontifex persolvi voluit quotannis ex ea ipsa pecunia, quæ iis, qui publice in urbe docent, adsignata est, adimentur fortasse, si alio me contulero. Multas hic habeo militias, ex quibus tantum fere capio, quantum ad alendam familiam sit satis: absentibus multa ex earum fructibus amittenda sunt. E pensionibus, ut vocant, ecclesiasticis septingentos numos aureos annuos percipio; debitores, qui saepe lenti esse solent, non tam facile absens urgere potero, quam præsens et magno principum supremi ordinis favore subnixus. His tot incommodis remedium nul-

lum reperiri potest. Ut igitur ego longe plurimum debere me fateor iis, qui me tanto honore dignum censuerunt; ita eos supplex obtestor, ne iniquo animo ferant, neve me propterea minus ament, quod hoc tempore non posse me studio erga me suo obsequi vident. Vale. Romæ. Id. Decemb.  
**MDLXXXIV. (III, 71.)**

## 45.

**Q. MARIO CORRADO.**

**P**ergratæ mihi fuerunt litteræ tuæ. Antea enim, fatebor, subinvidebam amicissimis quibusdam meis, ad quos extant epistolæ tuæ, quod in eis ad me nulla legeretur. Ac, quod tu, quasi communis quidam omnium, qui in Italia sunt, elegantium atque eruditorum hominum pater, cum illam inter eos gloriæ ac nominis hereditatem divideres, nullam mihi ejus ne unciolam quidem aspersisses, sed me tanquam ἄγροικόν τινα καὶ ἀμουτού πρæteriisses; meditabar olim, si ita fors tulisset, adversus tabulas tuas inofficiosi querelam. Extra jocum, Corrade, vir optime et eruditissime, multi jam anni sunt, cum e sermonibus primum Petri Jo. Perpiniani, qui,

dum vixit, mihi conjunctissimus fuit, deinde multo etiam magis ex libris epistolarum tua- rum, tanti te facio, ut veræ ac solidæ erudi- tionis, eximia quadam Latinæ orationis facul- tate ac copia, tecum ex hujus ætatis homini- bus paucissimos comparem, neminem certe anteponam. Itaque quoties mihi copia fuit hominum, qui te familiarius nossent, quære- bam studiose de te, de moribus tuis, (quos tamen satis mihi videbar e scriptis tuis habe- re perspectos) de tua valetudine, de toto denique rerum tuarum statu: ut omnes faci- le cernerent cupiditatem constituendæ tecum amicitiæ meam. Nunc te quoque erga me eodem animo fuisse video; neque quidquam a perfectione amicitiæ nostræ aliud aberat, quam ut uterque agnosceret alterius erga se voluntatem. Antehac enim erat εὐγοια μὲν, λανθάνοντα δὲ. Quæ cum se tandem patef- cerit, serius quidem, quam par erat, et quam ego cuperem; quæso te, mi Corrade, ita enim vocare te posse videor, quæso, inquam, te, demus operam, ut eam, pro sua uterque parte, omni officiorum genere quam diligen- tissime colamus. Ego, quid a me tibi præ- stari possit, nondum video; illud quidem ti- bi omni adseveratione confirmo, si quid eve-

nerit, in quo tu perspicere studium erga te  
meum velis, curaturum me, ut re ipsa intel-  
ligas, neminem tibi esse, quam ego sum, vere  
atque ex animo amiciorem. Vale. Romæ. XIV.  
Kal. Junii. (sine anno, III, 40.)

## 46.

## HIERONYMO ZOPPIO.

**T**ragoediam sive ab auditoribus tuis, ut scri-  
bis, sive, ut mihi verisimilius fit, a te ipso  
conscriptam, non tantum cum voluptate, sed  
etiam cum admiratione perlegi: ita mihi visa  
est longe supra consuetudinem hujus ætatis  
ornata multis et gravibus sententiis et tem-  
pestive prolatis et grandi ac sublimi verbo-  
rum genere illuminatis. Jam quod fabulam  
ipsam leviter immutasti paulloque aliter trac-  
tasti, quam a veteribus tradita est, factum a  
te prudentissime et summo artificio judico.  
Nam et veteres ipsos ejus rei auctores habes  
et non magna mutatione personas, quales  
Aristoteles ad tragicam aptas esse vult, red-  
didisti. Totum autem poema olet Academiam,  
olet Lyceum, olet philosophiam, non illam  
horridam et incultam et aut elinguem aut  
stulte clamosam, quæ hodie scholas prope-

omnes occupavit; sed vetustam illam Atticam, ornatam ingenuarum artium multo splendidoque comitatu. Neque dubito fore, ut aut omnibus placeat aut iis tantum displaceat, quibus displicere laus est. Ne me tamen hæc auribus tuis tribuere dicas, indicabo etiam, quæ non probem: ut tanto magis intelligas, mihi cetera probari. Quod igitur in prologo omnes, quibus probitas ac pietas cordi est, jubentur exire, ut ii tantum speculent, qui crudelitate et immanitate pascantur, non placet. Ista enim ratione vacuum reliqui theatrum necesse est. Ac scio, hæc figurate dici; sed hoc dico, figuram ipsam mihi nullo modo probari. Illa quoque, quæ ad mulieres pertinent, ut lepida et arguta videri queant, certe tragicæ gravitatis aliena sunt. Et, ut semel dicam, totum prologum delerem neque ullo prorsus prologo uterer. Ubi enim chorus est, tali prologorum generi locus esse non potest. Etenim, Zoppi, veteres poetæ, (quod tibi quoque pro tua singulare eruditione notum esse sat scio) si quid ad se commendandos aut defendendos dicere necesse habebant, id faciebant in choris, cum in reliqua fabula non liceret: cuius rei aliquot apud Aristophanem exempla sunt. Ne-

que tum ullo tali prologo utebantur, quales sunt Plautini aut Terentiani; sed, quæ prima persona prodibat, cuius opera pars argumenti cognoscebatur a spectatoribus, ea προλογίζειν dicebatur. Posteaquam populus Atheniensis, exhausto diuturnitate bellorum æratio, inania sumptuum amputavit et comœdiis choros dare desiit, tum demum illud prologorum genus natum est; et nova comœdia, quæ chorum non haberet, talibus prologis uti coepit. Tragoedis semper ex publico datus est chorus; idcircoque nunquam tragœdia tales prologos habuit. Quare qui veterum consuetudinem in reliquo poemate accurate ac diligenter retinueris, hic quoque, quod hominum antiquitatis imperitorum insitia invectum est, deleas censeo. Placeret etiam, ita edi hanc fabulam, ut ne notarentur principia actuum, sed ita continuarentur omnia, ut in Æschyli, Sophoclis, Euripidis tragoediis etiamque in Aristophanis comœdiis factum. Vera caussa est, cur ita fieri censeam; sed malo eam in aliud tempus rejicere. Omnino autem illam inutilem et supervacaneam et a stultis litteratoribus excogitatam actuum in scenas divisionem, quæso te, ut tollas. Lyssæ nomen peregrinum adi-

merem: Italicum darem. Nam et Plautus, cum Luxuriam et Inopiam loquentes faceret, non illam Tryphen, hanc Penian vocavit; sed utriusque nomen Latinum dedit. Quod alius cubi apud inferos *solem silere* ait, cum tenebras, ut opinor, et caliginem signifies; vereor, ne imitari volueris Virgiliana<sup>44)</sup> *Lunae silentia* et in eo Politiani errorem secutus sis. Certe enim silentia, id est, conticinium, non, ut ille ratus est, tenebræ, quas efficit siderum conjunctio. Nam Trojam plenilunio captam esse constat. Halcyonios quoque videris vocare aves ipsas. Vides, haec quam levia sint quamque pusilla. Quæ, rogo te, ut in bonam partem accipias et, quod tam sero ad tuas litteras respondeam, ignoscas occupationibus meis. Ego, Zoppi, vir eruditissime, et toti civitati Maceratensi bene ex animo cupio mihiique occasionem opto aliquam dari, qua id re ipsa declarare possim, et te, quem nunquam præsens præsentem videre memini, singulari tua eruditione commotus, in sinu atque in oculis fero. Vale. Romæ. III. Kal. Sext. (sine anno, III, 44.)

---

<sup>44)</sup> Aen. II, 255.

47.

## FRANCISCO VENIERIO.

Bene facis, quod te Latine scribendo quotidie exerces conatumque omnem adhibes, ut præstantiam in eo genere aliquam consequaris. Non enim dubito, quin et cetera vita et istud tuum studium eo, quo debet, id est, ad propagandam gloriam Christi et ad ecclesiam pro tua virili parte ab insultibus improborum defendendam dirigatur. Sed quid te usque huc deterruerit, ne ad me scriberes, dispicere equidem non queo. Nam neque ea auctoritate sum, ut quisquam judicium meum vereri debeat, et, si essem, summa tamen mea erga totam sodalitatem vestram voluntas omnem istum metum tibi facile adimere poterat: cum tu præsertim ita scribas, ut laudem potius exspectare ab omnibus debeas, quam cujusquam fastidium extimescere. Cave igitur posthac, difficile tibi quiddam atque arduum putes ad Muretum scribere. Hanc modo mihi veniam dato, ut ad litteras tuas, quæ mihi, quo crebriores, eo jucundiores futuræ sunt, solutius ac negligentius, id est, hoc familiari ac quotidiano sermonis genere respondere liceat. Nihil enim invitus

facio, quam ut in limandis ac poliendis epistolis otio abutar. Neque mihi ullum præceptorum, quæ tradita sunt a dicendi magistris, magis placet, quam illud, dandam esse operam, ut sponte fluere videatur oratio. Ego vero, ut magis videatur, sponte plane fluere eam sino et ignaviæ meæ excusationem ab ipsis magistris peto. Tu quoque, si me amas aut potius, quoniam me amas, imitare, cum ad me scribes, hanc ipsam negligentiam meam: ne, si accuratius scripseris, mihi quoque accurate scribendi necessitatem imponere videaris. Deus et studia et totam vivendi rationem tuam ad gloriam suam perpetuo dirigat. Vale. Romæ VI. Non. Martii, quo ipso die litteras a Bencio accepi: ne me ad eas serius respondere mireris. (sine anno, III, 56.)

Superioribus ad A. Riparium epistolis præterea addendæ:

### 48.

#### ALEXANDRO RIPARIO.

Litteræ tuæ posteriores quæque meliores. De ratione autem studiorum tuorum velim aliquid ad me scribas: quantum legas quotidie; num quid excerptas ex iis scriptoribus,

quos legis; num quid e Latino sermone in vulgarem convertas aut contra. Terentium et Cyri pædiam noli intermittere. Cæsaris commentarios velim etiam legere incipias, ne pecunia illa tibi perierit. Confide, mi Alexander, et, quemadmodum te mihi facturum polliceris, effice, ut re ipsa ostendas ac patefacias, te incensum esse amore litterarum. Omnia tibi affatim suppetent, si diligentia non deerit: in ea sunt omnia. Isocratis<sup>45)</sup> Junioris dictum est, ἐὰν ής φιλομαθής, ἔσῃ πολυμαθής. Hoc tu tibi quasi ex oraculo dictum puta. Vale. Tibure. III. Id. Jul. MDLXX, (Auctar. epist. 3.)

## 49.

**B**inas litteras tuas una cum his accipies, alteras Latino, alteras eo, quo vulgo utimur, sermone scriptas. In Latinis nihil habui, quod emendarem: quæ res mihi summæ voluptati fuit. Quare et tuas et meas omnes eodem in libro describito. Erit tibi olim jucundum considerare progressus tuos. Alexander mi, vale et perge ea, qua cœpisti, diligentia in studiis versari.

---

<sup>45)</sup> Paræn. ad Demonic. p. 5. ed. Langii.

Nihil facere aut mihi jucundius aut tibi utilius potes. Tibure. Idibus Julii MDLXX.  
(Auctar. ep. 4.)

## 50.

Remitto ad te omnes propemodum litteras, quas a te accepi, leviter a me emendatas. Vide, obsecro te, ut posthac et saepius et diligentius scribas. Vix enim credas, quantum mihi molestiae sint pueriles quidam errores, in quos incidere te frequenter video. Sicubi in generibus loquendi paullo minus usitatis paullove obscurioribus laberis, non offendor. At cum ita erras, ut adhuc prima grammaticorum præcepta ignorare videaris, indignor. Ac scis ipse, quam saepe tibi ob eam caussam iratus fuerim. Quare te majorem in scribendo diligentiam adhibere par esset. Neque vero raritatem litterarum tuarum excusare ullo modo potes. Nam quæ tandem esse possunt tua ista negotia? Magis vereor, ne te voluptates abstrahant et a scribendo et a legendō: quibus tu si te dederis, actuū est. Non equidem interdico tibi omni genere voluptatum: non sum usque eo inhumanus. Sed illæ et honestæ sint, et ad-

hibeat modus. Crede hoc mihi: veræ et solidæ voluptates nulla re magis, quam contemptu inanium, comparantur. Saluta parentes tuos verbis meis. Vale. Tibure. XVI. Kal. Sept. MDLXX.

Nihil adhuc audio de litteris Græcis, num eis imbui cœperis. Ea res mihi maxima curæ est. Da operam modis omnibus, ne diutius trahatur. Mora omnis mihi molestissima futura est. (Auct. ep. 5.)

---

## II.

M. A N T O N I I M U R E T I

PRÆFATIONES.



## I.

M. A N T O N I U S M U R E T U S

BERNARDINO LAUREDANO S. P. D.

Præstantium poetarum, Bernardine Laure-dane, adolescens clarissime, neque magna unquam copia et semper magna laus fuit. Copia ne fuerit, id in caussa est, quod in ceteris facultatibus nemo est, duntaxat eorum, qui hebeti penitus ingenio non sunt, qui non, adhibito labore, si minus excellere, at certe ad mediocritatem aliquam pervenire se posse confidat: in hac, nisi ab iis, quos ipsa quodam modo natura ad eam finxerit, labore, diligentia, vigiliis effici nihil potest. Ea ipsa res in hominum animis admirationem peperit poetarum, obstupefactis videlicet homini-bus, cum viderent, alios sponte quadam et propensione naturæ sine ullo labore ea fundere, quæ, cum omnibus eloquentiæ lumini-bus interlita tum sparsa multifariam erudi-tionis variæ notis, non tantum dulci sono te-

nerent aures, sed etiam omni genere affectionum intimos audientium sensus cogitationesque tentarent; alios contra, ingenuarum artium scientia perpolitos, nulla tamen diligentia aut diuturnitate studii consequi posse, ut aliquo inter poetas numero ac loco haberentur. Ut autem omni elegantis doctrinæ tractatione, ita hujus quoque virtutis præstantia longe supra ceteros Græcorum hominum ingenia floruerunt. Romani et serius attigerunt poeticam et coluerunt negligenter et minime longo tempore in recte scribendorum poematum via perstiterunt. Si quidem cum a rudibus apud eos poetica profecta principiis tandem per multos gradus ad Virgilium pervenisset, quo ego homine nihil statuo fieri potuisse divinus; ita postea cœpere ingenia in deterius labi, ut mirum sit, quanta, quam brevi tempore, sit consecuta mutatio. Hispani poetæ præcipue et Romani sermonis elegantiam contaminarunt et, cum inflatum quoddam et tumidum et gentis suæ moribus congruens invexissent orationis genus, averterunt exemplo suo ceteros a recta illa et simplici, in qua præcipua poetarum sita laus est, et in quam superiores omni studio incubuerant, imitatione na-

turæ. Itaque fere post Augusti tempora ut quisque versum maxime inflaverat, sententiam maxime contorserat, eo denique modo locutus fuerat, quo nemo serio soleret loqui; ita in pretio haberri cœpit. Quin etiam fucatus ille splendor et adulterina eloquentiæ species ita nonnullorum, qui veræ eloquentiæ gustum non habent, occaecavit animos, ut his quoque temporibus extiterint Hispani duo, homines ceteroqui et in primis eruditi et scriptis editis nobiles, quorum alter Lucanum Virgilio, alter Martialem Catullo anteponere veritus non est. Quorum ab utroque ita dissentio, ut, si quis Deus potestatem mihi optionemque faciat, non dicam Virgilii, cui videor injuriam facere, si eum ullo modo cum ceteris comparem, sed Ennii alicujus aut Furii, quam Lucani, multo similem in scribendo esse me malim; inter Martialis autem et Catulli scripta tantum interesse arbitrer, quantum inter dicta scurræ alicujus de trivio et inter liberales ingenui hominis jocos, multo urbanitatis aspersos sale. Neque vero negaverim, multa in Martiale quoque non inscienter dicta reperiri; sed profecto deteriorum longe numerus major est. Latinæ quidem orationis nativa illa mini-

meque quasi pigmentis infuscata germanitas in Martiale nulla est, in Catullo præcipua. Iis de caassis cum ab illo altero, nescio quo modo, semper abhorruisse, Catullum contra nunquam non mirabiliter amavi. Itaque legebam eum adolescentulus studiose magnamque operam ad lepores illius intelligendos conferebam, nihil tamen minus cogitans, quam fore unquam, ut in eum commentarios scriberem. Sed cum haud ita pridem venissem in Italiam, et ut eam regionem aspicerem, qua qui æquo animo carent, mihi quidem antiquitatis memoriam satis colere non videntur, et mehercule, verum ut dicam, cum alios eruditos homines tum Paulum in primis Manutium ut cognoscerem, quod in ejus scriptis mihi videhar animadvertisse expressas quasdam excellentis doctrinæ eximiæque probitatis notas; mihique divina quadam virgula contigisset, ut non pedem pene prius in hac civitate ponerem, quam in amicitiam ipsius familiaritatemque intimam admirter; ipseque aliquot diebus post de meis sermonibus collegisset, quantopere me ejus poetæ scripta caperent: *Quin tu, inquit, M. Antoni, quæ in hoc genere notasti, ea in publicum profers fructumque laboris tui cum*

*ceteris antiqua illa naturæ atque humanitatis lege communicas?* ibi tum ego cum et longe aliarum virium opus illud esse dixissem et protulissem alia multa, quæ mihi ad eam cogitationem suscipiendam sane quam incommoda essent; eaque ipse amice admidum refutare pergeret, (*nostri autem divinam hominis illius in dicendo suavitatem*) non prius destitit, quam me impulit denique, sibi ut recipere, me id primo quoque tempore esse facturum. Neque vero diu fidem meam liberare distuli, ut qui inter varias occupationes, homo alioqui laboris non nimium tolerans, hoc tamen, quidquid est, trium mensium, aliquanto etiam minore, spatio absolvverim. Nunc hasce vigilias meas, Bernardine Lauredane, multæ sunt caussæ, quam ob rem tibi dicatas velim. Natus es ex ampla cum primis et nobili familia et ex qua ea Venetæ civitatis lumina extiterant, quorum claritatem nulla unquam inobscurabit oblio. Præterea est hoc generi vestro prope fataliter datum, ut ametis litteras hominesque earum scientia excultos benignitate vestra comprehendatis. Non longe abierimus: pater ipse tuus, vir, ut omnes norunt, omni egregiæ virtutis laude cumulatissimus, ita lit-

terarum amore incensus est, ut ea, qua ubique plurimum valet, auctoritate et gratia permagnam optimorum librorum, signorum nomismatumque veterum ceterorumque antiquitatis monumentorum copiam ex universa Europa diligentissime collegerit. Itaque, ut augusta quædam Musarum ædes, ita domus vestra Venetiis ab eruditis hominibus frequentatur. Hæc cum magna sint, ut certe sunt, tamen ex te ipso possunt innumerabilia magis propria tuæ laudis argumenta desumi: ingenium excellens, acre ac indefessum litterarum studium, optimarum artium cognitio tanta, quantam tu cum paucis aliis in istam ætatis viriditatem cadere posse docuisti, tum, quod præcipuum est, ita compositi mores, ut juventus tua multorum senectuti exemplo esse possit. Vel his superioribus mensibus, cum ad M. Antonii Trivisani, principis optimi, propinquui tui, luctuosam bonis omnibus mortem funebri laudatione honestandam unus ex omni Venetæ nobilitatis flore delectus es, quanta, Deum immortalis, orationis et gravitate et copia, quanta omnium, qui aderant, non approbatione tantum, verum etiam admiratione dixisti? ut jam tum sperare non dubie senatus populus-

que Venetus cœperit, quæ tam diserte in alio laudares, ea te aliquando re atque operibus præstiturum. Igitur cum eam orationem in publicum emisisse, nemo repertus est, qui non in cælum tolleret; aut, si qui postea fuerunt, qui eam clanculum extenuarent verbis, eos, satis constat, vel crassitudine ingenii, ne illius pulcritudinem pervideant, vel, ne pro dignitate commendent, veteri morbo perpetuae in omnes bonos invidiae impediri. Accessere his prope quotidiani mecum Pauli Manutii de tua laude sermones, in cuius tu viri ore plane habitas: ita enim frequenter, ita cupide de te loquitur, ut mihi nunquam omnino, quam cum de te dicere ingressus est, facundior esse videatur. Attigi breviter ea, quæ me, ut hunc librum tuo nomini potissimum inscriberem, impulerunt. Nunc a te, adolescens ornatissime, etiam atque etiam peto: primum, ut munuscum hoc non ex sua magnitudine, sed ex meo tibi gratificandi animo ponderes; deinde, ut, si quando eorum rationem inibis, quos eximiæ tuæ virtutis admiratio adjunxit tibi, me quoque, si videtur, eorum adscribendum numero existimes. Venetiis. Id. Oct. MDLIV.  
(Tom. II. p. 709. sqq. ed. Ruhnken.)

## 2.

## LEONARDO MOCENICCO.

Quod me sæpe in quotidiano sermone, Leonardo Mocenice, deplorantem audire potuisti, magna inest in veterum scriptis et depravatio et difficultas. Quarum utramque qui pro sua virili parte tollere moliuntur operamque ad eam rem studiosis hominibus profitentur suam, ii mihi et labores suos collocare fructuosius et ad exstruendam sibi nominis immortalitatem firmiora et solidiora fundamenta jacere videntur, quam qui, hunc emendandi ac declarandi laborem tanquam et pleniorem molestiarum et abjectiore quodam modo atque humiliorem refugientes, scribendis Latina Græcave lingua orationibus aut poematis ejusdemque generis aliis sua nomina posteritati commendare malunt. Primum enim cum e veterum monumentis, tanquam ex optimis et pinguibus pascuis, quæ ad saturandos humanitate animos pertinent, omnia colligantur; profecto qui et evellere noxias herbas, quæ in eis cultorum negligenter pullularunt, et excisis, si quæ iter impedient, sentibus, aditum ad ea faciliorem efficere nituntur, negari non potest, quin

præclare omnino de humano genere mereantur. Si quidem ut, qui aut parum puris aut ad conficiendum difficultibus utuntur cibis, integratatem valetudinis firmitatemque virium adipisci vix queunt: ita, qui aut parum emendatos libros aut parum ad intelligendum faciles versare coguntur, næ illi valde bono ingenio sint oportet, si aut ullum sermonis leporem aut ullam exquisitoris doctrinæ elegantiam consequuntur. Quam multa barbara vocabula, quam multa vitiosa genera loquendi propter librorum corruptionem usurparunt ii, qui se nostra patrumque memoria Ciceronianos dici volebant? Quantularum rerum ignoratio quantas tenebras sæpe in omne disciplinarum genus invexit? Magna enim, Mocenice, fecunditas erroris est; et ut morbi quidam, a pusillis principiis profecti, paulatim per corpus omne serpunt: ita parva interdum macula erroris, paullatim progressa longius, integra optimorum scriptorum monumenta contaminat. Deinde non est sane exspectandum, ut, omisso Cicerone, Virgilio ceterisque veteribus, legantur ii, qui temporibus nostris aliquid eadem lingua in eodem genere scripserint. Qui si aliquid afferunt non haustum a veterum fontibus, prope re-

prehenduntur; sin improbo labore hoc consecuti sunt, ut in scriptis suis nihil non e priscis illis imitatum et effectum appareat: nemo tamen est, qui non illos potius ipsos priscos evolvere sibique proponere ad imitandum velit. Itaque ejusmodi scripta, tanquam vina levia, quam diu mustea sunt, ipso novitatis saپore paullisper placent, iterum aut saپius gustata fastidiuntur. In promptu exempla sunt Bembi, Navagerii, Molsæ, Lampridii aut versus aut orationes quotusquisque hodie legit? Et tamen aut illi nostra ætate proxime antiquorum gloriam accesserunt, aut nemo unquam accessurus est. At contra si qua iidem ad illustrandos veterum libros pertinentia litteris prodiderunt, qualia nonnulla Bembus elegantissime scripsit, ea plus plusque in dies studiosorum hominum manibus conteruntur. Sed quid de his loquor? possum nominare nonnullos \*), qui abhinc sexaginta fere vixere annos, quorum poemata, orationes, epistolas, cum propter per-

\*) Intellige Jo. Baptist. Pium, Marinum  
Becichemum, utrumque Beroaldum etc.  
RUHNK.

versum et inepta affectatione corruptum loquendi genus, quod ætas illa extulerat, sine risu hodie nemo legat: eorundem tamen scripta quædam, quibus lux aliqua vetustis scriptoribus affertur, omnibus vigent. Denique quem sola sermonis elegantia suavitasque commendat, is ætatem ferre liber non potest; at ex quo fructus aliquid utilitatisque percipitur,

*Hic meret æra liber Sosii, hic et mare transit,  
Et longum noto scriptori prorogat ævum* <sup>1)</sup>.  
Ego autem, Mocenice, quæ cupiditas in optimo quoque maxime viget, navandi studium suum utilitati publicæ et nominis sui ad posteros propagandi, ab ea nunquam me abhorruisse confiteor. Quam ad rem cum illud mihi, de quo ante dixi, quasi compendiarium esse iter viderem; progressus sum in eo, quoad potui, et progreedi porro, si vita suppeditaverit, cogito. Ergo alia alias: nuper autem quatuor Ciceronis in Catilinam orationes tum vindicavi a multis mendis, quæ in eis librariorum vitio insederant, tum, addita brevi declaratione, faciliores ad intelli-

---

<sup>1)</sup> Horat. A. P. 345. sq.

gendum effeci. Hunc parvum laboris mei fructum venire in hominum manus ornatum commendatione tui nominis volui. Primum, quod ipsi libro, parum ex me auctoritatis habituro, multum ex te accessurum dignitatis ac gratiae intelligebam: in quo, quæcunque aut ad amplitudinem nominis aut ad devinciendas amicitia hominum voluntates valent, summa esse omnia animadvero. Nam sive generis claritatem requirimus, cui tandem, qui Veneti imperii nomen audiverit, Mocenicæ gentis splendor ignotus est? Quæ quidem gens (ut ne annalium memoriam replicem neque eos commemorem, quos domi forisque spectata virtus, concordibus suffragiis, ad hujus reip. fastigium evexit) illud integritatis, illud justitiae, illud incorruptæ severitatis exemplar, Aloisium Mocenicum equitem, tuum, Leonarde, avum protulit. Quo viro nemo unquam in hac civitate, qui, cum pauciora peteret, plura consequeretur honoris insignia, inventus est: ipsa pro eo presabat virtus, ipsa ei viam ad omnes honoris gradus, non appellandis, non rogandis, non officiose salutandis civibus, sed gloriosis, admirandis, immortalitate dignis edendis operibus muniebat. Neque vero passa resp. est,

tantum lumen exteris principibus incognitum latere; sed, quanquam fidelissimis illius sapientissimisque consiliis nixa, non libenter ab amplexu eum suo dimitteret: mandandis tamen ei plurimis honorificentissimisque legationibus facultatem dedit famæ suæ per omnes terrarum oras disseminandæ. Qui cum omnes in eam opinionem adduxisset, ut, quidquid ipsi, non dicam denegatum, sed non ultro delatum fuisset, idem virtuti denegatum videretur; filio suo, patri tuo, Leonarde, iisdem virtutibus prædicto, facile atque expeditum iter ad procuratoriam, id est, ad eam, qua nulla summæ propior est, dignitatem reliquit. Sive igitur generis claritatem requirimus, ea tibi longe maxima divinitus contigit; sive te ipsum, nulla ratione generis habita, intuemur, ea videmus in te, quæ vel abjectam obscuramque familiam erigere atque illustrare possent. Non enim te aut gentis tuæ nobilitas tumidum aut opum affluentia insolentem facit; sed, illam quidem incitamentum, hanc vero instrumentum exercendæ virtutis esse ducens, ita te geris, ut dignitate par summis, humanitate et affabilitate nihilo superior infimis esse videaris. Quo fit, ut tota urbe nemo sit, qui non om-

nia tibi successa \*) cupiat, qui te non amet, non in sinu, non in oculis ferat, qui non et optet et auguretur fore, ut te eodem plane, quo avus olim, itinere gradientem iisdem resp., quibus illum prosecuta est, honoribus prosequatur. Primum igitur e tuo, ut dixi, nomine auctoritatem libro meo quaerere aliquam volui; deinde, cum plurimis manifestissimisque indiciis, me tibi non vulgariter carum esse, cognoscerem, volui ego quoque vicissim, qualemcumque poteram, animi erga te mei significationem dare. Vale. Venetiis, a. d. VI. Idib. Octob. MDLVI. (T. II. p. 523. sqq.)

## 3.

**S**i præmiis tantum, Mocenice, et iis præmiis, in quibus præcipuam felicitatis partem vulgaris opinio constituit, ad bene merendum de humano genere præstanti homines ingenio adducerentur; multos, ut opinor, et certe ab instituto virtutis itinere animad-

\*) Soloecum loquendi genus, quod hau-  
sit e Ciceronis filii epistola ad Tironem,  
**XVI, 21. R.**

versa superiorum ætatum exempla revocarent. Nam si replicare memoriam temporum et antiquitatis monumenta excutere velimus; deprehendemus, unaquaque in rep. eos fere, quorum plurima in eam extabant maximaque beneficia, omni scelere laceratos, omni crudelitate raptatos, omni acerbitalis genere divexatos fuisse. Quod quamvis ita exploratum est et tibi et iis omnibus, qui operæ aliquid in antiquitatis cognitione posuerunt, vix ut confirmationis indigeat; tamen, ut, si qua esse potest, dubitatio eximatur, aliquot, quæ mihi nunc in mentem veniunt, illustria ejus rei exempla subjiciam. Primæ autem in hac cogitatione occurrunt illæ omnium laudandarum artium ipsiusque adeo humanitatis parentes, Athenæ: quam, optimis studiis deditam, refertam assidue atque, ut ita dixerim, fetam eruditissimis hominibus, civitatem cui unquam insigniter adjuvare impune licuit? Non illa Miltiadem, Cimonem, Themistoclem, Aristidem, Æschinem, Demosthenem, quorum omnium summis erat usa beneficiis, in exilium pepulit? non illud probitatis, modestiæ, integritatis, sapientiæ specimen, Socratem, veneno necavit? et constituto adversus impios ac prave de rebus di-

vinis sentientes suppicio eum potissime affecit, qui unus ex omnibus ad veram Dei cognitionem proxime accesserat? Sed Romana resp., quanto ceteras omnes magnitudine virium atque imperii amplitudine superavit, tanto majorem nobis atque ampliorem hujus generis exemplorum copiam subministrat. Cujus in historiam quisquis ingreditur, is in ipso quasi vestibulo illum ipsum urbis parentem, Romulum, senatorum manibus crudelissime discerpturn ac dilaniatum videt. Quod si, tam horrendi facinoris immani atrocitate spectata, intro tamen ire perrexerit; non longe progressus, obvium habebit Collatinum, ob inanem popularis suspicionis auram \*) in exilium proficiscentem ea ex urbe, quam ipse magna ex parte dominatu regio liberarat. Atque ut Coriolanum tacitus prætereat, Marcum certe Camillum, haud facile dixerim militarine virtute an fide justitiaque majorem, et mirabitur et miserabitur eadem calamitate perculsum. Scipionem vero illum, de quo vere scripserat Ennius, nullam ei statuam, nullam columnam a populo Rom. erigi posse, quæ mag-

---

\*) Non dubito, quin Muretus scripserit: *ob inanem popularis aurae suspicionem.* R.

nitudini rerum ab ipso gestarum responderet, quis est, qui, cum intellexerit, eo post tot tamque insignes victorias redactum, ut exilium sibi suapte sponte conciverit, non debilitetur ac concidat animo planeque judicet, nullam iis attingendam esse reip. partem, qui commodo ac tranquillitati suæ consultum velint? Quid jam illos turbines, illas procellas, illas tempestates civilium dissensionum commemorem? quibus non unus aut alter præclarus et salutaris reip. civis percussus est; sed ipsi acervi, ipsa millia immortalitate dignorum hominum nefariis consceleratissimorum latronum manibus trucidata jacuerunt. O acerbum illud et vel Romani nominis hostibus miserabile spectaculum! cum passim per vias immanium gladiatorum in principes civitatis debacchabatur furor; cum, qui aliquando reip. præsidio fuerant, eis nullum in civitate præsidium reperiebatur; cum, quorum eloquentia ipsis gloriæ, aliis admirationi, reip. saluti fuerat, eorum ex illis ipsis Rostris, e quibus tam. cœpe concionati erant, incisis cervicibus, capita sanguinolenta pendebant. Sed ut hæc mittamus, quibus satis dolenter deplorandis alicujus eorum, qui tunc occubuerunt, opus esset ingenio: Ciceronis casus totiusque vi-

tæ jactatio quem non, qui in juvanda patria  
commodum suum aut aliquod ejusmodi  
præmium sequatur, a reip. tractatione deter-  
reat? Cujus enim unquam hominis vel plu-  
ra vel majora merita populus Romanus ha-  
buit? At ille tamen, cui senatus togato sup-  
plicationem decreverat; quem Q. Catulus,  
princeps senatus, quem M. Cato, quem mul-  
ti alii parentem patriæ meritissimo vocave-  
rant; cui L. Gellius coronam civicam a rep.  
deberi dixerat, quid non postea calamitatum,  
indignitatum, acerbitatum in ea, quæ ipsius  
consiliis stabat, civitate perpessus est? Ipse  
in exilium ab homine deterrimo pulsus, di-  
repta bona, vexata uxor, vexati liberi, do-  
mus incensa; quidquid denique meruerat  
Clodius, Cicero pertulit et eas ob ipsas res  
pertulit, quibus nulla satis ampla præmia  
poterant inveniri. Quocirca si sola, ut ini-  
tio dixi, præriorum exspectatione præclari  
viri ad virtutem et ad juvandum genus ho-  
minum adducerentur; multi sine dubio, cog-  
nitis aliorum casibus, a proposito abducen-  
tur. Sed est profecto, Mocenice, est major  
quædam vis, quæ tibi ac tui similibus per-  
suadeat, virtutem, non modo detractis omni-  
bus præmiis, verum etiam propositis omnibus

suppliciis, esse expetendam, pulcrum esse adjuvare cives suos et omnes curas, omnes cogitationes, omnes vigilias in reip. salute desigere; nullum ejus caussa periculum, nullam invidiam, nullam dimicationem defugere; cives beneficiis affecti si quid præmiorum retulerint, non repudiandum; sin parum grati parumque memores fuerint, quid denique nos reip., non quid alii nobis debeant, cogitandum. Sæpe enim ex te audivi, cum diceres, gratulari te tibi et magnam gratiam debere omnium rerum moderatori Deo, quod ea in rep. natus esses, in qua verendum non esset, non modo ne quisquam ob virtutem in invidiam vocaretur, sed ne vel minimis in remp. beneficiis sua præmia denegarentur; sed tamen, si vixisses illis temporibus, et optionem tibi Deus tulisset, Ciceronis fortunam, ab urbe conservata exulantis, fortunæ Cæsaris, in eadem oppressa dominantis, antepositurum fuisse. Ac plane ita est, ut dicam: gratuita prorsus, non mercenaria est virtus, neque præmiorum mercedibus ad recte agendum excelso homines ingenio, sed ipsa dignitate atque honestate ducuntur; aut, si quando de aliquo præmio cogitant, de gloria deque immortalitate nominis cogitant, cuius

splendore capti et incensi omnia, quæ aspera, molesta, difficilia perpessu, impatibilia \*) creduntur, vel non sentiunt vel despiciunt ducunt. Neque vero M. Tullius, cum de conjuratis supplicium sumeret, non jam tum cogitatione præcipiebat eas tempestates, quibus postea vexatus est; sed animus, et a natura præclare conformatus et sapientiæ præceptis adversus omnes vel fortunæ vel hominum injurias confirmatus, multo pluris ducebatur eam pulcritudinem eamque gloriam, quæ in conservanda patria esset, quam omnes acerbitates, quas ipsi postea perditorum hominum inflammata odio rabies objiceret posse videretur. Hanc ipsius rationem ac sententiam fuisse, cum alia multa tum hæc, quam explicare ingredimur, oratio <sup>2)</sup> manifesto declarat. (T. II. p. 635. sqq.)

\*) *Impatibilis* non barbara vox est, sed Ciceronis de fin. II, 17, ubi vide Davisiūm. R.

<sup>2)</sup> Ciceronis oratio quarta in Catilinam.

## FRANCISCO GONZAGÆ

Non injuria dubitatum est a veteribus, Francisce Gonzaga, adolescens præstantissime, Tibullone an Propertio deferendus esset inter Latinos poetas elegiæ scribendæ principatus. Nam ut insunt in utroque permulta, quæ eos, vulgarium numero exemptos, in edito atque eminenti statuant loco; sic propriæ quædam extant et elucent in utroque virtutes, quibus uterque alterius palmam ambiguam facere videatur. Summa in Tibullo elocutionis elegantia et proprietas, summa in Propertio eruditionis poeticæ copia et varietas. In illo Romana prope omnia, in hoc pleraque transmarina. Illum nativa quædam et incorrupta Romani sermonis integritas in media urbe natum et altum esse perspicue ostendit; hunc, præter cetera, forma et character ipse dicendi in Græcorum poetarum scriptis assiduissime versatum esse demonstrat. Cumque a sapientissimis viris traditum sit, duo esse præcipua poeticæ dictiōnis ornamenta, τὸ σαφὲς καὶ τὸ ξενικὸν; illo Tibullus, hoc Propertius excellere videtur.

Mollior ille et delicatior, nervosior hic et accuratior. Illo magis oblectere; hunc magis, ut opinor, admirere. Illum judices simplicius scripsisse, quæ cogitaret; hunc diligentius cogitasse, quid scribebat. In illo plus naturæ, in hoc plus curæ atque industriæ fuisse perspicias. Quæ cum ita se habeant; perdifficile est decernere ac constituere, uter alteri præstet. Nam, si præcipua laus poetarum in imitatione consistit, mihi quidem videtur Tibullus varios illos fluctuantis animi motus, quibus amantes agitari solent, melius imitatus esse; sin, ut quidque ad optimum proxime accedit, ita ipsum quoque optimum judicandum est: crediderim sane, veterum illorum Græcorum ac præcipue Callimachi Propertium haud paullo similiorem fuisse, qua etiam fiducia ipse se Romanum Callimachum vocare ausus est. Sed hæc utut sunt, neque nostrum est neque cujusquam hominis prudentis et considerati, qua de re veteres illi, quorum fuit et doctrina major et judicium acrius, non liquere pronunciarunt, de ea certi quidquam constituere et litem secundum alterutrum dare. Satius fuerit utrumque studiose ac diligenter evolvere, utriusque virtutes accurate perpendere, u-

trumque sibi ad imitandum proponere, si quando forte nos ad tentandum idem poematis genus aut voluntas adducet, aut naturae impetus feret. Quæ ego omnia, Franciscus Gonzaga, quantum quidem in me fuit, summo studio adolescens factitavi, non enim facile concesserim multis, qui hos poetas aut saepius aut accuratius legerint aut vero plus operæ posuerint in eorum virtutibus imitando exprimendis. Ex quo autem in me juvenilis illa, qua studia poetica foventur, alacritas deferbuit, animumque sibi meum graviorum et hac ætate digniorum artium tractatio vendicavit; temperare mihi tamen non possum, quin saepe eos in manibus habeam horisque subsecivis graviorum studiorum asperitatem hoc quasi condimento amoënitatis mitigem ac molliam. Quin etiam, ut non occupationes tantum meæ, verum remissiones quoque animi afferant aliquid utilitatis hominibus, confero studium non mediocre ad libros eorum perpurgandos et ad locos, si quos mihi forte intelligere videor, qui non ita sint omnibus pervii, explicandos. Tale igitur quiddam his diebus in Propertio præstigi et, cum admirabili desiderio tenerer insinuandi me aliqua in amicitiam tuam,

iter mihi ad eam præmunire hoc munusculo volui. Ut autem a te cognosci cuperem, ne vivam, si me aut divitiæ, quibus abundas, aut generis tui claritas aut quidquam denique, præter maximas tuas et jam nunc omnium sermone celebratissimas virtutes, incitavit. Nam opulentorum, qui honesta studia spernant, non modo non ambire ac persequi, sed aspernari etiam ac refugere amicitias soleo, non semel expertus, nihil esse ejusmodi hominibus φορτικώτερον; generis autem nobilitas in iis demum habet aliquid gloriandum, qui faciunt id, quod tu, hoc est, in iis, qui omni ope moliuntur efficere, ut ne minus ipsi splendoris posteris suis tradidisse quam a majoribus accepisse, videantur. Itaque colunt te quidem homines et observant ut magni illius Ferdinandi Gonzagæ, sapientissimi, fortissimi, fortunatissimi imperatoris, filium; sed multo te, mibi crede, impensius colunt, quod eam te viam ingressum aut potius in ea jam longe progressum vident, in qua si, ut spes minime dubia est, perstiteris, non ille apud posteros tot victoriis, tot optimis spoliis, tot tropæis, quam te filio, clarior sit futurus. Sed illius quidem res gestæ cum aliorum monumentis celebrabuntur, tum

præcipue scriptis Antonii Possevini, familia-  
ris tui, eruditissimi hominis et ad conscri-  
bendam historiam facti, tradentur memoriae  
hominum sempiternæ; tuas autem hoc loco  
pluribus persequi nolo, tum, ne modum  
epistolæ excedam, tum, quod mihi veniunt  
in mentem Euripidis <sup>3)</sup> versus:

*Aἰνούμενοι γὰρ οἱ ἡγαθοὶ τρόπον τινα  
Μισοῦσι τὸν αἰροῦντας, ἐὰν αἰνῶσ’ ἄγαν.*

Id tantum te orabo, ut, cum a philosophiæ studiis, in quibus te quotidie Bernardinus Tomitanus, singulare Patavini gymnasii decus, exercet, relaxare animum voles, Propertianæ lectioni temporis aliquid tribuere ne graveris: in qua si comitem tibi, ut facturum augor, Hippolytum Capilupum, epis copum Fanensem, incredibili et virtute et doctrina hominem, assumpseris, habebis, qui tibi possit ea, quæ a me vèl omissa vel non satis intellecta sunt, unus optime omnium interpretari. Vale. Patavii. Kalend. Sext. MDLVIII. (T. II. p. 903. sqq.)

<sup>3)</sup> Iphig. Aul. 979. sq.

## 5.

## JACOBO SURIANO.

**Q**uidnam esse caussæ dicemus, Jacobe Suriane, cur, cum omnium voluntas, ipsa duce atque impellente natura, dirigatur ad bonum, tam pauci tamen ex hominibus ea, quæ vere bona sunt, consequantur? Tibi quidem in primis facile id ad explicandum fuerit, qui cum ceterarum artium scientia perpolitus es, tum in philosophiæ studio ita excellis, ut cetera quidem tibi communia cum multis, hujus tua quodam modo propria possessio videatur. Sed tamen, quia nos quoque neque unquam alieni a philosophia suimus et nunc maxime, vel voluntate nostra vel rebus ita ferentibus, philosophamur, quæ nobis hac de re cogitantibus veniebant in mentem, ea breviter hoc loco et strictim aperiemus. Quoniam igitur, quæ naturalia sunt, in toto genere sunt, et hæc boni appetitio naturalis est; sit, nullius ut hominis ita sit depravatus animus, quin vel ad id, quod bonum est, vel ad id, quod ipse bonum putat, consilia cogitationesque omnes dirigat suas. Quibus autem impediuntur plerique a magnarum præclararumque rerum adeptione, ea qua-

tuor fere esse animadverto. Alii enim judicio labuntur, idque dupliciter: ut aut, pravis opinionibus impediti, prætermisis rebus vere bonis, inanes quasdam minusque fructuosas amplexentur aut cum recte statuerint, quid sequi debeant, aliis tamen id, quam quibus oportet, querere insistant viis; alii constantiam perseverantiamque non retinent, sed, cum et ad ea, quæ bona sunt, initio animum adjecerint et eas ingressi sint vias, quæ, quo ipsi tendunt, ferant, postea tamen, vel difficultate rerum deterriti vel sua levitate distracti, convertuntur alio et vel ignaviæ sese dant vel certe urgere id, quod principio sibi proposuerant, desinunt; alii denique, cum et vere judicent et satis constanter in eo, quod instituere, pertendant, virium tamen imbecillitate et inopia consequi ea, quæ volunt, non queunt. Harum omnium rerum graviora exempla ex omnibus vitæ partibus sumere est; sed ego nunc illud exponam, quod me hoc tempore in hanc cogitationem deduxit: ut in eo explicando ad id, quod mihi proprie propositum est, mea paullatim delabatur oratio. Cum enim mecum, Suriane, in animo reproto, qui fiat, ut hac tempestate tam pauci sint, in quorum aut sermone aut

scriptis liceat imaginem aliquam antiquæ illius Romanæ orationis agnoscere; reperio, huic quoque malo eas, quas ante dixi, subesse caussas. Primum ita agresti aliquot ingenio reperias, ut, quæ in facienda excolendaque oratione sumitur, omnem perire operam putent; alios, qui, quamvis in ornate loquendi ratione studium ponendum non negent, non in Latina id tamen Græcave lingua, sed in ea, qua vulgo utimur, fieri censeant oportere. Atque illos quidem merito possit quilibet ut amentes aliquos stupidosque contemnere; horum vero perversa opinio ita jam per omnem Italiam pervagata quasique prosemnata est, ut innumeros præclaro juvenes ingenio a studio earum linguarum, quibus omnis humanitas, omnis doctrina elegans, omnis antiquitatis memoria continetur, abduxerit, periculumque porro sit, ne, si hoc malum radices agat, quæ semper propria Italorum laus fuit, ut soli ex omnibus Latina oratione perite ac scienter uterentur, eam qui sustineant, non multi in Italia reperiantur. Alterum vitium est, quo transalpini multi (fatendum enim est) laboramus: quod, cum in Latini sermonis elegantia excellere pulcrum putemus, non tamen fere

callemus, quo ad eam itinere contendere oporteat. Itaque de nostris pauciores hactenus \*), quam vellem, extiterunt, qui se ad Ciceronis, Terentii, Cæsaris imitationem componerent. Pervolutabant sine ullo discrimine omnes omnium scriptorum libros et ex omnium commistione varium quoddam et multiforme pro suo quisque ingenio dicendi genus effingebant pulcrique sibi ac beati videbantur, si eam consequerentur facultatem, ut de rebus propositis verba fundere animique sui sensus qualicunque orationis genere ad alios perferre possent. Ergo in Gallia Germaniaque, qui celeriter et expedite Latine loquerentur, (si hoc modo est Latine loqui) innumeros; qui bene ac diserte, vix unum aut alterum haud ita pridem reperire potuisses. Nam illud quoque, quod tertio loco posui, nostrum non paucis impedimento est. Semel rectam viam ingressi, vel relanguescimus vel, mutabilitate quadam, minimis plerumque momentis ab ea deducimur. Indecorum esset, de me ipso prædicare me;

---

\* ) Hactenus de loco vel re dicitur, non de tempore. Vide Cellarium cur. poster. p. 362. *R.*

sed hoc sine ulla vanitate affirmare possum, quo minus aliquam loquendi scribendique facultatem consequerer, horum mihi trium nihil obstitisse: semper Latini sermonis puritatem magnum quoddam et præclarum bonum esse duxi; semper eam ex illorum, quos supra nominavi, eisque finitimorum scriptis, velut e purissimis fontibus, hauriendam sum ratus; neque me vel debilitavit laboris metus, vel a suscepto studio ingenii mobilitas avocavit. Vires mihi, ne id, ad quod toto pectore ferebar, consequerer, defuerunt. Quod potui, in eo me continui, ut illorum, qui hac laude floruerant, libros diligenter evolverem: quo virtutes illorum aliqua ex parte, si minus exprimere imitando, at certe intelligendo consequi et commonistrare olim adolescentibus meliori natis ingenio possem. Ac, quoniam Ciceronem summo tot æstatum consensu primas sine controversia tenere, ab ipso autem Cicerone Terentium optimum Latinitatis auctorem nominari videbam, incredibile studium in ejus poetæ fabulis collocavi, ut etiam, crebro repetita lectione, ad verbum ediscerem. Nuper igitur, cum eas Paulus Manutius, vir eruditissimus et in hac Latine loquendi facultate omnium judicio

singularis, denuo typis suis descriptas emittere pararet; egit mecum pro familiaritate nostra, ut eas accurate recognoscerem adhibitisque veteribus libris judicioque etiam meo perpurgarem ab iis mendis, quibus illas aliorum quorundam negligentia, inscitia, audacia contaminasset. Feci libens: tum ut obtemperarem auctoritati hominis de me optime meriti; tum ut aliquid navarem assidue, quo studiosorum labor minueretur. Non audem rem hoc dicere, nisi mihi conscius essem, vera loqui. Tantum effeci, quantum si aliis post me quispiam effecerit, erit, cur sibi serio, qui hujus poetæ studiosi sunt, gratulentur. Hunc meum laborem ad te potissimum, Jacobe Suriane, mitto tibique dedico, tum eximia tua præstantique virtute ac eruditione commotus, tum quoniam, ex quo in hac urbe <sup>4)</sup> veterum scripta interpretari, constituto mihi publice stipendio, coepi, tota me vestra domus admirabili quodam amoris ardore complexa est. Erit autem hoc munus tibi fortasse minus utile, qui, jam dudum in philosophiæ penetralia receptus, non ita sæpe

---

<sup>4)</sup> Venetiis.

demittis animum ad hæc levioris operæ studia; Hermolao quidem et Georgio fratribus tuis, modestissimis studiosissimisque adolescentibus, non inutile fore confido. Vale. (T. II. p. 651. sqq.)

## 6.

## HIPPOLYTO ESTENSI.

**M**agnopere peccare mihi viderer, Hippolyte, cardinalis illustrissime, si otium illud, quod et plurimum et honestissimum tua mihi benignitate conceditur, alia ulla re, quam litterarum et earum artium, quibus te insinquerter oblectari video, assidua tractatione consumerem. Nam cum ea te præcipue caussa commoverit, ut aditum mihi ad familiaritatem tuam ultro patefaciendum putaris, quod ad te de mea erga illas incredibili voluntate, meis fortasse scriptis et amicis de me sumorum hominum concitata sermonibus, fama pervenerat; quis me ferendum putet, nisi quam de me opinionem incognito adhuc et absente conceperas, eam præsens ipse omni studio omnique corporis et animi contentione confirmem? Ita igitur facio, quarum artium singularis pulcritudo mentem meam,

usque a puero, admirabili quodam sui desiderio incenderat, eas nunc demum beneficio tuo aliis omnibus curis solutus, magno et alaci animo persequor; neque sane committo, ut, qui me tibi tanquam hominem et non ineruditum et eruditionis ac doctrinæ sitientissimum commendarunt, cum in illo priore indulserint amori erga me suo, in hoc etiam altero eidem obsecuti ac non potius id, quod exploratum haberent, vere apud te testati esse videantur. Quod cum facio, primum, quo nihil dulcius est, nihil optabilius, naturæ meæ propensionem sequor. Vere enim hoc tibi affirmare possum: si quis mihi Deus omnes opes, omnia commoda, omnem potentiam proponat, ea lege ac conditione, ut semel deponam hæc studia et has qualescunque litterulas, altrices adolescentiæ meæ, fidissimas meorum omnium temporum comites, deseram; nunquam id faciam neque quidquam tanti esse ducam, quod mereri velim, ut a suavissimo earum amplexu et contubernio abducatur. Quare, ut dixi, cum in eas toto pectore incumbo, naturæ meæ parere idque facio, quod si facere vetarer, vietalem mihi esse vitam non putarem. Deinde, quo mihi nihil prius ac potius neque est

neque esse debet, voluntati tuæ morem gero.  
Sæpe enim mihi, quæ tua est humanitas, af-  
firmasti, nullum tibi a me genus obsequii  
præstari posse jucundius, quam si omne tem-  
pus arbitratu meo ponerem in litteris et ali-  
quid assidue, quantum in me esset, excude-  
rem, quod et mibi ornamento et aliis usui  
et tibi oblectationi esse posset. Neque vero  
me, ut id faciam, oratione tantum cohorta-  
ris, verum etiam exemplo. Quid enim facere  
nos oportet, quicunque tuis opibus non aliam  
ob caussam sovemur, sustentamur, ornamur,  
quam ut, in his studiis omni cogitatione de-  
fixa, dies noctesque exerceamur: cum te, te,  
inquam, ipsum, quem moderatrix humana-  
rum rerum providentia in altissimo dignita-  
tis gradu collocatum, perpetua gravissimorum  
munerum procuratione districtum teneri vo-  
luit, inter tot, tam graves, tam multiplices  
curas, tantopere ad tranquillitatem et salu-  
tem publicam pertinentes, quotidie tamen  
aliquid temporis harum artium tractationi tri-  
buere videamus? Nimirum et unusquisque  
nostrum naturæ suæ, ut ait poeta quidam,  
semina sequitur et, quibuscum diu ac fami-  
iliariter vixit, eorum mores et instituta vivendi  
facile ac libenter imitatur. Te vero cum om-

nis honestatis ac dignitatis amantissimum, omnium, quæ ad comparandam veram ac solidam gloriam pertinent, appetentissimum natura genuisset, consecuta deinde Francisci Valesii, Galliarum regis optimi ac maximi, intima illa, qua tot annos usus es, consuetudo magis etiam incitavit ad easdem illas vias, in quas ipsa te natura deduxerat, animosius et constantius persequendas. Ille homines eruditos ad se ex omnibus orbis terrarum partibus, amplissima eorum industriæ præmia statuens, convocabat. Idem illud exemplum jam dudum Italia te maxima cum tua laude renovantem intuetur. Ad regalem illius mensam non ullum acroama aut libentius aut sæpius, . quam vox alicujus eruditii hominis, audiebatur. Epulæ quoque tuæ quotidie nulla re magis, quam gravissimis et honestissimis virorum doctrina præstantium sermonibus, condiuntur. Ille igitur ad ceteras suas laudes eam addidit, qua nulla, meo quidem judicio, major est, nulla præclarior, ut communi omnium populorum consensu litterarum pater nominaretur. Idem illud cognomen tibi apud posteros tributum iri, cuivis perfacile est, qui tuam erga homines libera- lium artium scientia excultos munificam pla-

neque regiam voluntatem cognoverit, augurari. Nos interea, qui per te hoc otio frui-  
mur, omnem industriam eo conferre oportet,  
ut, quacunque ratione possumus, heroicas  
ac prope divinas virtutes tuas omni genere  
monumentorum ad immortalem posteritatis  
memoriam consecremus. Non quod rerum a  
te gestarum gloria nostro testimonio indigeat,  
sed quod alia nobis via nulla relinquitur,  
qua ingrati animi notam effugere valeamus.  
Igitur alii quidem, quibus major doctrinæ  
copia est, alia tibi graviora et majoris operæ  
inscribent. Ego autem, qui nondum eam fa-  
cultatem consecutus sum, ut a me quidquam  
egregium exspectari debeat, scribam tamen,  
qualiacunque potero, et hisce parvis ac te-  
nuibus munusculis testabor hominibus mag-  
nitudinem observantiae erga te meæ. Illud  
quidem certe omni ope conabor efficere, ut  
scripta mea, si nullam aliam ob caussam in-  
pretio sint, utilitate tamen tueantur ipsa se  
et hoc saltem nomine a studiosis hominibus  
non negligantur. Quod et alias feci et in  
iis maxime, quos nuper apud te scripsi, va-  
riarum lectionum libris. Primum enim cum  
in præstantissimis utriusque linguae scriptori-  
bus multa, vel temporum vel hominum cul-

pa , corrupte et depravate legantur; eaque res vel non animadversa errorem vel animadversa molestiam et difficultatem legentibus objicere soleat: ejus incommodi ut pars aliqua per me tolleretur, operam dedi. Deinde, cum et illud constet, veteres Latinos summo studio esse in Græcorum imitatione versatos, et eorum locorum, quos illi ab his acceptos in usum suum transtulerunt, diligens et accurata notatio magnam his temporibus utilitatem habere credatur; hujus quoque generis inspergenda nonnulla esse duxi. Narratiunculas etiam aliquot admiscui quarundam historiarum, quæ neque contritæ ac communes essent neque fore injucundæ cognitu viderentur. Ubi autem ita res tulit, ut ab iis, qui vel ætate nostra vel etiam superioribus temporibus in hoc ipso curriculo industriam suam exercuerant, dissentirem; feci id, ut et natura et consuetudo mea fert, libere, sed ea tamen moderatione servata, ut, imminutam esse a me dignitatem suam, nemo conqueri possit, nisi qui tantum sibi tribuat, ut errare se posse non putet. Quod neque cuiquam unquam contigit, et majus est, quam ut convenire in humanam fragilitatem queat. Sed nos quid fecerimus, ipsa res in-

dicabit. Testatum quidem omnibus esse volumus, nihil aliud nobis propositum fuisse, quam ut sine cujusquam offensione auxilii aliquid attulisse huic studiorum generi dicemur. A te autem, Hippolyte, principum decus, etiam atque etiam petimus, ut, qua nos humanitate in familiarium tuorum numerum recipere dignatus es, eadem hos labores nostros, qui nulla re magis, quam tui nominis auctoritate, nixi, in publicum prodeunt, tibi accipiendoes putas neque tam, quid amplitudini tuæ conveniat, quam quid præstari a nobis possit, expendas. Nam et hæc ipsa novis in dies accessionibus crescent, et alia suo tempore, quæ tibi gratiora fore confidimus, proferentur. (T. II. p. 3. sqq.)

## 7.

## A D R I A N O T U R N E B O.

Cum ex Italia octavo post anno in Galliam mihi esse redeundum viderem, judicavi fore, ut mihi vitio verteretur, si ex regione copiosissima et bonis omnibus abundantissima, in qua tot annos versatus essem, redirem ad meos, inanis aliqua re exquisita et visenda, qua possem ἀντιφιλοφρονεῖν eos, qui,

tam longo intervallo, salvum venisse, ut sit,  
gratularentur. Quanquam igitur toto pere-  
grinationis meæ tempore studiosissime fece-  
ram, ut veteres bibliothecas, quæ illic pluri-  
mæ ac pulcerrimæ sunt, excuterem, bellissi-  
mum quodque, quod suo tempore ad usum  
hominum depromerem, conditurus; tamen  
ultimis illis diebus, quibus Romæ fui, majori  
etiam studio ad eam rem incubui, insita et  
usitata hominibus consuetudine ardentiori  
affectu tractandi atque amplectendi ea, qui-  
bus se paullo post carituros vident. Sæpe  
autem audiveram commendari ab hominibus  
eruditis volumen quoddam perantiquum Phi-  
lippicarum M. Tullii, quod asservaretur in  
biblioteca Vaticana, non in majore quidem  
illa et augustiore, quæ pontificum benefi-  
cio quotidie fere statis horis patere ad com-  
munem studiosorum omnium utilitatem con-  
suevit, sed in abdita quadam et non ita  
omnibus pervia, quæ a sacerdotibus divi Pe-  
tri superioribus annis concinnata, postea  
sive negligentia hominum sive fraude exhau-  
sta prope jam et exinanita esset. Sed anxium  
me ac sollicitum habebat, quod, cum antea  
multa per me, multa per amicos expertus  
essem, ut eum librum inspicere eoque tri-

duum aut̄ quatriduum arbitratū meo ut̄ possem, nunquam successerat, semperque casus aliquis, cum jam jamque id, quod optabam, consecuturus viderer, conatus omnes meos eluserat. Statui tamen, antequam ab incepto desisterem, semel etiam experienda omnia esse, et, quasi munitam aliquam arcem diu frustra obsedissem, prius quam re infecta discederem, omnibus simul machinis, omnibus operibus ad murum admotis, tentandam irruptionem. Quid quæris, puncto temporis obtigit, quod totum prope biennium nequidquam optaveram. Non modo enim mihi eximium illum librum inspicere licuit, quod ego ipsum posuissem in magni beneficii loco; sed etiam permissum, ut eum mecum auferrem domique haberem, data prius fide, eum, quod longissimum esset, ante septimum diem redditum ac restitutum iri. Tum vero, tanquam longo tempore collectam sitim explere cupiens, ita eum avide pervolutare et cum iis, qui ab eruditissimo ac diligentissimo viro, Hieronymo Ferrario, emendati erant, conferre coepi, ut me, quanquam graviter ægrotare cœperam, non valetudinis ratio, non cibi potionisve necessitas, non ille ipse omnium domitor (ut eum poetæ Græci vo-

cant) a tam dulci occupatione posset somnus abducere. Præclare autem mihi constitit operæ meæ fructus: non enim facile crediderit quisquam, quam multa in his orationibus mutila, quam multa temere addita, quam multa corrupta ac depravata legerentur in omnibus aliis libris, quæ hujus ope expleta, refecta, sanata et integratati suæ restituta sunt. Librum autem ipsum credo equidem ante hos septingentos annos exaratum esse. Quod et ipsa litterarum conformatio ostendit plerisque locis gemina ei, quæ in pandectis Florentinis et in Terentio Petri Bembi visitur; et scribendi ratio, quam ὀρθογραφίαν vocant, eadem plane, quæ in iis, quos modo nominavi, libris et præterea in antiquissimo illo epistolarum Ciceronis, cuius exemplum abhinc triennium divulgavit P. Victorius. Quam quidem cum ex aliqua parte exprimendam curaverim, non tamen sum ausus perpetuo id facere, ne nimia illa novitas (si quidem nova dicimus etiam ea, quæ, cum vetera sint, diu ab oculis et ab usu hominum absuerunt) lectoribus et moram objiceret et molestiam pareret. Ut taceam, quod quædam in eis libris inesse judico, errore potius et vitio illorum temporum, quam ratione et

auctoritate superiorum recepta. Cujus generis sunt *emptus*, *sumptus* et similia per litteram p. In quo ita immoderata fuit ætas illa, ut *solempnia* et *somnium* et *temptare* plerique omnes tum scribebent. Sed et illud ex eodem fonte fluxisse puto, quod litteras multas inter se commutabant: cum *apsum* et *optineo* contraque *scribura* et *obtare* sæpe in eorum libris legatur. In eundem numerum incluserim *avieris* pro *abieris* et *bolumina* pro *volumina* ejusdemque generis innumera. Nam illud quale esse dicam, nescio, quod *lathrones* et *lathrocinia* prope semper scribebat is, cujus manu ille Philippicarum liber scriptus est. Ne illa quidem exprimenda duxi, *adficere*, *adponere*, *conligere*, *conlega*, *inlustris* et talia aut *œcum*, *relicuum*, *locuntur*, *cotidie*, quæ tamen non ejusdem generis, cujus illa, esse duco, aut illa, *immemoriam* pro *in memoriam*, *summast* pro *summa* est et similia, etsi hæc quidem non plane aspernanda censeo. At hæc leviora sunt. Illud majoris momenti, quod locos amplius trecentos, in omnibus aliis libris depravatos, a nobis emendatos videbit, quisquis hanc editionem cum aliis conferre voluerit. Tibi autem, Adriane Turnebe, vir optime et doctissime,

hunc laborem meum inscribere quasique consecrare placuit, tum ut extaret monimentum aliquod veteris amicitiae nostræ, tum ut liber ipse hoc nomine studiosis omnibus gratiior ac commendatior foret. Et sane sive quærendus erat amicus de me bene meritus, cui hoc munusculum daretur: neminem ordinis nostri videbam, cui plus deberem; sive diligendus judex, qui de his rebus existimare unus omnium optime posset: nullum reperire poteram, cui justius id deferretur, quam tibi. Non enim aut obscurum aut ambiguum est inter omnes, qui hodie litteras tractant, ad quem ex hominibus nostris primæ sine controversia deferantur. Vale meque, ut facis, amare perge. Lutetiæ. Id. Mart. Anno MDLXII. (T. II. p. 975. sqq.)

## 8.

## A U D I T O R I B U S S U I S.

Cum hunc <sup>5)</sup> Aristotelis librum vobis explicaturus essem, multis de caussis mihi fa-

<sup>5)</sup> quintum ethicorum.

ciendum putavi, ut eum prius Latine a me conversum ederem. Primum, quoniam, etsi in ceteris libris explicandis conatus eram efficere, ut ne ii quidem, qui Græcarum litterarum rudes sunt, aditum sibi ad me audiendum peregrinitate sermonis occlusum esse quererentur, non obscuris tamen multorum sermonibus aures meæ quotidie verberabantur conquerentium, crebro illo vocum Græcarum interjectu retardari intelligentiam suam, planiora sibi multo et expeditiora omnia fore, si Latine dicerentur. Horum igitur studio aliquid tribuendum esse duxi. Deinde submolestem ipsi mihi nonnunquam erat (verum ut fatear) tantum quotidie operæ ac temporis in reddendis singulis vocibus ponere: ut mihi quoque satius videretur semel illo labore defungi. Nam cum singulæ disputationes nostræ in unius horæ curriculum concludantur, ex eoque ipso aliquid sæpe multis occasionibus delibetur ac datrahatur, adhibenda parcimonia est, videndumque omni studio, ut id saltem, quod datur, quam possumus optime et utilissime collocetur. Jam e tam brevi tempore non multum potest tractandis rebus relinquи, si aliquid ex eo singula verba decerpant. Præcipue autem hic liber

propter mirificam quandam rerum ac senten-  
tiarum subtilitatem postulare quodammodo  
videbatur, ut, quo liberiores animi nostri  
totos se ad eas penitus cognoscendas darent,  
illa altera pars laboris et vobis et mihi deme-  
retur. Fuere et aliæ hujus mei consilii caus-  
sæ, quas nihil necesse habeo pluribus perse-  
qui. Dedi autem operam, quantum quidem  
in me fuit, ut Aristotelis non sententiam mo-  
do exprimerem, sed genus ipsum dicendi,  
quoad liceret, imitarer. Nam cum suo quis-  
que modo et loquatur et scribat, aliosque an-  
gusta, pressa, concisa, alios ampla, copiosa,  
redundans delectet oratio; non satis probo  
consilium eorum, qui, cum Aristoteles sicci-  
tatem quandam tenuitatemque dicendi, con-  
tra Cicero copiam et ubertatem adamaverit,  
neque quidquam tam dissimile sit, quam  
eorum inter se dicendi genus, Aristotelem  
tamen interpretantes, quia se, quam possunt,  
Ciceronis simillimos esse cupiunt, quæ ab  
illo et breviter et subobscure dicta sunt, ea  
hujus more dilatant atque diducunt. Sed  
suum cuique, ut dicitur. Ego an, quod vo-  
lui, assecutus sim, nescio aut potius, id non  
assecutum esse me, scio: certe quidem, quod  
in hoc genere optimum est, id me secutum

esse ac propositum habuisse confido. Neque  
damno industriam eorum, qui aut ante me  
aut post me (si quidem jam duodecim anni  
sunt, cum hujus libri interpretatio mea pri-  
mum edita est) in his rebus Latine tractan-  
dis elaborarunt. Quorum etiam quidam au-  
xilio ad eam rem meo usos esse se, non diffi-  
tentur. Neque tantum, ut ille dixit, poste-  
rior dies prioris discipulus est, sed etiam ma-  
gister. Multa aliter olim accipiebam, aliter  
hodie accipio. Græcos etiam libros multo  
pluribus locis depravatos esse video, quam  
tunc arbitrabar. Itaque necesse est, multa  
longe secus in eorum interpretationibus, quam  
in mea, legi. De quibus non intelligentes  
modo, sed etiam eos, qui sibi tales videntur,  
quorum omnis ætas magnam copiam extulit,  
judicaturos esse prospicio. Horum ego ne-  
que alteros rejicio neque alteros extimesco:  
est ejusdem ingenii et eruditorum admoni-  
tiones amare et indoctorum maledicta con-  
temnere. Ubi et cur a ceteris dissenserim,  
vos quidem quotidie ex me ipso, ceteri  
autem ex commentario, quem, cum primum  
licebit, edituri sumus, intelligent. Romæ.  
Kal. Mart. Anno MDLXV. (T. III. p. 323. sq.)

## 9.

## HIERONYMO OTTOBONO. /

Semper maximi feci Senecam semperque de eo, ut de scriptore non tantum, quod omnes fatentur, sapientissimo, sed etiam, quod fatui negant, disertissimo, judicavi. Itaque multum operæ in libris illius posui eosque sæpe cum cura pervolutavi neque me, quantum eis legendis profecerim, pœnitet. Te quoque, ut scis, prædicatione mea primus impuli, ut eum cognoscere cuperes: in quo cum mihi paruissest, sensisti, eum tibi et ad orationis cultum ac copiam et multo magis ad tranquillitatem animi et ad despicienda, quæcunque immerentibus acerba eveniunt, mirabiliter profuisse. Cum igitur explicare statuissem librum ipsius de providentia, eumque a me diligenter emendatum seorsum a ceteris edi placuisset, ut commode in manibus haberi posset ab iis, qui me audire tanti putabunt, volui in ipso ejus quasi limine extare testimonium amoris erga te mei, orti ex tuo erga optimas disciplinas admirabili studio, placidissimis moribus, integritate vitæ etiam optimis temporibus prædicanda. Nunc a te peto,

mea quidem caussa, ut hoc munusculum libenter accipias; tua vero, ut institutam vivendi rationem constanter persequare, ne, si secus evenerit, aut ego, qui nemini adulari soleo, mei dissimilis fuisse, aut tu a te ipso descivisse videaris. Vale. Romæ. XV. Kal. Jan. MDLXXV. (T. IV. p. 597.)

## 10.

## GEORGIO GOZZIO.

Etsi prudentia e libris hauriri non potest, Georgi; dubium tamen non est, quin tractatio ac pervolutatio certi cujusdam generis librorum plurimum momenti habeat ad prudentiam comparandam. Tales autem sunt cum alii tum ii præcipue, quibus aut historia, perite et intelligenter explicata, aut præcepta ad informandam vitam utilia continentur. Jam utroque in genere apud Græcos quidem duo mihi videntur excelluisse, Xenophon et Plutarchus; e Latinis autem, (nimium fortasse mihi sumo, qui tanta de re judicare audeam; sed ut reprehendendus essem, si quasi judex

aut arbiter statuerem: ita licere arbitror,  
tanquam uni e multis, quid sentiam, dicere)  
ex omni igitur Latinorum scriptorum copia  
longe mihi hac laude supra ceteros Cornelius  
Tacitus excellere videtur. Quare iis, qui lit-  
teras ita tractare cupiunt, non ut a vitæ mu-  
neribus feriati abditarum rerum et vulgi  
captum superantium meditatione animum  
pascant, sed ut in hominum consuetudine et  
in reipubl. administratione versantes et pri-  
vatim et publice ceteris prosint; vobisque  
præsertim, qui ea in republ.<sup>6)</sup> nati estis,  
quæ tota vestro, id est, nobilium consilio  
atque auctoritate regitur, ejusmodi scriptores,  
præter pauca quædam Plutarchi, quæ ad  
mathematicas disciplinas aut ad physiologiam  
pertinent, totos diligentissime cognoscendos  
et in manibus habendos puto. Platonis au-  
tem et Aristotelis non omnia, sed utriusque  
ea modo, quæ ad conformandos mores et  
institutionem reipublicæ et ad eloquentiam  
pertinent. Hoc meo consilio et alii olim no-

---

<sup>6)</sup> Ragusina.

biles adolescentes usi sunt, quorum etiam nonnulli hodie magni ac clari in civitatibus suis viri uberes se ex eo fructus percipere tentur, et tu cum maxime uteris, qui horas tibi quotidie aliquot sumis, quas mecum in accurata talium scriptorum lectione consumas. Hoc igitur studio tuo adductus simulque impulsus amicitia ac familiaritate nostra, quæ multis abhinc annis instituta ita jam crevit, vix ut quisquam sibi ipse carior sit, quam uterque nostrum est alteri, do dicoque tibi commentarium in libros Aristotelis de arte dicendi, nuper a me, ut commodis auditorum meorum consulerem, Latino sermone, ut potui, expressos. Cur eum laborem post tot alios suscepserim, neque tibi ignotum est, et alii suo loco ac tempore sine ulla in quenquam contumelia intelligent. Liber quidem secundus ejusmodi est, ut, si singuli libri cum singulis conferantur, vix ullum reperiri posse opiner, qui plus ad prudentiam conferat. Tibi autem certo scio munuscum hoc gravissimum fore, tum suapte vi, tum quod ab homine tui amantissimo proficiscitur. Ac præter ceteras voluptates, quas eo relegendo capies, illa, ut spero, non minima futura est, quod, quoties eam partem inspicias, in qua

summus philosophus, quæ opulentos ac nobiles vicia comitari soleant, tradit, te, qui utraque re non multos, ne quid gravius dicam, in civitate tua superiores habes, omnium tamen judicio ab eis omnibus vitiis longissime abesse cognosces. Mirificam enim etiam erga infimos comitatem ac facilitatem perpetuo retinens, ita te geris, ut nobilitatem quidem pro incitamento, opes autem pro instrumento exercendæ virtutis a rerum omnium præpotenti Deo accepisse videaris. Vale. Romæ. Id. Febr. MDLXXVII. (T. III. p. 733. sq.)

## 11.

## M. ANTONIO FRATRIS F.

Utinam tibi eveniant, fili, quæ me adduxerunt, ut te statim post obitum patris tui, fratris mihi longe carissimi, ad me huc adduci et in sinu ac complexu meo educari voluerim. Valui autem illud præcipue, ut, quando florentissimum regnum, in quo uterque nati sumus, Deo justas poenas eorum, quæ a nobis peccata sunt, exigente, sævis jam pridem tempestatibus agitatur, tu in hanc Christianæ

religionis metropolin, tanquam in tutissimum portum, subductus, vera pietate adhuc tener imbuare et iis moribus assuefias, qui Christianum hominem decent. Cupio equidem, et alia tibi contingere, quibus vita et tranquillior et honoratior redditur: sed id, quod dixi, primum mihi ac præcipuum votum est; cetera sunt quædam quasi appendices et accessiones. Ut igitur voti compos siam, debeo quidem id quotidianis precibus, ut facio, a Deo petere; neque tamen interea cessare, sed omnia studiose facere ac procurare, quibus te meliorem et virtutis amantiorum posse fieri putem. Ea me caussa impulit, ut præcepta quædam ad formandos mores pertinentia versibus, quam potui maxime, ad ætatis tuæ captum accommodatis concluserim, quæ legens et in primis litterarum rudimentis exerceare et paullatim discas, quæ tibi in omni vita servanda sint. Accipe hoc primum a me munusculum, fili, et, ut eo te dignum præstes, pro virium tuarum modulo jam nunc operam dato. Romæ. Kal. Januar. MDLXXVIII. (T. I p. 805. sq.)

## 12.

Biennium jam est, fili, cum tibi, prima elementa Latinæ linguae percepturo, libellum confeci, præcepta quædam ad vitam utilia versibus continentem, in quo primis illis grammaticorum exercitationibus defungentur. Quod cum utrique nostrum, præpotentis Dei beneficio, non prorsus infeliciter cesserit; idem in Græca lingua experiri volo, sine qua, sæpe audis ex me, Latinam mancam ac mutilam esse, nec satis uberes ex ea fructus percipi posse. Cum igitur pridie Kal. Januar., qui dies tibi natalis est, ingressurus sis, cum Deo propitio ac benevolente, in annum ætatis tuæ decimum; egoque te eo ipso die Græcis litteris initiare constituerim: concinnavi tibi interea hunc alterum libellum Græce loquentem, qui tibi pro natali munusculo erit. Magnum tibi hæc qualiacunque scripta mea pudorem incutient, fili, nisi omni ope nitaris, ut meæ de te exspectationi respondeas. Scient homines, nihil tibi a me defuisse. At mibi puerο cum alia multa tum præceptores defuerunt. Vere enim hoc affirmare possum, post annum ætatis meæ duodecimum nullo me ad ullam artem, neque privatim neque

publice, præceptore usum esse. Quanquam enim Pictavii, quo me parentes ad excolendum ingenium miserant, ibam interdum ad eos, qui jus civile profitebantur, perraro tam id faciebam, neque tam, ut quidquam ex eis discerem, quam ut meis animum explerem, qui me ei studio addixerant. Eveniebat id mihi indomita quadam perversitate ac pervicacia ingenii, ut nullum doctorem triduum ferre possem. Cujus improbitatis valde me postea ac diu poenituit poenitetque. At tibi, me vivo, neque dux, hortator, monitor deerit, et, quæ præterea requiruntur, abunde, si Deus volet, suppetent omnia. Vide modo tu, ne, cum aliud nihil desit, ipse olim tibi defuisse dicaris. Romæ. Idibus Nov. MD LXXX.  
(T. I. p. 823. sq.)

## 13.

## PAULO SACRATO.

**E**x omnibus veterum scriptorum monumentis, Paule Sacrate, nulla pejus ab hominibus imperitis ac temerariis flagitosiusque tractata sunt, quam ea, quibus jus civile populi Ro.

mani continebatur. Nam cum extitisset antiquitus magna quadam vis hominum eruditorum, qui leges, senatus consulta, plebiscita, edicta magistratum et urbana et provincialia tum copiosis et uberibus tum mundissimo ac nitidissimo orationis genere scriptis commentariis illustrassent; jamque immensi operis videretur, eorum omnium scripta pervolvere; arduum etiam et difficile in crebris, ut sit, eorum dissensionibus, quid optimum ac verissimum esset, judicare: ei malo mederi cupiens imperator Justinianus negotium Triboniano et aliquot aliis dedit, ut ex eorum scriptis ea tantum excerpterent, quæ utilia essent quæque in judiciis obtinerent: quæcum in unum corpus, resectis ceteris, ordine digessissent, sola tererentur studiosorum manibus eisque laborem minuerent ac levarent. At illi, hac potestate accepta, non ut ille Horatianus <sup>7)</sup> agricola, qui inutiles ramos falce amputans feliores inserit, sed ut milites accepto signo ad oppidum aliquod diripiendum ac deprædandum, per medium jus civile gras-

---

<sup>7)</sup> epod. II, 11. sq.

santes et, ut quidque obvium erat, lacerantes,  
mutilantes, trucidantes, brevi tempore exhibuerunt nobis veteres jurisconsultos, instar  
Deiphobi,

*laceros crudeliter ora,*

*Ora manusque ambas;* <sup>8)</sup>

quamque disciplinam perpurgandam ac perpoliendam susceperant, eam ita deformati-  
runt, ut vix ulla amplius ejus imago superesset. Quam enim hanc infelicitatem  
esse dicemus, quod, cum hoc jus ex legibus,  
senatus consultis, plebiscitis, edictis magistratum,  
constitutionibus principum, responsis  
prudentum constare dicatur, hodie in libris  
juris nulla lex extat, nullum senatus consul-  
tum, integrum saltem et δλόκληρον, nullum  
plebiscitum; edicti perpetui paucæ quædam,  
ut ex naufragio, tabulæ; ipsæ principum  
constitutiones multis locis decurtagæ et θρω-  
τηριασμέναι; prudentum autem scripta ita  
distracta, dilacerata, divulsa, ut in eis vetus

<sup>8)</sup> Virgil. Aen. VI, 495. sq.

illa Hippolyti fabula renovata videatur. Itaque hodie non aliter jus civile discere cogimur, quam si, sublatis et extinctis omnibus Aristotelis et Aristoteleorum interpretum scriptis, fragmenta tantum quædam reperi- rentur, e variis Alexandri, Themistii, Simpli- cii, Philoponi et aliorum decerpta commen- tariis, ex quibus utcunque in communes lo- cos digestis Aristoteleam philosophiam discere juberemur. Accessit aliud multo etiam per- niciosius et exitiosius malum. Nam, cum su- perioribus seculis, Dei permissu, densissima quadam caligine animis hominum offusa omnes propemodum bonæ artes oppressæ ac sepultæ jacerent; extiterunt in illis tenebris homines audaces ac præfidentes, qui nulla Latini sermonis intelligentia, nulla veteris rei- publicæ Rom cognitione, cum dialecticam, sine qua nihil recte atque ordine tractari potest, aut non attigissent aut ita attigissent, ut non attigisse præstaret; politicien autem, unde omnia juris principia ducuntur, ne per so- mnum quidem aspexissent: arrepta, ut inter cæcos, juris interpretandi provincia, verbo- sissimis et insulsissimis commentariis illas qua- lescunque veterum prudentum reliquias one- rarunt et ita imposuerunt humano generi,

ut hoc quoque politissimo et eruditissimo seculo judicia tamen plerisque omnibus in locis ad eorum somnia dirigantur et ex eorum indocta doctrina exerceantur. En, quo magnifica illa Justiniani promissa ceciderunt! ut quos ille, ad exemplum Diomedis Homeric,<sup>9)</sup> aurum pro ære accepturos esse dicebat, ii pro illo obryzo veterum auro scoriam et, si quid ipsa fece magis feculentum est, acceperint; quosque in illis floridissimis pratis Africani, Papiniani, Ulpiani et talium pasci oportebat, ii nunc in Bartoli, Baldi et aliorum etiam sequioris <sup>\*)</sup> notæ sordibus ac sterquiliniis voluntentur. Quos quod quidam inelegantes quidem et incultos, sed magno tamen ingenio et acri judicio præditos vixisse ajunt; de istoc videbimus. Nam ne ego quidem eis ingenium adimo, nimis potius ingeniosos fuisse fateor; illud quidem certe negari non potest, cuius quis civitatis neque linguam teneat neque formam, leges, mores, instituta cognoverit,

---

<sup>9)</sup> Il. VI, 236.

<sup>\*)</sup> *Sequior* cadentis Latinitatis vocabulum.  
In promtu erat *deterioris. R.*

ejus jus civile non posse ab eo, quamlibet ingeniosus sit, commode intelligenterque tractari. Satis igitur magna gratia iis haberi non potest, qui hanc caliginem discutere et istis impostoribus personam, sub qua tam diu hominibus illuserunt, detrahere conantur ac perficere, ut, quemadmodum ceterae omnes disciplinæ, a tetrorem barbarorum dominatu liberatæ, nitorem ac splendorem suum his temporibus receperunt, ita disciplina juris tandem aliquando in pristinam restituatur dignitatem. Tales et nonnullos Italia protulit et longe plurimos Gallia. Quorum ego vestigia pro virium mearum modulo persequens, totum illud quadriennium, quo libros digestorum in hac urbe interpretatus sum, dedi equidem operam, ut quotidie plurima istorum, qui tanti in vulgus fierent, ac fœdissima errata detergerem et ingeniosorum adolescentum animos ad meliora converterem: effecissemque omnino aliquid, nisi hominum, nudari subsellia sua et cornicum oculos configi dolentium, conquestiones obstitissent. Cogito autem, si et vita supererit, et otii aliquid contigerit, ea, quæ tunc e superiori loco dixi, colligere et, quoniam multos id cupere video, in publicum emittere. Ideoque nunc

exiguam quandam ad te eorum particulam  
mitto: quam tu, si tanti videbitur, istic eden-  
dam curabis et tuo multis mihi nominibus  
carissimo nomini dicatam in vulgus exire pa-  
tieris. Cupio enim, Sacrate, vir optime et hu-  
manissime et magno illo Jacobo Sadoleto  
avunculo tuo dignissime, pro plurimis ac  
suavissimis officiis erga me tuis aliquid tibi  
vicissim rependere ac perficere, ut amicitiae,  
quæ mihi tecum viginti jam annos et eo am-  
plius sine ulla offensione intercessit et, ut  
spero, ad extremum usque spiritum duratura  
est, monumentum aliquod apud posteros ex-  
tet. Tu, ut soles, munusculum hoc non ex  
sua, sed ex animi mei magnitudine metieris.  
Vale. Romæ. Id. Sept. MDLXXX. (T. IV.  
p. 191. sqq.)

## 14.

## FRANCISCO BENCIO.

**Q**uod non difficile modo factu, sed prope  
incredibile suapte sponte videri potest, id mi-  
hi tecum usu venit, Francisee Benci: ut in-  
ter homines summa inter se caritate devinctos  
intercedat tamen prope quotidiana contentio,

dum et tu , alienorum officiorum benignissimus æstimator, summa quædam mihi debere te prædicas , et ego contra tantum mihi a te tributum esse profiteor , ut omnis mihi spes plane præcisa sit tecum unquam paria faciendo . Nam si rationes putandæ, et ad calculum res vocanda sit : quid a te mihi aliud acceptum ferri potest, quam quod multos abhinc annos, efflorescentem ingenii tui vim admiratus, ducem me tibi ad eas artes præbui, in quibus postea Dei ope , et industria tua fretus,, eos progressus fecisti, ut in te jam pridem et eximia dicendi vis et minime vulgaris eruditio uno omnium ore celebretur ? Cujus qualiscunque officii erga te mei abunde mihi magnam gratiam percipere videor, cum , qui ad te audiendum confluunt, ad Mureti auditorem atque alumnnum ire se prædicant eaque in te viva ac spirantia agnoscunt, quorum in me olim umbra fortassis aliqua ac simulacrum fuit. At ego, nisi prorsus ingratum haberi me velim, quæ quantaque tibi a me deberi agnoscam necesse est ! Tu me primus, tanto adolescentior tanto seniorem, humana contemnere et pleno gradu ad divina properare docuisti: cum in ipso vernantis ætatis flore, posthabitum voluptate.

tibus, ambitione deposita, rejectis aliis omnibus curis, in istam te sanctissimam et orbi terrarum fructuosissimam hominum cultui divino mancipatorum sodalitatem contulisti; cum in suscepto semel consilio tam constanter perstitisti neque cessisti illorum vocibus, qui, cum in collegiis vestris educati essent et illic didicissent istud nescio quid, quod jactant, litterarum, a quo ipsi ordine flagitiose desciverant, in eum ne nomen dares, absterrere te conabantur. In quem tu semel admissus ita vitam instituisti, ut facile declaraveris, non illum cæcum quendam, ut ipsi mentiebantur, ac temerarium impetum, sed divini numinis instinctum atque afflatum fuisse; et, ut ad ea redeam, quæ ad me proprie pertinent, nunquam ex illo consiliis, praeceptis, cohortationibus juvare me et facies ac stimulos animo meo ad pietatem subdere destitisti. Merito igitur ita te amo et ut patrem filius et ut filium pater: his enim nos, quæ maxima sunt, caritatis vinculis bonitas divina copulavit. Quare, quod et in ceteris rebus, quoad potero, sedulo faciam, libenter his paucis diebus obsecutus sum studio tuo, et, qui pridem conatus essem secundum rhetoriconum Aristotelis

librum Latine reddere, quanquam hoc tempore et multis, ut nosti, occupationibus obrutus et molesto ac difficulti pedum morbo octavum jam mensem impeditus, in tuam tamen gratiam etiam primum addidi. Tertium, ut sæpe ex me audiisti, Latine reddi posse vix puto. Sed si quid unquam mihi vacui temporis dabitur, quod optare magis quam sperare possum, non ego quidem illum interpretabor; sed Aristotelea præcepta, quae eo continentur, meo more tractare et Latinis exemplis illustrare conabor. In his autem, quos nunc ad te mitto, quosque amoris erga te mei monumentum esse cupio, facile prospicio fore, ut multi multa mirentur, partim longe aliter a me accepta quam ab aliis, partim etiam a vulgata Græcorum librorum editione discrepantia. Qui hoc velim cogitent, neque caussam mihi ullam fuisse suscipiendi novi laboris, si nulla in re dissensissem a ceteris; et ipsos inter se Græcos libros ita variare, ut a multis discedere necesse sit, quicunque unum sequi velit. Spero autem, me brevi breves quasdam notas in hos libros editurum, ex quibus, quid in eis aut præstiterim aut præstare voluerim curque locis aliquot, non ab aliis modo, sed ab ipso quoque eruditio-

rum coryphaeo, Petro Victorio, cui debetur,  
quidquid fructus hac ætate ex horum libro-  
rum lectione percipitur, dissentire ausus sim,  
commodius intelligatur. Romæ. Id. Febr.  
**MDLXXXV.** (T. III. p. 617. sqq.)

---

### **III.**

**M A N T O N I I M U R E T I**

**ORATIONES.**



## 1.

**DE LAUDIBUS LITTERARUM**

Quæ singula hominibus ad dicendum accendentibus timorem facere consueverunt, patres amplissimi, vosque ceteri cives ornatissimi, ea mihi sese hodierno die objiciunt universa. Sive enim loci amplitudo afferre perturbationis aliquid potest, Venetiis dicimus; sive audiendum dignitas, magna lectissimorum hominum adstante frequentia dicimus; sive ipsa orationis materia dicendique conditio, ita dicimus, ut sit nobis eodem tempore de ingenio, de doctrina, de gloria ornamentisque omnibus in hoc litterarum certamine periclitandum. Venetiis dicere, si quisquam est, qui parum putet, eum necesse est in maximarum earundemque toto orbe notissimarum rerum ignoracione versari. Equis enim est hodie tam inaccessus, tam ab omni hominum consortio remotus in terris locus, quo non hujus præstan-

tissimæ civitatis fama pervaserit? quis popu-  
lus, quæ gens, quæ hominum natio vel tam  
immanis atque barbara vel tam exulta disci-  
plinis atque artibus, quam non jam pridem  
florentissima Venetorum respublica non glo-  
ria modo et splendore nominis sui, verum  
etiam admiratione compleverit? Hæc vero fir-  
mamenta reipublicæ, hæc ornamenta Italæ,  
hæc virtutum omnium laudandarumque ar-  
tium præclarissima lumina intuentem, non  
commoveri, tantum id quidem est, ut, non  
dicam in meam hanc mediocritatem ingenii,  
sed vix in quenquam hominem, qui ceterorum  
de se judicia extimescat, cadere posse videa-  
tur. Etenim si eloquentissimos olim viros ac-  
cepimus, cum ad dicendum venissent, unius  
principis adspectu ita conturbatos fuisse, ut  
obmutescerent; quid mihi tandem animi esse  
oportet, qui neque comparandus cum illis  
omnino sum et apud vos dico, senatores am-  
plissimi, ad quos cum oculorum converto-  
aciem, totidem mihi consessum principum vi-  
deor intueri? Ac ceteri quidem sæpe ad eam  
excusationem confugiunt, ut se, cum tenuita-  
tis suæ consciæ essent, tamen, vel necessitate  
vel officio impulsos vel amicorum sive preci-  
bus sive tempore aliquo adductos, dicendi

munus non tam appetivisse, quam detrectare non potuisse dicant: quam totam rationem nobis hodierno die ipsa rei natura conditio-que præcludit. Non enim detrectantes, sed ultro nobis depositentes hanc dicendi provin- ciam, ad eam non alienis precibus impulsi, sed vestra incredibili benignitate admissi sumus; ut si minus ex aliqua parte nostra vobis approba- ta fuerit industria, caussa nulla sit, quin omnes accusandam potius nostram temeritatem, quam imbecillitatem sublevandam putent. Equi- dem cum et ab ineunte ætate, tum domesti- cis excitatus exemplis, tum ipsa hortante na- tura, honestarum artium studia coluerim, et, ubi primum per ætatem licuit, quæ mihi mea ipse labore pepereram, aliis tradere ingressus, novem prope jam annos in hac dicendi et docendi exercitatione consumpserim; tamen, superiora illa considerans, ita commovebar animo, facile ut hoc potuerim abstinere con- silio, nisi me huc summa de vestra singulari humanitate concepta spes et magna quædam approbandæ vobis, si minus eruditio- nis, at certe voluntatis meæ cupiditas impulisset. Ao mihi quidem, et, cujus rei caussa in hunc lo- cum adscenderim, et ad quos verba facturus sim, cogitanti, prorsus ita videtur: nullo in-

argumento meam commodius orationem posse versari, quam si, litterarum disciplina quantum non ornamenti solum, verum etiam præsidii bene temperatis civitatibus afferat, tum adhibitis rationibus tum etiam exemplis, atque ex veteribus seculis repetita memoria, exponam: minime id quidem, quo vos, tales viros, commonefaciam, excellentibus a natura ingeniiis præditos, eruditos a studiis liberalium doctrinarum, a diurno assiduoque magnarum rerum usu peritos; sed quia libenter facio, ut, quarum artium percepta scientia unumquemque vestrum vehementer affici constat, earum animos vestros jucunda commemoratione delectem. Quae cum ita se habent, mihi ipsa per se delectæ ad dicendum materiæ dignitas satis magnam audienciam factura videatur; tamen magis consuetudine, quam quod ita necessarium judicem, petam a vobis, vt mihi, res pulcerrimas brevi oratione comprehendere meditanti, exigui temporis attentionem né denegatis. Magna omnino vis magnumque momentum positum est in litteris, viri amplissimi, ad conservandas bonisque cumulandas omnibus civitates. Nam cum felicitas publica, ad quam humana omnia referenda sunt, e singulorum civium

felicitate constet; singulorum autem felicitas  
in excolenda exercendaque virtute præcipue  
sita sit; et ad perfectam virtutem consequen-  
dam necessariam quandam præcursionem ad-  
hibeant litteræ: illud profecto consequitur,  
ut, nisi in qua litterarum cultura vigeat, flo-  
rere absolute civitas nulla possit. Ponite vo-  
bis ante oculos omnes ætatis humanæ partes,  
omnem publicorum temporum varietatem,  
omnes instituendæ vitæ rationes et vias animo  
et cogitatione percurrite; nullam omnino re-  
perietis, quæ non ita litterarum auxilio indi-  
geat, ut, eas si quis sustulerit, solem ipsum de  
mundo sustulisse videatur. Eæ nos, ubi pri-  
mum firmius incedere atque articulatius lo-  
qui coepimus, de ipso prope nutricum acceptos  
sinu, titillatione quadam honestissimæ vo-  
luptatis alliciunt, allectos præceptis saluber-  
rimis complent; non tantum bene dicendi,  
verum etiam bene vivendi commonstrant vias;  
excitant in animis nostris igniculos gloriæ;  
quantus sit in virtute splendor, quanta in vi-  
tiis deformitas, edocent; quæ qui semel bene  
penitus imbiberint, ii nunquam non postea  
et vitii turpitudinem omni studio refugient  
et officii honestatisque rationem rebus aliis  
omnibus anteponent. Ut autem in semente

posita spes messis est, ita totius reliquæ vitæ exspectatio ab educatione pueritiæ pendet. Ut vero infirmam illam ineuntis ætatulæ teneritatem robur adolescentiæ excepit, quæ tandem alia res aut animum præclararum rerum studio accendere aut efferentibus sese cupiditatibus, quibus ea pars insigniter agitari solet, frenos injicere, præter litterarum tractationem, potest? Themistoclem olim, cum somnum capere adolescens non posset, dicere solitum tradunt, se Miltiadis tropæo, quiescerre volentem, excitari. Quanto eos acrius incendi atque inflammari necesse est, qui quotidie non unius, sed innumerabilium hominum virtute præstantium tropæa non e mar more constituta ad exigui prædicationem temporis, sed ad omnem æternitatem commenda data litteris intuentur? Neque vero pertinencendum est, ne aut labore frangantur aut voluptatis irretiantur illecebris ii, qui ætatis suæ florem litterarum studiis dedicandum esse statuerunt. Tanta si quidem est oblectatio paullatim acquirenda cognitione rerum sese pascentis animi, ut, ea qui fruuntur, ab iis neque laboris tedium neque avocantium voluptatum blanditiæ sentiantur. Itaque sapienter poetæ, cum ceteros omnes deos Veneris

imperio subdidissent, in Minervam modo et  
in studiorum præsides Musas nihil ei, nihil  
Cupidini juris esse voluerunt. Quin etiam  
illud ab iisdem memoriæ proditum est, Jasone-  
nem olim ceterosque argonautas, cum eam  
insulam, quæ ab amoenitate florumque copia  
nomen invenerat, præternavigarent, pericu-  
lumque esset, ne molli ac delicato Sirenum  
cantu, quæ eam insulam incolebant, ad exi-  
tium perducerentur, unum in Orpheo perfu-  
gium habuisse: qui cum assedisset in puppi  
simulque fides blandis impellere digitis, simul  
vocem illam, quæ rupes nemoraque traxerat,  
explicare cœpisset, tanta simul aures animos-  
que audientium voluptate complevit, ut jam  
Sirenum vocibus nemo navigantium movere-  
tur. Hoc figmento \*) quid tandem aliud do-  
ctissimi homines, nisi id, quod nos volumus,  
indicarunt? Florida videlicet illa insula ju-  
ventus est. Eam qui quasi prætervehuntur,  
magno in periculo sunt, ne, Sirenum, id est,  
voluptatum blanditiis decepti et a recto itine-  
re abducti, in vada et scopulos deserantur.

---

\*) Vox *figmentum* non habet idoneum aucto-  
rem. Vide Scioppium infam. fam. p. 111.  
et de stil. hist. p. 167. RUHNK.

Quodnam igitur huic tanto periculo comparatum remedium est? Quod? nisi Orphei, optimi ac sapientissimi vatis, lyra? cuius suavitatem qui percipiunt, ii et Acheloidum cantus pro nihilo putant et, tandem institutum illud iter emensi, vellus aureum, id est, virtutem cum immortali conjunctam gloria consequuntur. Nimirum ut major lux minorem, ita minoris voluptatis sensum perceptio majoris extinguit. Quanto autem voluptas ea, quae discendo sentitur, ceteris omnibus major sincerorque sit, vel illud indicio est, quod aliarum, etiam qui eis plurimum tribuunt, satietatem tamen quandam esse ac tedium, confitentur; hujus ut quisque percepit plurimum, ita eam acrius atque avidius concupiscit. Quod si cui forte dubium est, prodeat in medium Chrysippus, qui sepe studio intentus tanta voluptate perfruebatur, ut eum tanquam extra se positum cibi potonisque caperet oblivio. Prodeat sollertissimus ille celestium orbium non perscrutator tantum, sed etiam imitator, Syracusanus Archimedes, qui non modo earum rerum, quas natura fert, praeterea, quam capiebat e studiis, oblectatione memor non erat; sed in illa ipsa Syracusanæ urbis direptione ita defixus erat

in studio, ut prius hostilis gladii cuspidem corpore exceperit, quam urbem in hostium potestatem venisse sentiret. O rem omnium seculorum admiratione dignissimam! Diripiebatur urbs ea tempestate omnium opulentissima; effusi per vias milites, ut in quemque inciderant, sine ullo sexus, ætatis, ordinis discrimine obvios contrucidabant; undique gladiorum fulgor præstringuebat oculos; undique armorum sonitus, undique cadentium tectorum fragor audiebatur; puerorum ejulatibus, mulierum lamentis, morientium gemitibus, militum clamoribus, privata publicaque omnia circumsonabant; ipsa urbs pæne dimota et convulsa sedibus suis, suorum civium in cæde ac sanguine natabat: cum unius hominis mens in media civitate civitatis ipsius casum ac ruinam non sentiebat. Solonem vero accepimus, cum in lectulo, morti proximus, decumberet inaudissetque assidentes amicos de re quapiam summisse, ne ipsi molestiam parerent, disputantes, erecto, ut potuit, jam semimortuo capite, rogasse eos, ut aliquanto loquerentur elatius: sibi, si etiam moriens aliquid discere potuisset, discessum e vita jucundiores fore. O descendit cupiditas, quid non efficis, ubi semel generosa ingenia occupasti! Tenebatur

homo sapientissimus gravissima vi morbi defixus in lecto; vicinitate jam mortis ab omnibus pæne corporis partibus sensus abscesserat; egregius ille animus, mox liber ac solutus futurus, e corporeis vinculis exsilire cupiebat: cum, quidquid supererat virium, eo contulit, ut, deficiente lingua, vocibusque interruptis ac morientibus, suum doctrinæ cognitionisque desiderium indicaret. Quid hunc verisimile est firmum ac valentem fecisse, qui ne mori quidem, nisi discendo, voluerit? Merito igitur tam diu floruit Atheniensium respublica, quam diu tam præclari viri tenuit disciplinam. Sed, ut eo rēdeamus, unde nos facta præclarissimorum hominum mentio paullisper abduxit: dici profecto non potest, adolescentes nobilissimi, (vos enim, vos mea jam compellabit oratio) dici, inquam, non potest, ea studia, in quæ nunc toto pectore ineumbitis, quanto olim vobis et ornamento et auxilio futura sint, cum vos et generis vestri nobilitas et vestra virtus ad reipublicæ gubernacula admoverit. Etenim quibus artibus civitates præcipue conservantur, pietate, justitia, fortudine inprimisque prudentia, earum sunt omnium artium quasi semina litterarum prodita monumenta. Neque vero hæc a me

ita disputantur, ut contendam, nisi litteris eruditum, civem patriæ utilem esse neminem posse; sed hoc dico, nisi litteris exulti sint ii, qui, velut in reipublicæ puppi sedentes, clavum tenent, multis eos munera sui iisque præcipuis partibus necessario defuturos. Nam eum duo publicorum temporum genera sint, unum pacis, alterum belli, quorum alterum semper optabile est, alterum nunquam optabile, nonnunquam necessarium; quomodo, ut hanc partem priore loco attingamus, in pace, civibus jura describere, quantum cuique tribuendum sit, intelligere, civium inter se dissidia componere, verba publice facere, legationes cum laude gerere, præterita tenere, futura prospicere, quid in omnibus rebus factu optimum sit, videre et ex aliis alia colligere poterit, nisi qui hæc sibi de litterarum fontibus haurienda omnia existimaverit? Nisi vero eorum recipienda sententia est, qui fieri putant posse, ut, qui reipublicæ præest, quamvis litterarum sit expers, tamen ad eas res, quas modo enumeravimus, aliena opera non incommode utatur. An vero T. Manlium Torquatum, memoriæ proditum est, cum consul declaratus fuisset, excusasse valetudinem oculorum et summum imperium detractasse,

quod indignum duceret, ei capita ac fortunas ceterorum committi, qui alienis oculis omnia gerere cogeretur: qui alieno ingenio alienaque lingua ad omnia uti necesse habebunt, ii satis ad gubernandos ceteros idonei videbuntur? At oculorum quidem lumine carentes nihil prohibet acie ingenii etiam futura cernere optimeque consulere: quales in fabulis Tiresiam, in historiis Appium legimus; cuius vero doctrinarum luce careat animus, quid is tandem gerere, quid suspicere, quid cogitare præclarum potest? Sed sunt quidam homines, qui cum litterarum tractationem tranquillis pacatisque temporibus et honestam in primis et utilem esse fateantur, iidem tamen, cum occupata bello aliquo civitas est, latere eas, quasi perterritas metu, et inter tubarum lituorumque clangorem nullum sui amplius præbere usum arbitrantur. Quorum nobis hac in parte coarguendus error est, et, quantum vel in medio bellorum tumultu litteræ valeant, aperiendum. Etenim si corporis tantum, non etiam animi, viribus bella gerentur, tum isti fortasse aliquid dicerent; nunc quis est, qui cum mihi et maximum esse in bellis consilio ac prudentiæ locum, et eas virtutes bona ex parte litterarum studio compa-

rari, certe quidem insigniter augeri confirmarique concesserit, idem tamen earum scientiam in bello inutilem esse contendat? An ignoramus celebre illud regum regis Agamemnonis votum, qui, ut Troja facilius poti-  
retur, non Achillis aut Ajaxis, sed Nestoris decem similes optabat sibi? Neque temporis nobis ad vivendum a natura præscripti ea lon-  
gitudo est, neque ita fert humanarum rerum ratio, ut multis admodum bellis interfuisse unus idemque possit? itaque, qui unum alterumve spectarunt, multum sibi militaris prudentiæ collegisse existimantur. Quid eos judicabimus, qui hoc sibi diurna librorum evolutione pepererunt, ut omnibus, quotquot post hominum memoriam gesta sunt, bellis interfuisse videantur? Quod si quis ita bella aliquot spectare posset, ut utriusque partis consilia teneret, rerum administrandarum viam rationemque cognosceret, eventus animo car-  
neret, quid non ei postea in rebus bellicis omnium consensu tribueretur? At hæc omnia, qui versantur in litteris, aliaque plurima ac pulcherrima otiosi ac sedentes consequuntur. Taceo, quam multa expressa sint eruditissi-  
morum hominum scriptis de virtute, de glo-  
ria, de caritate patriæ, de animorum æterni-

tate, de præmiis, quæ post mortem manent eos, qui se pro patria animose ac fortiter geserint: quæ tantam vim habent, ut neque, qui ea ignorent, veræ laudis habere gustum, neque, qui tractant, veræ ac solidæ gloriæ ullam omnino rem anteferre possint. Quid illud, an non quantivis est, quod sæpe labantes jam a deficiente exercitus eloquentium hominum voce legimus fuisse revocatos? Citetur testis Lacedæmoniorum civitas, cuius exercitus, Tyrtæi poetæ versibus inflammatus, pulcerrimam illam de Messeniis victoriam reportavit. Dies me deficiet, si aut eruditos homines, qui bellicis laudibus præstiterunt, aut fortissimos imperatores, qui eruditionis et doctrinæ gloria excelluerunt, enumerare instituam. Nam et Archytam \*) Tarentinum sexies exercitum duxisse comperimus, et Melissum navalibus aliquot victoriis insignem fuisse, et ter stipendia fecisse Socratem, et Platonem et Xenophontem egregiam in bello civibus suis operam præstitisse. Quid illa propugnacula Græciæ, Periclem, Themisto-

---

\* Hæc exempla sumta sunt ex Aeliano V. H. VII, 14. R.

clem, Epaminondam loquar? Quid illa Romani imperii columnina, Scipiones, Lucullos, Fabios, Marcellos aliosque innumerabiles proferam? quos omnes cum bellicis laudibus claros tum præstantes doctrinæ studiis fuisse, historiæ loquuntur. Nam Julium Cæsarem, quis nescit, utra laude præstaret, ambiguum posteris reliquisse? Brutus autem quanto litterarum ardore flagraverit, vel ex eo colligi potest, quod ea ipsa nocte, quæ mortem ipsius antecessit, Platonis dialogum de animorum immortalitate legisse aliquoties dicitur. Atque hoc præclare olim intellexisse videntur Mitylenæi, præcipuam esse in republica vim litterarum, qui, quos populos bello devicerant, \*) nullam eis aliam poenam irrogaabant, nisi, ut ne liberos suos litteras edocerent. Sciebant videlicet, eas tantum civitates florere posse, in quibus litterarum studia colerentur. Cujus rei cur tandem aliunde exempla repetamus? An vero, cives, quod viget hodie vestra res publica, quod floret, quod beata est, quod,

\*) Aelianus V. H. VII, 15, unde hæc ducta sunt, non hostibus devictis hanc poenam constitutam dicit, sed τοῖς ἀφισταμένοις τῶν συμμάχων. R.

cum ceteræ orbis universi partes gravissimis bellorum tempestatibus agitentur, una hæc (quod ei Deus Optimus Maximus proprium ac perpetuum faxit!) in pace atque in otio conquiescit, aliunde id fieri crèditis, quam quod ei et præsunt homines cum ceteris omnibus tum hac eruditionis et sapientiæ laude clarissimi et semper eorum simillimi præfuerunt? O divine Plato, tua sunt omnia et dicta et cogitata præclare! Tu dicere solebas, <sup>1)</sup> tunc demum resplicas beatas fore, cum eas aut philosophi cœpissent regere, aut, qui regerent, philosophari. Tuum hoc sapientissimum oraculum perpetua jam mille amplius annorum felicitate Venetorum respublica comprobavit. Evidem quo longius in altum invehor, <sup>\*)</sup> patres amplissimi, eo mihi amplior et patentior <sup>\*\*)</sup> orationis cursus ostend-

<sup>1)</sup> vide supra p. 62.

<sup>\*)</sup> Ingolstadienses bene correxerunt *evehor*. Sic enim veteres loquebantur. Exempla sunt apud Drakenborch. ad Liv. XXXVII, 23. R.

<sup>\*\*) Pro patentior cursus exspectasses patentior campus. Sed quoniam metaphora ab itinere maritimo duxa est, cursus pro-cam-</sup>

ditur. Sed et temporis me ratio et vestra singularis sapientia, ut vela contraham portumque tandem aliquando respiciam, monet. Neque enim credibile est, posse aut me aut quemquam de litterarum præstantia fructibusque, qui ex earum tractatione capiuntur, vobiscum melius aut copiosius, quam unumquemque vestrum secum loqui, et mihi non tam orationis conquirenda copia est, quam vestra satietas refugienda. Itaque finem dicendi faciam, si vos prius etiam atque etiam rogavero, ut, si forte minus a me ornate ac copiose dictum est, quam et hujus loci amplitudo et summa audientium dignitas postulabat, meum tamen idcirco placendi vobis studium ne improbetis. Ego quidem, si non indignus, a vobis qui sæpius audiar, judicer, erit, quod mihi magnopere gratuler; sin forte: sed reprimam me neque committam, ut meis ipse votis videar male ominari, qui tamen a tot, tam præ-

---

*pus dicere maluit, imitatus Ciceronem pro Planc. 7: Plancium non obrepisse ad honorem, sed eo venisse cursu, qui semper patuerit hominibus hoc nostro equestri loco. Cujus tamen loci dispar ratio est.*  
R.

claris viris, tanta benignitate auditus fuerim,  
 magnum mihi non hujus modo laboris, sed  
 totius anteactæ vitæ fructum hodierno die  
 vestro singulari beneficio videor consecutus.  
 dixi. (Oratio I, 2, habita Venetiis mense  
 Octobri anno MDLIV.)

## 2.

**DE UTILITATE AC PRAESTANTIA LITERARUM HUMANIORUM ADVERSUS QUOSDAM EARUM VITUPERATORES.**

Permultos esse intelligo, qui de his litteris, quæ humaniores vocantur, eam animo imbibere sententiam, ut earum tractationem leve quiddam esse ac nugatorium existiment; neque aut magnos admodum labores ab iis suscipi, qui eas juventuti tradant; aut eorum magnopere fructuosam esse reipublicæ industriam; in eis denique non exquisitam ullam ac reconditam, sed circumforaneam quandam haustamque de triviis ac circulis requiri doctrinam putent. A quibus ego quoniam ita dissentio, ut ex omnibus, qui se aliquid docere profitentur, horum vel gravissimum mu-

nus esse contendam; neque ullos esse, qui aut laborum plus perferant aut majores in republica pariant fructus; doctrinæ denique a nullo hominum genere majorem aut copiam requiri aut varietatem arbitrer: constitui hodierno die, patres amplissimi vosque ceteri viri ornatissimi, eam mihi ad dicendum materiam sumere et nobilissimam studiorum partem, quantum id quidem in me positum erit, a contemptu atque ab intolerabili eruditorum hominum insolentia vindicare. Et vero quid aut huic tempori aut omnino meo muneri facere convenientius possum, quam ut, quæ mihi studia celebritatis aliquid cum aliis in locis tum hac ipsa in civitate pepererunt, a quorum ego veluti fontibus ad hanc quantulamcunque profluxi hominum famam, iis quoque vicissim oratione mea splendoris ac claritatis afferre aliquid coner? Præsertim cum, qui hoc litterarum genus aspernantur, facere nullo modo possint, quin de vestra, patres amplissimi, singulari spectataque in omnibus rebus ac pæne divina sapientia nonnihil eadem superbia detrabant. Etenim si hæc tota res tam levis est, quam isti eam videri volunt: quæ vos tandem caussa commovit, ut proximo superiore anno, propositis publice libellis,

studiosorum hominum animos ad nobilem illam ingenii doctrinæque contentionem excitaretis, utque iis, qui vobis in eo certamine probati essent, honestissimum postea præmium ex ærario decerneretis? Quæ certe una res ad coercendam istorum temeritatem satis pondoris habere debebat: ut, si hebetiores eos natura stolidioresque fixisset, quam ut pervidere harum rerum præstantiam possent, quod tamen vestro talium virorum judicio probatum foret, magnum esse aliquid ac præclarum suspicarentur. Sed quoniam cum iis, qui auctoritate non moventur, rationibus agendum est; adeste animis mihiq[ue] breviter ostendenti, quam varia quamque multiplex eruditio requiratur in iis, qui litteras humaniores docent, eademque opera, quantos ex eorum navitate atque industria respublica percipiat fructus, non aures modo, sed mentes quoque attentas, quæso, paullisper adhibete. Atque adeo, ut hæc tota controversia melius dijudicetur, operæ pretium est, initio, quænam sit istorum contemptorum humanitatis oratio, cognoscere. Qui quoniam eos, qui hasce litteras tractant, ad nullum fere majoris momenti negotium adhiberi vident, non ad judicandas lites, non ad agendas caussas, non

ad dicendam de rebus gravioribus sententiam, facile in eam opinionem prolabuntur, ut ab eis, praeter poeticas quasdam fabulas ad pueriles animos hilarandos compositas et aliquot levia comedendae ac poliendae orationis precepta, nihil omnino teneri putent. Quid autem magni negotii est, inquiunt, in puero rum consessu de eiusmodi segmentis commemorare ac modo de Thebano, modo de Trojano bello, modo de Ulixis aut Aeneae erroribus molli et ad inanem oblectationem composite sermonis genere disserere; identidemque velut e quibusdam arculis accommodata colorandae orationi pigmenta depromere? Ecquae autem magna eruditio est scire, quot navibus Græci ad oppugnandum Ilium accesserint; quot filios habuerit Priamus; Helenam raperit Alexander, ut Homerus,<sup>2)</sup> an Helenæ simulacrum, ut Euripides<sup>3)</sup> prodidit? quod emolumenntum ex istorum omnium scientia, quod detrimentum ex ignorantie percipi potest? Nam ceterarum quidem artium professores quantum utilitatis afferant, persicile

---

<sup>2)</sup> Il. III, 443.

<sup>3)</sup> Electr. 1283.

est ad intelligendum. Sive enim dialecticos spectes; ab iis certa quædam veri falsique in rebus omnibus cognoscendi ratio traditur: ii se, quid cuique consentaneum sit, quid repugnans, quid ex quoque efficiatur, quæ sit dividendi, quæ finiendi, quæ argumentandi ratio, et tenere et alios docere præ se ferunt. Quid physici? qui rerum principia caussasque tractant, qui, quomodo quidque gignatur quoque modo intereat, edisserunt, qui nimborum, fulminum tempestatumque caussas, qui corporum cælestium magnitudines, intervalla, cursus, progressiones, institutiones, qui animi naturam, qui rationem sensuum, qui animantium omnium ortus, victus, figuræ, qui stirpium, qui omnium forme rerum, quæ gignuntur e terra, naturas ita persequuntur, nulla ut pars ab eis cælo, mari, terra, ut poetæ loquuntur, prætermissa sit; hæc cum tractant, mediocriterne reipublicæ prosunt? Nam si ad eos te convertas, qui eam suscepérunt philosophiæ partem, in qua de rebus expetehdis fugiendisque disseritur; ii vero sunt, quorum industriæ nulla unquam poterunt præmia satis ampla reperiri. Quibus enim quamque præclaris in rebus eorum disputationes consumi videmus? Qui hoc pri-

mum docent; qui sit finis, quid extremum,  
quid ultimum honorum omnium, quod unum  
intueri, quo omnes actiones, omnes cogitatio-  
nes, omnia consilia referri oporteat; quot  
sint virtutum quotque vitiorum genera, qui-  
busque modis illas assequi, ab his declinare  
possimus; quo modo exsultanti jactantique  
se et detrectanti rationis imperium frenos in-  
jicere oporteat cupiditati; tum quo modo  
quisque se in re familiarí gubernanda gerere  
debeat; postremo, quo nihil pulcrius, nihil  
præclarius, nihil denique divinus ne votis  
quidem conceptis optari potest, quibus mori-  
bus, institutis, legibus temperandæ sint civi-  
tates; quibus illæ modis fundari atque institui,  
quibus augeri atque amplificari, quibus deni-  
que copiosissimæ, locupletissimæ, uno verbo,  
beatissimæ effici possint. O res præclaras et  
ardentissimo studio summaque corporis atque  
animi contentione dignissimas! O vitæ philo-  
sophia gubernatrix, o virtutum omnium pa-  
rens, vitiorum omnium expultrix! Tuum est  
falsarum opinionum temeritatem diripere; \*)

---

\*) Sic scripsit, mendosas Ciceronis editiones  
secutus de finib. I, 13: *omnium falsarum*

tum est omnem inanitatem et errorēm amputare ac circumcidere; tuum est vitiorum fibras evellere, stirpes elidere, semina extingue. Merito divinus Plato <sup>4)</sup> nihil te præstantius hominum generi a diis immortalibus dari potuisse dicebat. Eant nunc isti verborum magistri, fabularum interpretes, nugarum architecti; persicent frontem, si quam habent, et se ulla ex parte cum philosophiæ doctoribus conferendos esse prædicent. Qui si aliquod forte paullo abstrusius loquendi genus aut aliquam voculam non ita pervulgatam aut quampiam paullo reconditiorem fabulam reperire potuerunt, dignos se inaurata statua putant; nonnunquam etiam de ejusmodi tricis ita inter se digladiantur, ut præaris et foci certamen suscepisse videantur. Hæc fere est, patres amplissimi, eorum, qui studia laboresque nostros deprimere conantur, oratio: qui quod philosophiam laudant, libentibus id nobis atque approbantibus faciunt,

*opinionum temeritate direpta. Sed optimus Davisius e MSS. revocavit veram lectio-*  
*nem temeritate dempta. R.*

<sup>4)</sup> Tim. p. 338. ed. Bip.

nunquam enim cuiquam concedemus, ut eam plus amet plurisve faciat; quod autem nullum censem studiis atque artibus nostris cum ea esse commercium, in eo quantopere fallantur, facile ex iis, quæ dicturus sum, intelligetur. Nam primum omnium, si hoc ipsis concederemus, nihil aliud a nobis, quam poeticas fabulas et exornandæ orationis præcepta tradi, non ex eo tamen efficeretur, quod isti volunt, inanem quandam et ludicram nostram omnem esse doctrinam neque alio, quam ad puerorum animos vana quadam oblectatione demulcendos, referri. Etenim poetarum fabulae, quas isti tantopere exagitant et insectantur, non levia quædam et frugis expertia otiosorum hominum commenta sunt; immo vero sub eis, velut involucris atque integumentis, omnis doctrina elegans, omnis ingenuo homine digna cognitio, omnis denique sapientia continetur. Eratosthenem \*) quen-

---

<sup>\*)</sup> Nullo modo credibile est, Eratosthenem, excellentis doctrinæ virum et eundem, quod in primis ad rem pertinet, poetam tales, ut Longinus π. ὁ. §. 33. ejus Erigonem ποιημάτιον διὰ πάντων ἀμώμητον appellet, aut poesin aut Homerum con-

dam fuisse ajunt, qui poeticen ita contemneret, ut Homerum ineptæ loquacitatis magistrum nominaret. At certe Plato, at Aristoteles, quorum non paullo major est, quam nescio cujus Eratosthenis, auctoritas, ita sæpe repetitis ex eo testimoniiis utuntur ad confirmanda ea, quæ tradunt, ut eum non tantum studiosissime legisse, sed vix unquam de manibus deposuisse videantur. Itaque mirari soleo, cum quidam, qui se philosophos videri cupiunt et quidem ejusmodi philosophos, ut, tanquam Atlante cælum, ita philosophiam superciliosu niti potent, ita despiciunt ducunt poetas, ut eorum scripta adspicere se dignari negent. Qui quidem cujusmodi philosophi sint, ipsi viderint: cum eos contemnant, quos philosophorum coryphæus, Plato, <sup>5)</sup> modo sapientia

teimsisse. Ego vix dubitem, quin hæc Mureti criminatio fluxerit ex male intellecto loco Strabonis I. p. 32. 35. 45. sqq., ubi Eratosthenes Homerum reprehendit non loquacitatis nomine, sed quod, omnia ad legendium voluptatem referens, non pauca fixerit geographiæ et historiæ repugnantia. R.

<sup>5)</sup> Lysis p. 233. Bip.

patres ac duces, modo deorum interpretes,  
modo deorum filios vocat. Aristoteles autem,  
cujus isti se germanos esse interpretes glorian-  
tur, non tantum, ut ante dixi, in omnibus  
scriptis suis identidem poetarum testimo niis  
utitur, verum etiam libro primo de sapientia,  
philosophum omnem fabularum amatorem  
esse confirmat. Quod igitur Aristoteleos esse  
se ajunt, fortasse verius, sine dubio quidem  
verisimilius dicent, si se ab Epicuro esse  
affirmarent: hunc enim ex omni memoria  
unum fuisse philosophum accepimus, qui cum  
omnem elegantiam doctrinæ tum poetarum  
præcipue scripta contemneret. Quod quidem  
se, negligendis poetis, ex Aristotelis disciplina  
ac familia censeri volunt: in eo, meo quidem  
judicio, faciunt et impudenter et imperite.  
At enim id mihi hoc tempore propositum non  
est, ut de poetarum laude dicam: quod si  
esset, facile ostenderem, omnia præcepta vitæ,  
omnia virtutum officia nihilo ab eis deterius,  
quam a philosophis ipsis, doceri. Non igi-  
tur, cum poetarum libros interpretamur,  
inanibus fabellis, nutricum more, animos  
ducimus; sed sementem quandam virtutis at-  
que doctrinæ facimus; non in levibus mini-  
meque frugiferis rebus operam sumimus, sed

præcepta sapientiæ, quo facilius in animos influant, insatiabili quadam admirabilium rerum varietate condimus. Quid, cum ornate ac copiose loquendi præcepta tradimus, ludere videmur, an ea docere, quæ semper principem locum in omni bene instituta civitate tenuerunt? An nescimus, eloquentiam a gravissimis auctoribus rerum omnium regiam vocari? Hæc enim est illa virtus, quæ quamlibet in partem arbitratu suo flectit audentium animos eosque pulcritudinis suæ splendore obstupefactos quibusdam velut habenis numerosæ orationis regit. Hæc illa est, quæ consolatur mœrentes, afflitos excitat, jacentes erigit, quae sceleratis exitio est, innocentibus praesidio, improbis terrori, probis ornamento. Hac Cicero fretus Catilinae furores et nefarie in patriam inita consilia dissipavit, hac togatus superavit armatos: ut vel inimicorum confessione omnibus triumphis majorem adeptus lauream diceretur. Hac instructi qui sunt, majus omnibus tyrannis imperium in homines obtinent. Si quidem tyranni possunt illi quidem corpora constringere, animis nullam adhibere vim possunt; hi vero dominantur in animis, quaeque ipsis honesta atque utilia videntur, ea non facere

modo alios, sed etiam velle cogunt; illi invitatis imperant, hi volentibus; illi et oderunt omnes et odiosi sunt omnibus, hos, in omne hominum genus beneficos, perpetua omnium benevolentia comitatur. Neque vero non qui eloquentiam contemnere se simulant, illius praestantiam intelligunt; sed, quod assequi non queunt, invidiose vituperare malunt, quam ingenue de imbecillitate suarum virium confiteri. Orationis igitur meæ summa eo reddit denique: etiam si nihil aliud a nobis requireretur, quam ut explicaremus poetarum fabulas et juventuti quasi vias, quibus ad dicendi facultatem pervenire posset, indicaremus; tamen neque mediocriter reipublicæ prodesse nos neque parvis in rebus contemnendisque versari. Nunc tantum abest, ut ea solum requirantur a nobis, ut nulla sit ars digna hominis liberaliter educati studio, cuius non aliqua cognitione oporteat tinctum esse eum, qui munus hoc cum laude sustinere meditur. Itaque hoc inter nos et alios interest, quod alii eos tractant scriptores, quorum uno aliquo de genere tota disputatio est. Non enim fere in libris dialecticorum physicorumve aut in iis, quibus medicinæ jurisve cívilis scientia continetur, quidquam reperias, cu-

ius intelligentiam non ex illis ipsis, de quibus inscripti sunt, artibus repetere possis: at nobis ii quotidie sunt explicandi libri, qui, cum scripti sint a viris omni scientia exultis, ipsi quoque innumerabiles locos ex omni disciplinarum genere depromptos habent. Itaque ceteri, etiam si eam unam artem teneant, quam docent, aliarum omnium sint omnino rudes, tamen sufficere posse suo muneri existimantur, neque unquam aut medico turpe habitum est nescire leges, aut jurisperito vel medicinam vel astrorum scientiam non tenere. Nos uni sumus, quibus omnis illa liberalium artium varietas non pertractanda quidem ac pernoscenda penitus, sed degustanda tamen et delibanda necessario est. Non longe abierimus. Superiore anno Ciceronis orationes in Verrem interpretati sumus. Quam multa ibi nos explicare meminerunt, qui tum aderant, in quibus alios propemodum omnes juris civilis ignoratio fefellerat! Libros ejusdem de finibus nunc ipsos interpretandos suscipimus. Quam multa nobis ex omnibus philosophiae partibus depromenda erunt, quibus ignoratis, hos quoque libros ignorari necesse est? Quid astrorum ratio? quid terrarum situs? nisi qui hæc utraque utcunque teneat, sa-

tisne se quisquam idoneum poetarum interpretem profiteri potest? Et tamen usque eo alienis laboribus iniqui homines reperientur, qui ludere nos ac jocari et nihil in docendo aliud, quam puerilem voluptatem, aucupari putent? Nam illud quoque minime prætermittendum est, quod a graviorum artium doctoribus neque ornata neque elegans neque multis quidem in locis Latina oratio postulatur. Itaque ruant licet in dicendo et impure, impropriæ, barbare, loquantur: suo id eis quodam jure licere creditur. At nobis dicentibus, sunt, qui quosdam quasi laqueos tendant, ut, si quid exciderit parum expolitum, diem nobis continuo dicant violatæ Latinitatis; quodque postremæ iniquitatis est, peccare nos putant, nisi in iis etiam, quæ subito fundimus, plurimi illigati sint et verborum et sententiarum lepores. Quæ cum ita sint, quis est, qui non intelligat, si hominum exspectationi hujus professionis satisfacere cupiamus, infinitos esse nobis labores exhaustiendos? Desinant igitur, desinant isti alienæ industriæ contemptores, gloriæ obtrectatores, comprimant vocem stultitiae atque invidentiae indicem. Vos vero, patres amplissimi, pergitte, ut facitis, benignitate vestra labores no-

stros fovere: ut hæc florentissima et bonarum  
artium studiis deditissima juventus, exercita-  
tionibus hisce nostris ad virtutem præparata  
atque præculta, vestram olim in hac felicissi-  
ma republica gubernanda sapientiam facilius  
imitari queat. DIXI. (I, 3. hab. Venetiis po-  
stridie Non. Octobr. anno MDLV.)

## 3.

## DE MORALIS PHILOSOPHIAE LAUDIBUS.

**V**eteri consuetudine receptum est, ut omnes,  
qui artem aliquam publice docendam susci-  
piunt, eam primam habeant concionem, qua  
rationem instituti sui cum ejus, quam se tra-  
dituros esse profitentur, artis laude conjun-  
gant eoque, quidquid habent in dicendo vi-  
rium, conferant, ut in ea cum utilitatis et  
emolumenti tum dignitatis et amplitudinis  
longe plurimum inesse confirment. Quæ con-  
suetudo etsi minime reprehendenda mihi qui-  
dem videtur, quod omnia laudanda sunt, quæ  
ad amplificandam honestarum artium digni-  
tatem et ad excitandum in hominum animis  
earum studium pertinent; tamen illud habet  
incommodi, quod, dum omnes promiscue

iisdem fere afficiuntur laudibus ejusdemque rei gloriam diversarum artium homines ad suam quisque traducere ac transferre conantur: sit, ut in vulgus elevetur omnium auctoritas, et ut, quoties aliquis de quacunque arte quippiam honorifice ac splendide dicere ingressus est, circumfusa multitudo ita eum loqui opinetur, non quod ita sit, sed quod eam tunc artem ornandam celebrandamque suscepit, idem de alia dicturus, si alia sibi extollenda et exaggeranda esset. Ergo, ut, qui comoedias aut tragœdias spectant, cum histrionem aliquem in proscenio auro ac purpura fulgentem viderint, facile intelligunt, illa ornamenta ipsius propria non esse, sed futurum, ut æque illis indueretur quilibet alias e grege, qui ad tempus eam personam sustineret; ita, qui ejusmodi orationes audiunt, cum hanc aut illam artem magnificis et exquisitis exornatam laudibus vident, statim judicant, nihilo magis eas in hanc, quam in illam, convenire, futurumque, ut eadem de qualibet alia dicerentur, cui orator, tanquam choragus, eas quasi partes mandare atque imponere voluisse. Quæ cum mihi de principio in mentem venirent, propemodum in eam me sententiam adduxerant, ut eam

philosophiæ partem, quæ ad confirmandos \*)  
mores instituendæque vitæ rationem pertinet,  
quotidianis disputationibus, quantum meæ vi-  
res ferent, illustraturus, nihil initio, quo  
dignitatem ipsius vobis commendarem, dicen-  
dum arbitrarer; verentem, ne cum suis eam  
modo ac propriis laudibus extulissem, com-  
munes tamen illæ nonnullis ac tralatitiæ vi-  
derentur. Simul autem illud cogitabam, si  
qui nondum pervidissent, assidua et diligens  
harum præceptionum tractatio quantum mo-  
menti habeat ad bene beateque vivendum,  
fore, ut brevi eis pro me res ipsa loqueretur,  
ex qua multo id eos melius multoque perfe-  
ctius, quam aut ex mea aut ex cujusquam  
oratione, cognituros. Sed ab ea me senten-  
tia abduxit amicorum aliter sentientium aucto-  
ritas, qui cum alia multa tum hoc argumen-  
tum attulerunt: cum hæc ipsa philosophia  
præcipiat, non esse cuiquam temere a publi-  
ca consuetudine discedendum, minime con-  
venire, qui eam se traditurum profiteretur,  
cum in ipso quasi vestibulo illius præcepta

---

\*) Muretus in margine Aldinæ bene cor-  
rexit conformandos. R.

migrare. Quocirca dicam hodierno die breviter et modice de moralis philosophiæ laudibus deque fructibus, quos illa suis cultoribus pollicetur, sed philosophico magis, quam oratorio more: non ut ei quidquam alieni affingam aut, quæ ipsius propria sunt, amplificandi caussa in majus extollam, quorum alterutrum si coner, ipsa mihi philosophia, ut est veritatis amans, tanquam Achilli Homerica<sup>6)</sup> Pallas, manum injiciat, sed ut nudo ac simplici orationis genere, quale veritatis proprium esse ait Euripides,<sup>7)</sup> ea, quæ ad rem facere videbuntur, exponam. Primum igitur non artium modo, sed omnium omnino humanarum rerum dignitatem atque præstantiam ex fine, ad quem earum quæque dirigitur, quemque sibi proponit, pendi ac spectari arbitror oportere: ut, quanto cujusque finis præstantior ac divinior est, tanto ipsa ceteris excellere judicetur. Quo posito (est enim ita perspicuum, ut probationis non indigeat), quis unquam reperietur tanta vi

---

<sup>6)</sup> Il. XXI, 286.

<sup>7)</sup> Phœn. 472.

præditus ingenii, tanta eloquentiæ copia instructus, qui se de philosophia pro ipsius dignitate verba facere posse confidat? Non enim illa sibi opes ac copias, quæ et sæpe possessoribus suis exitio sunt et tam multis casibus eripi possunt; non honores et imperia, quæ quod concupiverint, multi, quod aspernatus sit, nemo unquam vituperatus est; non quidquam denique proponit ejusmodi, quo et carere sine probro et abundare sine gloria liceat: sed eam, ad quam omnes aspirant, quam sibi votis omnibus expetunt, ad quam omnes suas actiones omniaque consilia referunt, felicitatem. Quanto igitur ceteris omnibus bonis antestat felicitas, tanto philosophia ceteris artibus antecellit. Quod si tanto studio coluntur artes quædam, quæ nihil sibi aliud, quam lucrum et rei familiaris amplificationem tum incertam tum laboris ac periculi plenam, proponunt; quanto hæc studio digna est, qua parantur veræ illæ opes animi, quæ non furto eripi, non incendio assumi, non naufragio absorberi possunt quæque certam rectamque viam commonstrant ad persequendum id bonum, quo cetera omnia continentur? Si tanto in honore medicina est, quod habere levationem morborum,

quibus tentatur corpus bonæque valetudinis ac firmitatis tum effectrix esse tum conservatrix creditur; qui tandem honores excogitari poterunt ea arte digni, quæ se in animis idem effecturam esse profitetur? Nam et præstantior corpore animus est, et hujus, quam illius, multo plures morbi multoque periculosiores. Quod si cui forte dubium est, excutiat ille paullisper intelligentiam suam secumque reputet, quam sëpe unius hominis ambitio, avaritia, libido integras funditus everterit civitates. His autem et similibus morbis medetur philosophia eamque in suis efficit animi firmitudinem, quam non voluptatum illecebræ, non dolorum faces, non divitiarum splendor, non obscura et contempta paupertas, non honorum sitis, non ignominiae metus, non vitæ cupiditas, non mortis terror convellere ac labefactare possit. Ut enim Olympi cacumen poetæ semper quietum esse ajunt, propterea quod altius sit, quam ut eo vis ventorum tempestatumque perveniat; sic philosophorum animus sublimior et excelsior est, quam ut istos flatus sentiat furentium et de rebus abjectissimis inter se humi digladiantium cupidatum. Stat ille, ut in medio mari edita et altissimis defixa radicibus rupes, cujus sum-

ma fluctus ne attingunt quidem, infima sic, verberant, non ut eam commoveant, sed ut ipsi frangantur. Novit philosophus, vulgarium voluptatum blanditias partim puerilium oblectamentorum similes esse, indignas non modo, quas consequentur, sed quas respiciant viri, partim cum dedecore ac turpitudine conuentas, ut satius sit, quovis dolore lacerari, quam venenata ac pestifera earum suavitate mulceri. Habet alias ex sese proprias ac perpetuas voluptates easdemque sincerissimas nullaque, ne minima quidem, permistione molestiae contaminatas, quas ex ipsa virtute et ex honestis actionibus carpit, iis fruitur, iis mentem pascit, iis se oblectat, eas solas caras ac jucundas habet. Nam ut in beatorum insulis dicuntur esse arbores quædam adspectu jucundissimæ, quarum in ramis toto anni tempore cernere est \*) alios fructus mites jam et ad maturitatem perductos, alios maturescentes, alios pubentes adhuc et in primum se flo-

\*) Hic græcismus poetis proprius est, non orationis prosæ scriptoribus. R.

rem induentes; sic in eorum, qui vere ac serio philosophantur, animis toto vitæ tempore aliæ actiones honestæ ac laudabiles confectæ jam sunt et absolutæ, aliæ in eo sunt, ut absolutantur, aliæ inchoantur adhuc et informantur primisque, ut ita dixerim, lineis designantur. Itaque aliarum recordatione ac conscientia, aliarum tractatione ac præsentia, aliarum meditatione et pròspicientia sic afficiuntur, nihil ut sibi præterea jucundum aut amabile existiment. Immensa etiam illa et inexplebilis accumulandarum opum aviditas, quam, incertum est, copia an inopia magis incendat, radices agere in animo philosophiæ præceptis consito et exculto non potest. Quid ita? Nimirum quia hæc id vel præcipue in suorum animis inserit: naturales opes et terminatas esse et facile parabiles; eas qui adeptus sit, nihil ei amplius appetendum; non, qui plurimum habeat, sed qui minimum desideret, ditissimum esse; nihil magni faciendum, quod æque pessimus atque optimus quisque consequi possit. Neque tamen eorum consilium probat, qui aut aurum in mare abjecisse aut possessiones suas incultas ac desertas reliquise memorantur, hæc enim aut ignavorum hominum videntur aut pecunia uti nescien-

tium: quorum utrumque in vitio, non in laude ponendum est. Ac fuere quidem ii, de quibus illa narrantur, philosophi; sed rudior illa quædam et simplicior philosophia tum fuit; politior nostra haec et ad usum civilem accommodatior, quæ docet, opes, si quis aut a parentibus acceperit aut industria sua quæsierit aut alia quapiam honesta ratione ad eas pervenerit, non aspernandas aut rejiciendas esse, sed ita habendas, ut virtutis, non ut luxuriæ, administras. Nam illud mihi quidem permirum videri solet, quid ita veteres illi judicarint, non posse se simul et rem habere et in sapientiæ studia incumbere, qui mihi etiam videntur, quo facto summam divitiarum contemptionem significare ac præ se ferre voluerunt, eo ipso indicasse nimiam quandam erga eas naturæ suæ propensionem, si nummos in arcam condere non poterant, ut non omnes cogitationes suas in eandem arcam includerent, neque, quam diu patrimonium habebant, imperare sibi, ut aliis rebus contemplandis ac cognoscendis vacarent. Evidem nunquam eum militem laudaverim neque fortem habeendum duxerim, qui adversarium a se quam longissime amoveat, ne cum eo manus conserat, sed eum potius, qui et congreg-

diatur et vincat. Neque vero video, qui minus impedimento sit egestas studiis, quam divitiae. Necesse est enim, qui, unde vivat, non habet, eum sibi vitae subsidia aliunde quærere: in quo quantum temporis ponit, tantum de sapientiae studiis detrahit. Melius igitur philosophia, cui qui se regendos permittunt, ii opes, si non habent, non requirunt; si habent, utuntur, ut decet; neque unquam torquentur aut augendi cupiditate aut amittendi metu. Quid ego nunc de perturbatrice humanarum rerum, optimi cujusque ingenii corruptrice, concitatrice bellorum omnium, ambitione, quam semper virere in eorum, quos semel occupavit, animis neque unquam consernescere, gravissimus auctor ait Thucydides,<sup>8)</sup> verba faciam? Numquid illius unquam facibus accendi poterit pectus, quod infusa prius philosophiae præcepta irrigaverint? Imo vero etiam si antea subjecti ab ea ignis aliquid forte conceperit, id totum instillata philosophia restinguet. Ea enim magistra ac præceptrice cognoscimus, verum de-

---

<sup>8)</sup> v. supra p. 79.

cus veramque gloriam in sola virtute positam esse; eam qui consecutus sit, quid alii de se judicent, non admodum laborare oportere, præcipue vero despiciendam levis et imperitæ multitudinis temeritatem, quæ ad mandandos honores cæco sæpius et inconsiderato impetu, quam certo et explorato judicio fertur. Præclare et sapienter Cato, malle se, dicebat, quærere homines, cur sibi posita non esset statua, quam si quærerent, cur posita fuisset. Eodem animo sunt veri omnes philosophi: esse se, ut de Amphiarao ait Aeschylus, <sup>9)</sup> quam videri optimos malunt; honores autem et magistratus aut non petunt aut alienæ, non suæ, utilitatis caussa petunt; neque, si adepti sint, exsultant; neque, si repulsam tulerint, anguntur animo, sed placate id et moderate ferunt aut, si quando dolent, reipublicæ dolent vicem, non suam. Cæsarem ferunt, cum pontificatum petiturus ad comitia descendere, matri dixisse, illam eo die aut pontificem habituram filium aut exulem. Jam tum præsagire ac præcognoscere licebat, ambitionem

<sup>9)</sup> sept. adv. Theb. 594.

illam ingens aliquod malum civitati daturam. Itaque quid postea effecerit, videmus. At Cato, in petitione præturæ etiam Vatinie posthabitus, æquissimo ac moderatissimo animo tulit. Ita sunt philosophi. Maximam voluptatem in prætermittendis voluptatibus, maximas opes in quieto ac contento suis animo, maximam gloriam in non ambienda gloria ponunt. Satis honoratum putant esse, qui honore dignus sit; satis magnum regem, qui se ipsum regere; satis potentem imperatorem, qui cupiditatibus suis imperare possit; qui vero eis plane domitis ac subactis jugum rationis, quod illæ ne conentur quidem unquam excutere, imposuerit, ab eo omnes aliorum victorias triumphosque superatos. Quod si libidinem, avaritiam, ambitionem pestes quasdam ac furias esse novimus, quæ funditus humanam vitam conturbent; quantus honos habendus est philosophiæ, quæ se omnes earum conatus repulsuram, omnes igniculos repressuram, omnia semina elisuram, non magnificenter, quam verius, pollicetur? Videre vos opinor, quam se latus orationi meæ campus ostendat, si, quæcunque hoc loco se offerunt, persequi et in singulis insistere atque immorari velim. Nam cum virtus nulla

sit, de qua non splendide et ornate dicere; nullum vitium, in quod non graviter et copiose invehili liceat: quidquid de eorum utrolibet dici potest, idem ad philosophiam laudandam accommodari potest, quam virtutis indagatricem, vitiorum expultricem Latinorum omnium eloquentissimus <sup>10)</sup> vere ac merito nominavit. Sed non committam, ut cuiquam videar transilire eos terminos, quos initio pepigi, potiusque reprehendi me patiar, quod multa, quæ fusius explicare licuisset, compresserim ac coarctaverim, quam quod in ulla re dilatanda evectus sim longius justo neque satis mihi temperare potuerim. Nunc illud mihi etiam atque etiam considerate: ceterarum omnium artium fines, neque eos modo, sed omnia prorsus, quæ bona putantur in vita, nisi quis philosophiam vitae ducem habeat, pestifera ac perniciosa esse. Da homini non philosopho opes ac copias, da honores atque imperia, da firmam valetudinem, da gladiatorium totius corporis robur, da multarum magnarumque rerum cognitionem.

---

<sup>10)</sup> Cicero Tusc. quæst. V, 2.

ac scientiam, da flexanimam illam, ut poetae vocant, et omnium rerum reginam eloquentiam, da quidquid in filiis parentum votis optari solet; quo ejusmodi plura in talem hominem congesseris, eo illum magis et in suam et in aliorum perniciem armaveris. Opibus abutetur ad suam libidinem explendam, imperiis ad alienam libertatem opprimendam, firmitate et robore ad obeunda facinora, scientiam copiamque dicendi ad circumveniendos cives suos, ad perturbandam rempublicam, ad omnia denique tum sacra tum profana permiscenda et evertenda convertet. Da hæc eadem vero minimeque fucato philosopho; deum quendam ad bene faciendum humano generi e cælo demissum esse dices. Atque hoc illud est, quod in Alcibiade minore sive Plato sive Xenophon disputat, ea, quæ suapte natura bona sunt, sine scientia ejus, quod optimum est, quam eandem et philosophiam esse statuo, ad perniciem, non ad salutem, valere. O præclarum laudem philosophiæ, cuius ope ne mala quidem nocere; qua detracta, ne bona quidem prodesse possunt. Merito dixit Plato, nullum a diis datum esse hominibus ea majus aut præclarius donum. Merito Cice-

ro, <sup>11)</sup> unum diem ex ejus præceptis actum immortalitati anteponendum. Neque vero non illud ad ejus, de qua proprie sermo nobis institutus est, philosophiae laudem ac commendationem facit, quod omnia propemodum, quæ a veteribus de philosophia honorifice dicta sunt, ad hanc pertinent, quæ in vitæ ac morum emendatione versatur. Non enim Plato, cum illam nobilissimam vocem, tanquam ex oraculo, edidit, tum demum beatas civitates fore, cum aut regnarent philosophi, aut reges philosopharentur, intellexit, tum id eventurum, cum reges aut in disserendi subtilitate aut in pervestigandis rerum naturalium caussis occupati essent: quæ, quamquam præclara sunt, longissime tamen absunt ab eo, ut beatas respublicas efficere possint: sed, cum virtutis pulcritudine incensi omnes vires suas ad eam non cognoscendam modo, sed exercendam, excolendam, propagandam contulissent. At contra quidquid inanibus imperitorum ac maledicorum sermunculis adversus philosophiam jactatum est, quoscumque in eam aculeos scurrilis quorundam libido

---

<sup>11)</sup> l.c.

conjecit, quidquid ad minuendam ipsius dignitatem veteris comoediæ licentia effutit, id omne, si diligentius excutiatur, ad dialecticos potius et ad physicos, quam ad politicos, pertinere videbitur. Quod si ullus in orbe terrarum locus est, ubi politicen florere suamque dignitatem obtinere deceat, Romæ id, Romæ potissimum fieri debet, cui urbi a primo ipsius ortu divino permissu datum est, ut aliis imperaret; unde leges, unde jura, unde religionem ceteræ nationes et olim petierunt et nunc petunt; unde quondam extiterunt tam multi clari viri, qui hæc præcepta, quæ nos tradituri sumus, exemplo suo comprobarent. Nolite enim putare, illa lumina, Camillos, Curios, Fabricios, Fabios, Scipiones, Lælios ceterosque præstantes viros, quos olim haec urbs innumerabiles tulit, quorum quotidie nomina auditis, facta legitis, monumenta cernitis, statuas tanta cum admiratione intuemini, quod de philosophia neque disputatione fere neque scripserunt, eo minus philosophos fuisse. Vita illi, non oratione; factis, non dictis; moribus, non sermonibus philosophabantur: quod pulcerrimum ac verissimum est philosophandi genus. Integritatem, iustitiam, fidem, fortitudinem, omnem denique

virtutem et colebant ipsi et alios colere jubebant. Eo ad tantam majestatem atque amplitudinem pervenerunt, ut pleraque gentes, quod ipsæ olim a talibus viris subactæ ac superatæ sint, quam quod ipsæ alias devicerint, præclarior sibi ac gloriosius ducant. Quantam oportet gloriam fuisse vincentium, cum victi tot post seculis glorientur? Eorum ego potissimum exemplis, adolescentes, incitabo vos quotidie atque exacuam neque ullum ex Aristotele præceptum proferam, cuius non ex hac urbe plurima maximeque illustria exempla repetantur. Constitui enim, quando Pius, optimus ac sanctissimus pontifex, qui ipse omnis virtutis perfectissimum exemplar est, eum mihi honorem detulit, ut a me virtutis et officii præcepta vobis proponi atque explicari voluerit, modis omnibus eniti, ut ea non arido et inculto et molestis implicato questionibus orationis genere prosequar: \*) sed, quantum id quidem in me erit, florido et ubere et, quasi stellis quibusdam, ita petitis ex vetere historia exemplis illuminato atque

---

\*) Imo *persequar.* R.

distincto. Peto autem a vobis, ut, si et in iis rebus, quas tractare institui, summam dignitatem inesse cernitis et me nullis vigiliis, nullis laboribus, nulli denique rei parcentem, ut vestris commodis consulam, videbitis, industria<sup>m</sup> meam diligentia ac benevolentia vestra adjuvetis. DIXI. (I, 7. hab. Romæ XVI Kal. Decemb. anno MDLXIII.)

## 4.

**DE TOTO STUDIORUM SUORUM CURSU  
DEQUE ELOQUENTIA AC CETERIS DISCI-  
PLINIS CUM JURISPRUDENTIA  
CONJUNGENDIS.**

Non eram nescius, cum hanc pandectarum interpretandarum provinciam susciperem, fore, ut multis sermonem darem, quibus mirum ac novum videretur, me, qui tot annos in hoc docendi munere ita consumsssem, ut eos modo libros attingerem, qui aut ad eloquentiam aut ad philosophiam pertinerent, mutata subito voluntate, ad tractationem juris ci- vilis tam longo intervallo redire, a quo me plerique jam pridem animum omnino avocasse et ad mitiora studia, tanquam ad Sirenum

scopulos, adhæsisse aut, quasi loti cujusdam Homericæ,<sup>12)</sup> ita illorum dulcedine ac suavitate captum, hujus jam ne per somnum quidem meminisse arbitrarentur. Quibus ut satisfaciam simulque vobis omnibus hujus consilii atque instituti mei rationem reddam, etsi non libenter facio, ut de me loquar, tamen antequam progrediar longius, pauca quædam de toto studiorum meorum cursu breviter commemorare constitui. Quæ si audire ac cognoscere grave non erit, spero fore, ut gravissimi quidem et eruditissimi homines, quos hic adesse video, factum meum non improbent; vos autem, optimi et studiosissimi adolescentes, etiam fructum aliquem ex hac narratione capiatis. Cum enim, quæ præcipue res progressus meos retardaverit meque decurso jam spatio a calce ad carceres, ut dicitur, revocaverit, cognoscetis; forsitan, exemplo meo edocti, melius ipsi vestris rationibus consultis. Ego igitur, ut primum puer grammaticorum et rhetorum præceptis visus sum utcunque imbutus esse, leviter gustatis dialecticæ principiis, ceteris autem philosophiæ partibus

---

<sup>12)</sup> Od. IX, 94.

ne a limine quidem salutatis, nulla Græcæ linguæ intelligentia, nullo rerum usu, nulla antiquitatis cognitione instructus, animum ad jus civile appuli et iis doctoribus, qui tum illis in locis optimi putabantur, annos aliquot operam dedi. Jamque eo processeram, ut, quæ tum præcipuæ laudes habebantur, et in argumentando satis acutus et in respondendo non incautus et, quacunque de re ageretur, abunde loquax essem et, quod multis palmarium videbatur, multarum legum non intellectarum principia uno spiritu citare, multorum interpretum nomina recensere, multos versus, multas paginas, multas columnas, porticus etiam, ut opinor, et peristyla et intercolumnia nullo negotio numerare quamlibet multa possem. Cum ipse me eo nomine circumspiciebam meque pulcrum ac beatum putabam, tum uno ore omnes, ut ait comicus,<sup>13)</sup> omnia bona dicere et laudare fortunas meas, qui tantula ætate tantam mihi, ut ipsi putabant, sapientiæ, ut res ipsa docuit, stultiæ et inanum opinionum supellectilem comparassem. Jam omnes mei foro et

---

<sup>13)</sup> Terentius Phorm. IV, 3, 19. sq.

cancellis et subselliis destinabant magnamque  
in spem venerant, rabulam me aliquem non  
in postremis fore, confidentem, acrem, con-  
tentiosum; præsertim cum et natura essem  
firmis lateribus et voce magna, et, quod ca-  
put, illi me, quos dixi, magistri, si non mul-  
tum sapere, at certe, quod apud eos pro  
eodem erat, multum audere multumque cla-  
mare docuissent. Quid verbis opus est? Inibi  
jam erat, ut illud vitæ genus ingrederer, cum  
Deus (Deus enim fuit, neque hoc mihi ex  
animo excuti potest), Deus igitur effecit, ut  
quædam Budæi et Alciati et aliorum ejusdem  
notæ hominum scripta, quæ nunquam ante  
illud tempus adspiceram, in manus meas ve-  
nirent. Quæ cum evolvere cœpissem passim-  
que in eis multa reperi rem, quæ de magistris  
meis nunquam audissem; multas sententias,  
quas illi me ratas ac firmas esse docuissent,  
gravissimis argumentis convulsas ac labefacta-  
tas; multa ex Græcis scriptoribus deprompta,  
multa ex antiquitate repetita, quibus in omni-  
bus mihi tenebræ essent: nolite quærere, quid  
mihi animi fuerit. Visus mihi sum de cælo  
decidisse aut in alium quendam orbem dela-  
tus esse, neque aliter affectus sum, quam ege-  
ni et inopes homines interdum solent, qui

eum totam noctem somniarunt, se divites re-  
pente factos esse, ubi diu gemmas, aurum,  
purpuram dormientes contrectarunt, exper-  
recti, omnia domi suæ obtenta telis aranea-  
rum vident. Quid facerem? ego ille paullo  
ante tumidus et ferox, cum mihi derepente  
yultus, animus, verba cecidissent jamque, suf-  
fusus pudore, verecundarer inter eos versari,  
qui de me ita magnifice senserant; subduxì  
me clanculum ex illis, in quibus diu merue-  
ram, castris et in Græciam navigavi, id est,  
ad Græcarum litterarum et disciplinarum ma-  
gistros me contuli eademque opera perlustra-  
vi etiam vetus illud Latium, id est, omnes ad  
unum veteres linguae Latinæ scriptores dili-  
genter et accurate pervolutavi, sedulo unde-  
cunque omnia colligens, quibus mihi juris-  
prudentia instructior et ornatior fieri posse  
videretur. Atque in hac peregrinatione tum  
in Lycei ambulationibus tum in Academiæ  
spatiis sæpe me exercui neque aut illius e  
Gargetto delicati atque otiosi senis<sup>14)</sup> hortos  
invisos præterii, quanquam venenorum quam  
salubrium herbarum feraciores, neque disje-

---

<sup>14)</sup> Epicuri.

etas veteris illius Poeciles, non tam Polygnoti manu, quam Zenonis ingenio nobilitatæ, reliquias neglexi. Et ut magnam voluptatem capiunt, qui ad magnorum ac nobilium fluminum, Euphratis puta aut Nili, fontes ac capita ipsa venerunt; ita juvit me incredibiliter, cum apud illos sapientissimos senes cernerem, quibus ex fontibus manassent amplissima illa juris civilis flumina, per quæ, toto orbe sparsa atque diffusa, tam multi assidue summo homines ingenio navigarent. Interea, ut paterfamilias, qui, mercaturæ caussa in longinquas terrarum oras profectus, dulcem eximieque animo caram domi uxorem reliquit, sæpe de ea cogitans, sicubi aut gemmam aliquam aut scite tornatum annulum aut monile bacatum aut segmentatam vestem aut talia mundi muliebris ornamenta conspexit; studiose omnia comparat ac seponit, quibus eam, domum reversus, muneretur; sic me per omne scriptorum genus vagantem nunquam ea cura ac cogitatio deserebat, ecquid decerpere ac delibare ex eorum unoquoque possem, quod, cum ad jurisprudentiam reverterer, ad eam expoliendam et exornandam accommodatum esset. Sciebam enim, quam turpe haberetur et diu manere et inanem redire. Quod autem

Homerus <sup>15)</sup> ait: Ulixem in illo diuturno errore crebro spectare solitum Ithacam versus; itidem ego ad jurisprudentiam identidem reflectebam oculos et, ab ea tam diu abesse me, vix satis æquo animo ferebam. Quin etiam, ne me amœniores illæ disciplinæ usu quodammodo suum facerent, multa sæpen numero saciebam usucaptionis interrumpendæ gratia: quod et mea qualiacunque scripta declarant, crebris jurisconsultorum adspersa sententiis, et quotidianæ disputationes, quibus, quoties erat occasio, aliquid ex hac disciplina petitum intexebatur, non obscure indicabant. Nunc, cum mihi videar non ea quidem omnia, quæ animo conceperam, perfecisse, sed usque eo tamen progressus esse, ut iis, qui juris civilis cognitionem ex ipsis fontibus haurire cupiunt, opis aliquid adferre possim, putavi, tempus jam ipsum postulare, ut prodirem et navatæ in hoc genere studiorum operæ specimen aliquod darem. Cur autem pandectas potissimum extra ordinem interpretari voluerim, caussa hæc fuit. Videbam eruditissimos in hac schola viros, quibus docendi juris mu-

---

<sup>15)</sup> Od. IX, 28. sqq.

nus mandatum est; ita se in eo gerere, ut, ipsa si loqui posset jurisprudentia, non certius aut copiosius aut majori cum dignitate videatur explicatura sensus suos, quam ab illicis quotidie explicantur. Omnia ex eorum ore profluunt, quae in hac arte aut cogitari prudenter aut disputari acute aut certo definiri ac statui possunt. Itaque cum in omnibus habeam, quod admirer, in nullo habeo, quod desiderem. Sed illi tamen, quid dignitati suae eique, quam meritissimo obtinent, auctoritati consentaneum sit, intelligentes, perpetuo in gravium et arduarum quæstionum tractatione versantur, exquisitam singularum vocum explicationem ut humile quiddam neque satis dignum, in quo tempus conterant, aut prætermittunt aut modice attingunt. Planeque si ad eos audiendos ii tantum accederent, quos oportet, id est, qui prius in grammaticorum, rhetorum, philosophorum scholis diu multumque exercitati essent; nihil amplius, quam quod ipsi cumulatissime præstant, requireretur. Nunc, quod ego me principio secisse dixi, ut ad jus audiendum aliarum omnium artium rudis accederem, in eo vereor ne etiam hodie a plerisque peccetur. Cogitavi igitur, si pro mea virili parte huic

incommodo mederi studerem, neque invidiosum id mihi neque inutile aliis fore. Nam neque invidiam habet ullam, quod ab aliis neglectum jaceat, id sumere; et in exercitu non tantum imperatorum et tribunorum ac centurionum, sed et gregariorum militum et calonum quoque ac lixarum aliquis usus est. Neque si gubernatorum in navi regenda præcipuum est munus, non ii quoque utiles sunt, quorum in sentina exhaurienda omnis consumitur labor. Quanquam, si id, quod res est, fateri, si recta et vera speciosis ac fuca-tis anteponere, si, quanti res quæque sit, non quanti vulgo fiat, spectare volumus; multo plus est in hac pura et simplici verborum explicazione momenti, quam plerique fortasse suspicarentur. Nam cum verba, ut ait Aristoteles, sint eorum, quæ animo concepimus, notæ; fieri nullo modo potest, ut, qui vim verborum non percipit, eam sententiam, quæ illis verbis expressa est, assequatur. Itaque et idem Aristoteles alibi ait, eos, qui, quid quoque verbo proprie indicetur, non satis intelligunt, in rebus judicandis sæpenumero falli; et apud Platонem <sup>16)</sup> Cratylus ex ver-

---

<sup>16)</sup> Cratyl. p. 337. Bip.

borum intelligentia cognitionem rerum pēn-  
dere dicit. Et quis tandem est, qui nesciat,  
patrum avorumque nostrorum memoria, cum  
perversa quædam ac pestifera opinio invalui-  
set, nihil cultum orationis, nihil historiæ ve-  
teris notitiam ad eos, qui graves ac series  
disciplinas tractarent, pertinere, Græcas vero  
litteras etiam impedimento esse, quanta et  
quam densa caligo universum prope terrarum  
orbem obtexerit? quantaque verborum ne-  
glectum rerum ignoratio consecuta sit? Sed  
quid necesse est huic rei aliunde argumenta  
petere? illi ipsi, quorum libros quotidie teri-  
mus, veteres jurisconsulti in explicandis legi-  
bus, senatus consultis, edictis prætorum aut  
ædilium, constitutionibus, decretis, epistolis  
principum, quam, quæso, viam rationemque  
tenuerunt? Nempe in patescienda singula-  
rum vocum vi ac proprietate tam multi tam-  
que assidui sunt, ut magnam industriæ suæ  
partem in eo consumere videantur. Quod  
prolatis ac productis \*) ipsorum locis proba-  
rem, si, quam facile, tam necessarium esset.

\*) *Producere vel adducere locum, rationem etc. non dicunt Latini. R.*

**Antistium Labeonem jurisconsultum nobilissimum** cum alicubi valde commendasset Gelius, <sup>17)</sup> ad postremum addit: *Latinarum volumen origines rationesque percalluerat, eaque praecipue scientia ad enodandos juris laqueos utebatur.* Hos me sequentem duces nemo, ut opinor, merito culpaverit. Quam igitur interpretandi viam nobis Ulpianus, Paullus, Gajus, Marcellus ceterique juris antistites præiverunt, eam sequemur et, eorum vestigiis, quantum vires nostræ ferent, insistentes, summa ope conabimur efficere, ut neque prætermittamus necessaria neque inutilia consequemur et quotidie tamen aliquid minime vulgare minimeque contritum adferamus. Quod ut jam nunc perspicere possitis, dum ad titulum de justitia et jure interpretandum accedo, quæso, diligenter attendite. DIXI. (I, 15. hab. Romæ anno MDLXVII.)

## 5.

### DE VIA ET RATIONE AD ELOQUENTIAE LAUDEM PERVENIENDI.

Jus civile me non vulgari via, sed nova quadam et ante me in his quidem scholis inusita-

<sup>17)</sup> N. A. XIII, 10.

ta ratione tradere ingressum et in opere institutoque pulcerrimo quartum jam annum, magna auditorum frequentia, magna animi contentione versantem vestra, cardinales amplissimi, in medio cursu insistere aliudque munus suscipere coegit auctoritas. Nam cum homo eruditissimus, qui tradendis eloquentiae præceptis in hac urbe consenuerat et, adflicta valetudine et ipsa jam ætate otium ac quietem postulante, missionem a vobis honestissimam impetrasset, nec ei facile successor idoneus reperiri posse videretur; mihi potissimum mandandam esse ab eo derelictam provinciam censuistis. Parebo libens, ut debeo, auctorati vestræ: neque mihi quidquam unquam a vobis imponetur aut laboris aut oneris, quod non ego prompto atque alacri animo subeam, quæque mihi a vobis imperata erunt, nunquam aut aspernabor ut nimis humilia aut ut nimis ardua extimescam. Vestrum est decernere ac statuere, quam a quoque nostrum hujus quasi reipublicæ litterariæ partem administrari ac procurari velitis; nostrum parere et mandata vestra subsequi neque unquam ita nobis placere aut tantum nobis tribuere, ut de vestro judicio judicemus. Evidem quod ad me attinet, neque ullam artem, quæ qui-

dem hominis ingenui studio digna sit, sordidam et abjectam esse duco et hanc, ad quam tradendam nunc vocor, semper nobilissimam existimavi, et, si aliter sentirem, fortassis tamen non vererer imitari Laconem illum, qui, in convivio extremo loco jussus accumbere, convivatoris ingenium ac judicium commendavit, qui rationem excogitasset, qua illi quoque loco dignitatem compararet. Non enim tantum, ut vulgo dicitur, magistratus virum ostendit et in luce hominum collocat, sed etiam saepe magistratum is, qui cum gerit, exornat. Epaminondam ferunt, cum a civibus suis telearchus creatus esset, (erat is apud Thebanos non magni momenti magistratus) non detrectasse, sed dixisse, ita gesturum, ut deinceps telearchia honoratior haberetur. Atque ita effectum est. Tantum enim Epaminondæ valuit auctoritas, ut post eum telearchi perpetuo creati sint ex principibus civitatis. Hæc et talia dicerem, si in eloquentiæ professione parum inesse dignitatis existimarem. Sed et de re ipsa et de me longe mihi alia opinio est. Quamvis enim non infitior, magnum me semper amatorem atque admiratorem disertæ atque ornatae orationis fuisse studioseque in eam rem operam dedisse, etiam, si-

vultis, aliquando imposuisse populo et apud eos, qui me cum deterioribus comparabant, in aliquam non infantis neque indiserti hominis opinionem venisse; vereor tamen, ne exemplo meo comprobem id, quod tradunt rei militaris scriptores, etiam veteranos milites pro tironibus habendos, cum diu a pugnando cessarunt. Sed quoniam id tantum a me expectari ac requiri puto, primum, ut vobis, adolescentes, indicem ac commonstem eas vias, quibus ad eloquentiam posse arbitror perveniri; deinde ut ad superandam earum difficultatem, quantum in me erit, si quid modo erit, (neque autem multum neque tamen nihil omnino fore confido) auxilio sim: suscipiam ac subibo paullo majore cum fiducia euas id, quod mihi, si meum perpetuum publicæ utilitatis studium divinæ benignitatis aura comitetur, utcunque posse videor sustinere. Ut enim, si quis homo egens ac tenuis alios se collocupletaturum esse profiteatur, ridiculus sit; sin id tantum pollicetur, ostensurum se, quam viam insistere debeant, qui rem facere cupiunt, nihil tamen alienum atque abhorrens a fortuna sua suscipere videatur: sic ego, si ea me traditurum dicere ausim, quibus eloquentes fieri possint, merito.

Irridear, cum ipsi mihi eorum peregrina pars  
tuppetat; sin id tantum dicam, posse me iis,  
qui eloquentiae studio tenentur, vias, quae ad  
illam ferant, ostendere et ad id, quod adama-  
runt, consequendum aliquid opis afferre:  
causae, ut opinor, nihil sit, cur me quisquam  
aut nimium mihi adsumere atque arrogare di-  
cat aut ea polliceri, quae praestare non possim.  
Nolite autem, auditores, existimare, me vul-  
gare aliquid vobis et in medio positum poller-  
ceri, cum polliceor, me vobis itineris ducem  
ad eloquentiam fore; neque ita eloquentiae  
nomen accipite, ut vulgo accipi consuevit.  
Hodie enim ut quis vulgaria rhetorum præ-  
cepta utcunque didicit et in Ciceronis scriptis  
tantum posuit operæ, ut, adhibito Nizolii libro,  
possit orationem aut epistolam scribere, cuius  
tum singulæ voces tum ipsa etiam structura et  
collocatio Ciceronem oleat, protinus magno  
eorum consensu, qui nihil altius aut sublimius  
cogitant, eloquentis nomen assumit. Itaque,  
si de quopiam istorum percunctere, num Pla-  
tonem, Aristotelem, Theophrastum legerit, de-  
nique num philosophiam attigerit, negabit:  
se enim, relicto aliis philosophiæ studio, elo-  
quentiae gloria contentum fuisse. Quid He-  
rodotum, Thucydidem, Xenophontem quam

diligenter studioseque versaverit? Aliquid se fortasse ex eis libasse dicet, sed properantem et aliud agentem, et qui unam modo spectaret eloquentiam. Certe igitur Homerum, quem ut ceterarum ingenuarum artium, ita eloquentiae quasi fontem quendam esse dicunt, Sophoclem, Euripidem, a quo optime ali eloquentiam ipsi eloquentiae magistri prodiderunt, ceteros denique Græcos et Latinos poetas accurate per volutasti. Quem tu mihi, inquit, Homerum, quem Sophoclem, quas nugas nominas? quasi ego poeta, non orator, esse voluerim. Nimirum igitur, cum a te omne aliud scriptorum genus abdicasses, in illis eloquentiae luminibus, Lysia, Hyperide, \*) Andocide, Isæo, Isocrate, Demosthene, quam plurimum olei consumpsisti, in eis egregium aliquod studium collocasti, eos sæpe relegens in succum ac sanguinem convertisti tuum. Imo, inquit, quorundam ex istis vix ipsa nomina agnosco; alios a Cicerone meo commendari memini, qui mihi solus in amoribus ac deliciis fuit, quem ego, admirabili quodam eloquentiae studio in-

---

\*) Muretus de Hyperide perinde loquitur, ac si ejus orationes, quæ dudum perirebant, adhuc superessent. R.

flammatuſ, nunquam ex oculis, ex manib⁹,  
ex ſinu deponui; cuius in ſcriptis ita diligens  
ac ſollicitus fui, ut quemadmodum numi au-  
rei aut argentei a plumbeis tinnitu ipſo digno-  
ſcuntur, ita ego voceſ Ciceronianas ab iis, quæ  
Ciceronis non ſunt, ſono ipſo diſcernere ac di-  
judicare poſſim. Bene ſit, inquam, iſtis aurib⁹  
tuis tam delicatis tamque eruditis, ſed cur,  
quæſo, cum Ciceronem tanti facias, eos, quos  
tantopere ab eo laudari videbas, non attigisti?  
Iſtos, inquit, legiſſem, ſi Græce eloquens  
eſſe voluiſſem. Latinæ quidem eloquentiæ  
laudem affectanti ſatis eſſe unus Cicero viſus  
eſt. Quæ iſta (malum) Latina eloquentia eſt?  
aut quando quidquam veterum iſtud iter ad  
eloquentiam tenuit? Mihi quidquam eloquen-  
tiā vocat, cum genera cauſarum et nomina  
figurarum et vulgaria quædam præcepta de con-  
formandis orationis partibus et hujusmodi  
nænias didiceris, voculas ex Cicerone collectas  
conjugere et ex eis quaſi tefellis jejunam  
ac famelicam orationem contexere, ſedulo  
eaventem, ne quid dicatur, quod non ante  
Cicero dixerit? Picarum et psittacorum iſta  
eloquentia eſt, auditas voceſ iterare ac red-  
dere neque quidquam unquam dicere, quod  
ſit vere ac proprie tuum. Aliud antiqui vo-

abant eloquentiam, qui, nisi qui de civilibus negotiis ornate ac copiose loqui posset, qui dicendo animos audientium flecteret, qui admirationem concitaret, qui modo clamores ficeret, modo circumfusam multitudinem stupore desigeret, neminem eloquentem vocabant. Itaque qui se dicendi magistros profitebantur, multa de ratione argumentandi, multa de virtutibus ac vitiis, multa de permissionibus animi, multa de veterum institutis ac legibus, multa de ratione instituendarum ac gubernandarum civitatum disputabant sequentes propterea non rhetoras aut, quae tum usitata erat ipsorum appellatio, sophistas, sed glorijsiore ac magnificentiore nomine politicos nominabant. In quo etsi eos Aristoteles<sup>18)</sup> coarguit, ipse tamen docet, rhetorice quiddam esse ex dialectica et ex politica conflatum atque commistum, et opus rhetorices esse ait iis in rebus omnibus, quae in consultationem cadunt, omnia videre, quae ad fidem faciendam accommodata sunt. Tribus autem præcipuis capitibus hoc contineri ait: si ita dicamus, ut, qui audiunt, bonos viros esse nos opinentur;

---

<sup>18)</sup> rhetor. I, 1 et 2.

si eorum animi motus quosdam concipient ad id, quod volumus, efficiendum atque obtinendum accommodatos; si id, quod probare volumus, aut demonstremus aut demonstrare videamur. Ut autem dialecticus (non ille ex scholastico pulvere clamator odiosus ac molestus, sed verus ac germanus dialecticus) duobus ad probandum instrumentis utitur, syllogismo et inductione; sic ei compar ac getintus et in dissimili genere simillimus orator duo alia habet, quae duobus illis ex altera parte respondeant, enthymema, quod syllogismum, exemplum, quod inductioni. His duobus armatus est, his pugnat, his et suam et aliorum dignitatem tuetur; neque sine magna copia enthymematum et exemplorum ad omnem dicendi materiam comparata eloquentis nomen sustinere quisquam potest. Enthymematum copia a philosophis, exemplorum a poetis et historiarum scriptoribus petitur; neque quisquam oratoris aut eloquentis nomine dignus evaserit, qui non prius omnia philosophorum scripta, quae quidem ad formandos mores et ad tractandam rem publicam pertinent, omnem historiam veterem, omnes antiquos et Græcos et Latinos poetas diligenter et accurate per voluntarit. Magnus labor, dixerit aliquis. Fa-

teor; sed magnum est et id, quod hoc labore petitur. Et verum est, quod ait Horatius: <sup>19)</sup>

*Nil sine magno*

*Vita labore dedit mortalibus.*

Ad hanc facultatem consequendam ego me vobis, auditores, quantum vires meæ ferent, ducem ac comitem profiteor. Vestra res agitur: vobis, ut ille ait comicus <sup>20)</sup> senex, seritis, vobis occatis, vobis eisdem metitis, vobis denique iste pariet lætitiam labos. Videbitis me quotidie caussa vestra efficientem, quæcunque potero, conantem etiam ea, quæ non potero. Alite vos quoque studium meum attentione vestra et, dum ætas apta est ad labores perferendos, dum animus nullis aliis curis occupatur, dum cetera, quæ ad capiendum ingenii cultum requiruntur, affatim suppetunt, nolite committere, ut utilitas vestra, quæ et Gregorio pontifici maximo et amplissimis cardinalibus, quibus ille munus hoc demandavit, et nobis omnibus tantæ curæ est, a vobis, a quibus minime decet, negligatur. Evidem pro mea virili parte nullo loco vo-

<sup>19)</sup> serm. I, 9, 59. sq.

<sup>20)</sup> Plaut. merc. prolog. 71.

bis deero: docebo, admonebo, instabo, urgebo, excitabo, nonnunquam etiam, si res ita poscere videbitur, objurgabo atque increpabo. Nolite exspectare, dum vobis adulero. Contemnam vos, si vos litteras contemnetis. Sin eas amabis; et amabo ipse commoda vestra ex animo et, ut vos me vicissim merito ametis, operam dabo. Sed, ut diei tempus est, diutius detinendi non estis. Secundum librum Tusculanarum disputationum explicare decrevi. Cras id facere incipiam. Pollicor autem vobis, qui me attente audient, ceterorum me, ut eis operae suæ ratio constet. dixi. (I, 21. hab. Romæ Non. Novembr. anno MDLXXII.)

## 6.

## DE UTILITATE, JUCUNDITATE AC PRAESTANTIA LITTERARUM.

Cum mihi a summis viris, quorum auctoritate atque imperio nostra omnium studia diriguntur, mandatum esset, ut hodierno die, quo, ut scitis, more majorum, noster hic quasi Musarum exercitus quotannis lustrari solet, de præstantia litterarum et earum artium, quæ litteris continentur, aliquid publice di-

cerem, quo juvenum animi ad earum amorem incitarentur; quod prius facere debueram, sed inconsulto quodam obsequendi studio abreptus non feceram, coepi oneris suscepti magnitudinem cum viribus meis sollicitate comparare. Atque interdum quidem ita ratiocinabar, ut mihi nihil arduum aut difficile impositum crederem. Nam ut Cyrenæus poeta <sup>\*)</sup> facile ait esse omnibus Apollinem laudare, in quo tot tantaque laudum argumenta sint; ita facile videbatur homini quamlibet infanti atque indiserto laudare eas artes, quas vere ac merito bonorum fontes nominare possumus. Neque enim dubitabam, quin omnium concessu multo justius artibus nostris, quam illis, de quibus id Xenophon <sup>21)</sup> dixit, honos hujus nominis tribueretur. Cogitabam etiam, tum demum in summa me difficultate versaturum fuisse, si eas aut, quod nefas est, vituperare jussus essem aut earum dignitatem abjecere et extenuare dicendo: nullum enim sane argumentum, quod quidem alicujus momenti esset, ad eam rem reperire potuissem. Quod

<sup>\*)</sup> Callimachus h. in Apoll. 31. R.

<sup>21)</sup> cyropæd. VII, 2, 13.

si Socrates, præsente Phædro amorem vituperaturus, facere id non audet, nisi sibi prius pallio caput obnupserit; <sup>22)</sup> multo me magis verecundari par fuisse, in tanto eruditissimorum hominum coetu declamantem adversus eas artes, quarum omnes dignitate ac pulcritudine ita incensi estis, ut sine earum tractatione ne vitam quidem ipsam jucundam putetis. Nunc, ut idem ille sapientissimus senex <sup>23)</sup> facile esse ait Athenienses Athenis laudare, quod, quæ quisque amat, ea libertissime laudari audit; sic et ipse mihi videbar facilem et expeditam provinciam suscepisse commendandi ac celebrandi apud vos ea, quæ vobis omnibus in amoribus ac delectiis esse constaret. Sed interdum occurrerant alia, quæ me commoverent nec quieto esse ac securo animo sinerent. Nam et in tam ubere ac copiosa materia necesse est, unicuique audentium multa in mentem venire, quæ commode dici queant, neque fieri potest, ut, quidquid omnes cogitant, dicat unus; et

---

<sup>22)</sup> Platon. Phædr. p. 300. Bip.

<sup>23)</sup> Socrates, v. Platon. Menexen. III, §. 50. cf. Aristotel. rhetor. III, 14. I, 9.

ea est hominum natura, ut, cum quis, quod ipse dixisset, id ab eo, qui dicit, omissum videt, non hoc quoque dici potuisse, sed hoc proutissimum dici debuisse contendat. Ita dum pro suo quisque captu, quid ipse dicturus fuerit, cogitat et, alia prope omnia fastidiens, dum id unum dicatur, avide exspectat; quidquid dixeris, semper videberis omisisse præcipua et omnia communia ac contrita dixisse, quod ea non dixeris, quæ si dixisses, ipsa quoque aliis obsoleta et vulgaria viderentur. Ut melior hac in parte sit eorum conditio, qui aridis ac sterilibus in argumentis versantur, quorum, sive abundarunt, laudatur ingenium; sive defecerunt, materiæ jejunitas accusatur; cum contra, ubi ampla dicendi seges est, quidquid allatum est, ubertati materiæ adscribatur; quidquid omissum est, tibi. Ego vero quomodo aut quidquam allaturum esse sperem, quod novitate audientium animos teneat, cum iis in rebus mea versatura sit oratio, in quibus præstantissima se omnium æstatum ingenia exercuerunt; aut ita dicturum, ut non innumerabiles alii iisdem de rebus ornatus ac copiosius dixerint? Sed mihi neque valde laborandum est, ut nova conquiram, (non enim cantilenæ sunt hæ, quibus novitas,

ut ait Telemachus, conciliat gratiam, sed præcepta, quibus vetustas addit auctoritatem) et, si vera, utilia, apta ad id, quod mihi propositum est, digna hujus loci auctoritate, digna vestris auribus attulero, quibus ea cunque verbis extulero, hoc ipso me satis ornate dixisse arbitrabor. Agite igitur, viri præstantes et cum aliis nominibus tum præcipue harum, de quibus dicere ingredior, artium cultu et tractatione clarissimi; agite, studiosi adolescentes, quorum mollis adhuc et tenera ætas in ejusdem gloriæ spem eodem quasi lacte Musarum educatur, cognoscite mecum felicitatem vestram, qui instinctu quodam afflatuque divino ad eas potissimum artes animum appulisti, quibus, sive quis utilitatem sequatur, nihil fructuosius; sive oblectationem, nihil suavius ac jucundius; sive splendorem ac pulcritudinem, nihil illustrius aut ad struendam nominis immortalitatem firmius ac stabilius reperiri potest. Nam si veteres illi, qui errore ducti plures esse deos opinabantur, quem cuique eorum diem consecraran, eo laudes ipsius commemorare ac concinere solebant; multo nobis justior caussa est, quicunque iisdem honestissimarum artium studiis, quasi quibusdam sacris, initiati sumus, cum

hic nobis anniversarius dies majorum sapientia et auctoritate ad intermissam per aliquot menses earum exercitationem de integro repetendam constitutus sit, cur ab earum commendatione principium ducere debeamus easque celebrare, quas nobis vicissim aliquid celebritatis allaturas esse confidimus. Meminisse autem debemus, idcirco hunc sanctum atque augustum locum ad hanc rem delectum esse, ut et in laudandis artibus Deum ipsum laudemus, qui, ut alia omnia bona, ita eas quoque hominum generi dedit; et publice contestemur ac profiteamur, studia omnia laboresque nostros et Deo auctore atque auspice suscipi et ad ipsius gloriam, tanquam ad finem nobis omnibus præcipue propositum, referri. Unde igitur, in tanta eorum, quæ se ad dicendum offerunt, copia, potissimum exordiar? An ab eo, quod semper apud gravissimos quosque gravissimum fuit, antiquitatis testimonio? Quæ cum artes omnes bonæ sint, (nam si quæ malæ artes dicuntur, immrito eis artium nomen tribuitur) has tamen nostras proprio ac peculiari nomine bonas artes vocavit easdemque artes ingenuas, artes liberales, quod alias aut a servis aut ab hominibus servili præditis ingenio exerceri, has

unas ab ingenuis ac liberis excoli consentaneum judicaret. Quin etiam cum Græci earum cognitionem sua lingua tali quodam vocabulo affecissent, ex quo id modo intelligeretur, statim a pueritia dandam eis operam esse; majores nostri hoc, ut pleraque, melius ac sapientius, qui totum hoc artium genus humanitatem vocarunt, credo, indicantes, non multo minus inter homines talibus disciplinis expolitos et vulgus aliorum, quam inter ceteros et pecudes, interesse. Homines enim duabus præcipue rebus a ceteris animantibus discernimur, ratione et rationis interprete oratione: quarum utraque in eis, qui harum artium expertes sunt, ruditus quodammodo et inchoata; qui eas bene penitus combiberunt, perfecta in illis atque absoluta est. Aristippus quidem, cum quæsiisset quidam ex eo, quid boni filio suo allatura eruditio esset? si nihil aliud, hoc certe, inquit, quod in theatro lapis in lapide non sedebit. Idemque alteri, qui, cum sibi nimium magnam mercedem posci pro institutione filii videretur, dixerat: ista pecunia servum mihi emere possum; tu vero, inquit jocans, etiam hoc amplius: si unum emeris, duos habebis. Significavit vide-licet, quorum collustratus doctrinarum luce

non esset animus, eos lapidum, non hominum, aut, si forte inter homines, servorum, non ingenuorum, loco ac numero esse habendos. Ac mihi quidem hac tota de re cogitanti, quatuor omnino esse viæ videntur, quarum unam aliquam a principio ætatis capessere ac postea persequi prope necesse sit, ex quibus ne dubium quidem esse potest, quin ea, quam ipsi ingressi estis, longe multumque aliis omnibus anteponenda videatur. Nam qui ista ætate sunt, partim otio se atque ignaviæ dedunt mollemque vitam ac voluptariam sequuntur, ii præsertim, quibus amplum patrimonium est; partim, si angustior sit res, quam ut nihil agentes ferat, dant se ad artem aliquam factandam; alii, qui excelsiore sunt animo, armorum tractationem et militaris rei gloriam sibi proponunt; alii denique animum ad litteras et ad hæc mitiora studia appellunt. Quid igitur istis turpius aut abjectius, qui, torporem ac desidiam amplexi, vitam luxu atque inertia transigunt, nihil agentes, quo se homines esse testentur? qui, ut Phœaces illi Homerici,<sup>24)</sup>

<sup>24)</sup> Od. VIII, 246. sqq.

*Non pugnis durave exercent membra palestra,  
Sed mensam et citharæ strepitum dulcesque  
choreas  
Stragulaque et molles curant post balnea lectos,  
Margitæ illius simillimi, de quo idem Homerus: <sup>25)</sup>*

*Non fodere ille bonus durisve ligonibus arva  
Vertere, non ulli vivebat idoneus arti.*

Sic enim et hi, neque domi neque militiae, neque privatim neque publice, neque sibi neque aliis utiles, ita vitae curriculum consciunt, ut, veluti naves, nullum sui vestigium relinquant. Qui mibi, si diis placet, quod nihil agant, quasi non pudere parum sit, etiam gloriantur. Alii, inquiunt, in opere occupati sint; nobis majorum nostrorum virtute est, unde otiosi laute splendideque vivamus. Quid majores vestros nominatis? qui si vestri similes fuissent, vos hodie in postremis jaceretis. Si, quales vos estis, tales ipsi fuerunt, indigni sunt, qui nominentur; sin alii, vos indigni, qui eos nominetis. At, videte, quantopere a sapientissimi poetæ Hesiodi <sup>26)</sup> judicio vestra ratio

<sup>25)</sup> v. Aristotel. de morib. VI, 7.

<sup>26)</sup> opera et dies 311.

discrepet: laborem ille et industriam nemini, languorem et ignaviam omnibus turpem esse confirmat. Praeclare Cicero,<sup>27)</sup> *michi quidem, inquit, qui nihil agit, esse omnino non videtur.* Nam et physici docent, quæ cuique rei caussa est, ut sit, eandem ei esse caussam, ut aliquid agat. Sed omittamus hos molles et delicatos neque eos ex somno, cui tam libenter indulgent, excitemus teneamusque id, quod a sapientissimis viris proditum est, nihil esse inertia foedius, otio ali vitia, otium, ut non gravissimus poeta gravissime tamen cecinit Catullus,<sup>28)</sup> non privatis modo hominibus, sed et regibus et prius beatis urbibus exitii causam fuisse. Cum igitur otiosa et ignava vita ne vita quidem habenda sit; videamus, num ad aliquam potius aliarum artium, quam ad litteras, animum adjicere præstet. Evidem cum mente ac cogitatione perlustro eas artes, quibus cum hisee studiis nostris aut nulla aut non magna communio est, ex iis quidem, quæ ita necessariæ sunt, ut eis civitas nullo modo carere possit, duas præcipuas judico, agricul-

<sup>27)</sup> N. D. II, 16. extr.

<sup>28)</sup> LI, 15 sq.

turam et mercaturam; ex iis autem, quæ ad ornamentum civitatis et ad animos honesta voluptate perfundendos pertinent, duas minime sordidas minimeque illiberales, picturam et statuariam. Nam quod boni unaquæque civitas percipere ex suo et patrio solo potest, id agricultura educit atque elicit; quo eget, id aliunde mercatura comportat. Ita civitas sine alterius ope ne suis quidem opibus fru-  
tur; alterius beneficio fruitur etiam alienis. Pictorum autem et statuorum opera et vo-  
luptatis atque admirationis habent plurimum et, quæ liberalium artium nota est, ingenii,  
non corporis viribus constant et ad conservan-  
dam clarorum virorum memoriam ceterosque  
ad eorum imitationem incitandos non imme-  
rito magnam vim habere creduntur. Sed ta-  
men quis ausit harum artium ullam cum lit-  
terarum studio comparare? Nisi forte majus  
est agrum, quam ingenium, colere, aut jacta  
in terram semina depactive surculi, quam in-  
genia præceptis philosophiæ consita, amplio-  
res aut ubiores fructus ferunt. Mercatura  
autem vel si tenuis est sordida est vel, si  
ampla, tot exposita periculis, ut merito ille  
olim Laco negaverit, optabilem sibi videri  
fortunam, quæ rudentibus apta esset; cui-

caimodi autem sit, tota fere ad quæstum et ad lucrum refertur. At litterarum tractatio et dignitatis plenissima est et quietis et eas opes consecutatur, quæ nec furem nec prædonem timent nec inceduiis, ruinis, naufragiis obnoxiæ sunt nec ullis denique casibus eripi possunt. Jam vero quæ Apellis aut Protogenis tabulæ cum Homeri pictura, quæ Phidiæ aut Praxitelis statuæ cum litterarum monumentis conferri queant? Quos ipsos hodie ignoraremus, nisi solidiorem ac diuturniorem gloriam essent commendatione scriptorum, quam artis suæ operibus, consecuti. Nam quæ illi artificio suo elaborarant, et solius corporis effigiem exprimebant et uno tantum spectabantur in loco et eam naturam habebant, ut ea, si nihil aliud, ipsa certe longinquitas temporis confectura ac consumptura esset. At eruditorum hominum lucubrationes et clarorum virorum non formam modo corporis, sed ingenia, mores, consilia, res gestas, subjiciunt oculis et iisdem, quibus orbis ipse terrarum, terminis ac regionibus continentur et tantam vim habent, ut illa ipsa aliorum omnium humanorum operum confectrix vetustas his unis non modo nihil detrahat, sed majorem in dies comparet ac conciliet dignita-

tem. Trecentas sexaginta Demetrio Phalereo statuas æreas populus Atheniensis anno uno eoque non toto posuerat, quibus omnibus Demetrius ipse superstes fuit. At quæ ipse sibi monumenta ingenii ac doctrinæ magnitudine extruxerat, ea et multis post ipsum seculis viguerunt et, cum postea densa quædam et opaca nox omnem prope disciplinarum lucem extinxisset, ex oculis erpta incredibile desiderium sui in omnium eruditorum animis reliquerunt. Elate et magnifice de se, ut solet, Pindarus,<sup>29)</sup> sed tamen vere: statuarium esse se negat, qui mutas statuas edolet una defixas in basi, sed, quos ipse cantibus suis celebret, eorum famam terra marique spargi ac disseminari. Sed erunt fortasse, qui vitam militarem huic nostræ pacatæ atque umbratili anteponendam putent. Mihi quidem fortium virorum virtutem detrectare aut copari, ut quidquam ex eorum gloria deteram, neque propositum est neque fas videtur. Potius omnibus, qui dicendo aliquid possunt, omnem industriam ad eos celebrandos conferendam censeo et hoc ipsum numero inter præcipua

---

<sup>29)</sup> Nem. V, 1 sqq.

bona, quæ ab artibus nostris in vitam hominum manant, quod earum ope præclara illorum facinora ad immortalem posteritatis memoriam consecrantur. Sed tamen si quis secum in animo reputet, quæ vita sit ejus hominis, qui, modicis opibus instructus, in literarum studio molliter ac placide consernescat, et quæ ejus, qui, ab adolescentia armis tractandis assuetus, sub dio sæpius, quam sub tecto, sub pellibus sæpius, quam domi somnum capiat, vix dubium fore arbitror, utra melior et magis expetenda sit. Alterius aures tubarum et liuorum et cornuum clangore, alterius Musarum concentu et Apollinis fidibus adsidue personant. Illius oculi cæde et sanguine et incendiis, hujus admirabilium naturæ operum aspectu et contemplatione pascuntur. Ille aut in ipso ætatis flore hostili gladio transverbatur aut mancos ac debiles artus et insignem cicatricibus vultum referens domum redit, hic, ut animo ita et corpore integer, vultum, nisi quantum rugæ canique venerationis addiderunt, etiam nutrici agnoscendum, perfert ad ultimam senectutem. Neque vero minus gloriosa aut minus hominum generi fructuosa hujus quam illius opera. Occupatur ille in finibus imperii proferendis, hic in fini-

**b**us cupiditatum regendis et coercendis. Novit ille, quemadmodum urbes expugnentur, hic quemadmodum gubernentur; ille quemadmodum injuria aut repellatur aut reponatur, hic quemadmodum et accipiatur aequo animo et negligatur. Dicet ille, quam multos homines manibus suis trucidaverit; hic, quam multos a cæde facienda oratione sua revocaverit; ille, quam multos in servitutem abduxerit; hic, quam multos a servitute vitiorum in veram libertatem perduxerit. Illius usus nisi in bello nullus est, hujus opera et in bello et in pace salutaris. Itaque si homines inter se amice ac concorditer viverent, si Dei ac naturae jussa sequerentur, si denique ii essent, qui esse deberent; jacerent omnes artes bellorum quarum inter justos justus usus esse non possit, nostrae vero tum demum florerent ac vigerent, tum demum eas optimus quisque summa corporis et animi contentione sequeretur. Neque vero quemquam ita esse arbitror sanguinarium, cui non præoptanda videatur nullius empta lacrymis gloria neque ullo nisi puro illo ac limpido Aganippes rore irrigata, quam tabo et cruento oblita et multa strage ac cladibus comparata. Multa consulto prætereo: quod mihi non tam, ut copiam et

varietatem consecter, laborandum est, quam ut effugiam satietatem. Quis enim unquam tanta ubertate ingenii, tanta dicendi copia præditus reperietur, qui litteras ita laudare possit, ut non semper, cum plurima dixerit, plura tamen omisisse videatur? Omnia, quæ homines in vita expetunt, cujuscunque tandem generis illa sint, nulla re certius aut facilius, quam eruditione ac litteris, acquiri, conservari, amplificari queunt. Est qui, rei familiaris angustia pressus, ex ea expedire se et ad moderatas opes sine ulla turpitudine pervenire cupiat? Quæ ad id consciendum via aut honestior aut expeditior aut facilior est? Quam multos ex tenui et exili patrimonio, aut juris scientia aut medendi arte fretos, (ut éas potissimum nominemus) paucis annis ad maximas divitias pervenire vidistis? Nam quod plerique vulgato jam proverbio dictitant, ex omninostrarum artium numero duas modo illas frugiferas esse ac fructuosas, ceteras cultoribus suis decoquere ac decollare, in eo vanitatis illos ac mendacii facile res ipsa coarguit. Nota est historia de Thalete Milesio, qui cum & propinquis objurgaretur, quod omne tempus in sapientiae studio poneret, quod ad faciendam pecuniam, in qua illi posita puta-

bant omnia, nulli usui esset, vultis, inquit, ostendam vobis, posse hominem huic studio deditum, si ei commodum sit, divitem Fieri, et hanc esse, si quis velit, ad quæstum ac compendium vel maxime compendiariam viam? Cum illi se velle dixissent, homo, qui ex astrorum scientia magnam eo anno olearum ubertatem prævideret fore, multo ante exiguo pretio, cum contra licitaretur nemo, omnia Chiorum ac Milesiorum præla ac trapeza conduxit. Quæ cum postea suo tempore, quanti voluit, elocasset magnamque ex eo vim pecuniæ collegisset, ostendit, philosophos non tam rem facere non posse, quam, majoribus ac præstantioribus cogitationibus occupatos, de ea facienda non laborare. Quid Leontinus Gorgias? nonne rhetorices professione et maximas sibi divitias peperit et tantam gloriam, ut ei vivo ac videnti honoris ergo aurea statua in Apollinis Pythii templo constituta sit? Quid ille, qui eloquentiæ quasi mercator atque opifex quidam habitus est, Isocrates? non et summa gloria fuit et iis opibus, ut ter ad trierarchiam vocatus, cum eam bis effugisset, ad postremum splendidissime ac magnificentissime obierit? ad eam autem non fere nisi opulentissimus quisque ac locuple-

tissimus adigebatur. Neque medicus erat optimus pessimi principis magister Seneca neque de jure consulebatur: et tamen quantam sibi opum vim homo externus et alienigena eloquentia et eruditione confecit? Scio, hoc, quod dicam, quibusdam incredibile visum iri, sed tamen, si vera sunt, quæ litteris prodita sunt, haud scio, an ullus hodie tota Italia princeps tantas opes habeat, quantas in Senecam quadriennio Nero congesit. Nam cum ex veteribus illis Romanis M. Crassus opulentissimus fuisse dicatur; Senecæ opes Crassi opibus duplo majores fuerunt. Prope est, ut pigeat, in hac parte tam diu immoratum esse; sed tamen dicendum fuit aliquid adversus stultitiam eorum, qui ajunt, si quis juris scientiam et artem medendi excipiat, ceterarum artium nostrarum sterilem esse culturam. Qui error ex eo potissimum natus est, quod doctrinæ mediocritas magnos afferre fructus non potest. Itaque excellendum est iis, qui magna et præclara concupiverunt. At nos simul atque paullum ultra prima elementa progressi sumus, falsa de nobis opinione tumefacti, quia non in nos continuo opes et honores congeruntur, jacere litteras clamitamus. Non jacent litteræ, non jacent neque

jacuerunt unquam et, si antea jacuissent,  
**Gregorio XIII.** pontifice non jacebunt. An  
ille, cum et omni doctrina instructissimus  
sit, et ad illos veteres atque usitatos nostros  
et litterarum patronos, Joannem Moronum,  
sacrosancti collegii decanum, priscae majesta-  
tis absolutissimum exemplar, cuius in ipso  
nutu plurimum auctoritatis residet, cuius e  
vultu ipso atque oculis elucet gravitas huma-  
nitate condita; Aloysium Cornelium Came-  
rarium, hominem plenum officii et ad om-  
nium animos ac voluntates devinciendas ipsis  
Gratiarum manibus factum; et illa duo orna-  
menta seculi, firmamenta litterarum, domicilia  
virtutis et eruditionis, Gulielmum Sirle-  
tum et Franciscum Alciatum: ad eos igitur,  
quorum jam pridem in sive ac clientela era-  
mus, cum proxime eum, quem pleno gradu  
per sua vestigia incidentem videt, quemque  
optimo jure cordi suo carissimum habet,  
fratris filium Philippum S. Sixti cardinalem  
addiderit eumque florentis ætatis commen-  
dationem a litterarum patrocinio ducere vo-  
luerit: qui tali argumento declaravit volun-  
tatem erga nos suam, is, metuimus, ne litteras  
aut egere aut jacere patiatur? Sed ut, unde  
digressus sum, redeam atque id, quod in-

stitui, absolvam: et ad facultates ac copias sine dedecore parandas accommodatae sunt litteræ et multo magis colendæ iis, qui opibus abundant, ne, si id facere neglexerint, instrumentis sibi a Deo ad virtutem datis per inertiam abusi esse dicantur. Eademque ratio est et eorum, quibus clari, et eorum, quibus obscuri parentes obtigerunt. Nam neque illi ullo majori aut illustriori ornamento condecorare et, ut Homeri.<sup>30)</sup> verbo utar, coronare possunt, nobilitatem a majoribus acceptam; neque hi ex tenebris ulla ratione facilius emergere seque, in luce atque in oculis omnium collocatos, a contemptu atque ab oblivione in perpetuum vindicare. Rex erat ac regis filius Alexander Macedo et viam sibi ad summam claritatem ac potentiam armis quotidie muniebat. At is et plus se debere Aristoteli, a quo eruditus, quam Philippo, a quo genitus fuerat et cuius in regnum successerat, prædicabat et, cum ab illo divulgatos esse libros quosdam arduis de rebus scriptos accepisset, ægre tulit ac, genera rosa quadam indignatione motus, epistolam

---

<sup>30)</sup> Il. I, 470 Od. I, 149.

ad eum scripsit, in qua hæc verba sunt:  
*Nam qua re posthac ceteris præstabimus, si quæ a te edocii sumus, ea omnium communia erunt? Ego autem malim optimarum rerum scientia, quam opibus et potentia ceteris anteire.* Hæc igitur ille regum stirpe ac sanguine editus. Obscurissimo autem genere ortos quam multos nominare possumus, quos supra omnes omnium fumosas imagines litteræ collocarunt. Obstetricis filius erat Socrates; Num igitur eo Alcibiades nobilior? Euripidis matrem vendendis oleribus vitam tolerasse accepimus. At ipse et regum familiaritate usus est et ita clarus fuit, ut hodie magis Archelaus ex Euripidis, quam Euripides ex Archelai familiaritate noscatur. Tympanistria fuit Æschinis mater, etiam, si Demostheni credimus, vulgati corporis. At eum rex Macedonum Philippus quantopere coluit? Quid tibicinis filius Pindarus? quanta in gratia apud Syracusarum regem Hieronem fuit? Sed quid hujus rei plura exempla conquiram? Signantur eruditorum hominum nominibus tempora: ut minus sæpe, quibus illi regnabitibus vixerint, quam qui eis florentibus regnaverint, querere soleamus. Neque tamen hæc præcipua sunt eorum bonorum, quæ

percipiuntur ex litteris: sunt alia longe ma-jora longeque diviniora. Litteræ inditos no-bis a natura honestatis igniculos excitant; luxuriantes quasique fruticantes cupiditates stringunt ac coercent easque rationis finibus regunt; abducunt a vitiis; duces et magistræ sunt ad virtutem; prosperis rebus orna-mento sunt, solatio adversis; neque illis exsultare atque efferri suos neque his frangi ac deprimi sinunt; eam denique tranquillita-tem animi efficiunt, quam multi finem bono-rum esse dixerunt. Crates quidem Thebanus interrogatus, quid sibi superesset ex philoso-phiæ studio, notissimo versu respondisse dici-tur: *Chœnix lupinum et mentis a curis quies.* O magnum et excelso animo præditum virum! Quod aliis regna et imperia non adferunt, ut soluto ac libero' animo sint, id ipsi, propter litterarum et philosophiæ commercium, chœ-nix lupinorum adferebat. Quod si tam multa tamque præclara bona litteris ac disciplinis continentur; si ipsis nominibus ac vocabulis testata est vetustas, earum cognitionem et hominibus et liberis atque ingenuis homini-bus dignissimam esse, si et ignava vita homi-ne indigna est, et nullo in studio melius, quam in litteris industria collocari potest;

si ad opes ac potentiam, si ad honores ac dignitates via optime litteris sternitur; si eisdem et animi tranquillitas et nominis æternitas comparatur. quid statis, adolescentes, aut cur oblatam vobis tanti boni consequendi occasionem effugere atque evolare patimini? cur non aliis omnibus curis et cogitationibus ex animo abjectis atque abdicatis, in hanc unam toto pectore incumbitis? Non hoc sedendi, ut ait Bacchylides <sup>31)</sup>, ac cunctandi tempus est. Non enim ex plano ac facili gloria hæc petitur; neque lata, ut ait Propertius <sup>32)</sup>, via currere ad Musas datur. Non frustra eas antiqui in arduo atque edito monte habitare dixerunt. Labores et sudorem et vigilias in earum atrio ac vestibulo excubare voluit Deus, qui, ut dicebat Epicharmus, labore omnia prope bona hominibus venalia proposuit. Ego autem, ut libere vobiscum agam, valde vereor, ne, cum pleris-

<sup>31)</sup> Athen. XIV, 30 p. 289 ed. Schweighæuseri, quem vide ad h. l.

<sup>32)</sup> eleg. III, 1, 14.

<sup>33)</sup> Od. VI: 15 sqq.

que vêstrum alia omnia abunde sint, mollitia  
multi et laboris odio a studiis avocentur.  
Itaque quibus verbis Homericâ <sup>33)</sup> Pallas  
Nausicaan e somno excitat, quam segnem et  
ignavam vocat, quod vestes magni pretii, sibi  
emptas a parentibus, neglectui habeat easque  
illotas ac sordidas jacere patiatur, surgere  
igitur eam jubet et ad eas abluendas cum  
prima luce proficisci, præsertim cum instet  
tempus nuptiarum; iisdem merito multos e  
vobis aliquis quotidie objurgaverit. Surge  
quam primum, miser, et ex animo torporem  
atque ignaviam excute. Quid tu istud inge-  
niū, quod tibi a communi omnium parente,  
Deo, multo qualibet veste pretiosius datum  
est, situ ac sordibus obsolescere quasique  
rubigine obduci pateris? cur non potius di-  
luculo ad illos proficisceris omnibus obvios  
et expositos doctrinarum fontes, quibus te  
mersans, ex quibus arbitratu tuo hauriens  
pectus et purgatum vitiorum maculis et mul-  
ta præclarissimarum rerum cognitione madi-  
dum referas? præsertim cum puerulus amplius  
non sis, sed ea jam appropinquet ætas, qua  
tibi in lucem atque in conspectum hominum  
prodeundum est. Hinc enim demum multo  
magis, quam unde illa dicit, et tibi paries

gleriam et parentum pectus gaudio lætitiaque complebis. Sed jam longior, quam par erat, fui. Cogitate, obsecro vos, languidis ac remissis omnia difficilia, navis et industriis omnia pervia ac facilia esse. Deus Optimus Maximus, cui, quæcunque hic acta dictaque sunt, grata et accepta esse cupio, vobis omnibus eum animum inspiret, ut hæc, ad quæ vos hortatus sum, tam sequi velitis, quam consequi potestis. dixi. (I, 25. hab. Romæ XV. Kal. Nov. MDLXXXIII.)

## 7.

INGRESSURUS EXPLANARE M. T. CICERO-  
RONIS LIBROS DE OFFICIIS.

Decreveram hoc anno pulcerrimum consilium, quod anno superiore ceperam, persequi et denuo Platonem cum Cicerone coniungere: tum ut adolescentes in studio Græcarum litterarum, quas maximo cum animo mei dolore evanescere et ad nihilum recidere secumque omne elegantioris doctrinæ genus trahere video, pro mea virili parte continearem; tum ut nobilissimus philosophus, cuiusvis ante me in his scholis nunquam, ut opinor,

audita vox erat, paullatim familiarior factus, uberrimis illis sapientiae et eloquentiae suae fontibus ingenia nostra copiosius et abundantius irrigaret. Aliter visum est iis, quorum nutu atque auctoritate nostra omnium studia diriguntur, qui, sive mihi ad tractandam sive vobis ad percipiendam Platonicarum disputationum gravitatem non satis esse virium judicariunt, sive in eo aliud quippiam secuti sint, (non enim fas nobis esse arbitror in eorum judicia curiosius inquirere) omnem a me hujus anni operam in uno Cicerone consumi maluerunt. Pareamus libenter, ut par est, iis, quibus parere omnes debent, quodque ipsis placuit, id sine ulla retractatione melius esse credamus. Non enim, ne gravissimis quidem in rebus, tantum apud nos valere ulla probabilium rationum momenta debent, ut non multo plus illorum vel jussis vel consiliis vel auctoritate moveamur. Pervolutabimus igitur hoc anno aureos illos M. Tullii libros de officiis. Qui cum tres sint, et totidem in partes annum hujus nostri muneris curriculum distingui soleat; dabimus operam, ut singularum librorum explicatio cum illa tripartita temporis nostri distributione ac descriptione concurrat ac congruat. Nam qui dies

nobis, statis anni temporibus, ad relatandos animos et ad vires denuo colligendas concedi solent, iis ipse otium mihi sponte abjudicabo et, rationes vestras commodis meis anteponens, domi quidem, sed ita ut neminem, qui audiendi ac discendi studio teneatur, excludam, quæ hic, temporis angustiis exclusus, non potuero, illic commodius explicabo. Scitis, idem me superioribus annis factitasse et, cum ad me magnus studiosorum numerus domum quotidie ventitaret ac confluenter, perfecisse, (præfiscini, ut loquebantur veteres, dixerim) ut nulla pars anni utilius ab eis aut fructuosius poneretur, quam ea, quæ libera quotannis ac soluta otio transigi solet. Quod ego non jactandi mei caussa dico, (neque enim unquam tantum laboris subire ac suscipere potero, ut aut sanctissimi pontificis Gregorii XIII. aut amplissimorum cardinalium, qui jussu ipsius huic gymnasio præsunt, singularem in me benigitatem ac beneficentiam exæquem) sed ut vos, si qua ratione possum, exacuam et exsuscittem ad suscipiendam aliquam curam ac cogitationem utilitatis vestræ, ne, cum mihi navandæ vobis operæ voluntas nunquam defuerit, vestra vobis tarditas ac negligentia aditum ad veram laudem

ac dignitatem interclusisse videatur. Ac quoniam scio, esse nonnullos, qui mirentur, quod ipse mihi, cum vacationes dantur, voluntarios labores injungere soleo, cur non hoc ipso potius publice nobis constituto ad docendum loco, quam intra domesticos parientes, obeam, ejus quoque rei quæ caussa sit, aperiam, ne consiliorum meorum pars ulla vobis ignota sit. Officii enim mei rationem omnibus quam notissimam esse cupio, ne quis cuiquam pateat ad calumniandum locus. Primum igitur, si dicam, id facere me, ut aliqua pars laboris minuatur mihi, nemo me, ut opinor, merito reprehendat, quod vobis a me sponte tribuitur, si in eo etiam commodi mei rationem habendam esse aliquam putem, præsertim cum vobis ex eo nihil oriantur incommodi. Sed sunt alia graviora, quæ me magis commoveant. Huc quoties venimus, pendendum nobis est ex aliquot abjectissimorum nebulonum libidine, qui sibi pro oblectamento habent, obstrependo, obturbando, exsibilando laudabiles aliorum conatus, quoties collibuit, impedire: domi ab illa sece ac colluvie nihil periculi est, ubi, si quid tale tentare auderent, extruderentur et, si redire postridie vellent, excluderentur.

Hic vix unquam mihi horam integras docere  
permittitur: domi me s<sup>a</sup>pe horas duas,  
summo silentio, summa omnium voluntate  
auditum esse meministis. Illic si quis quid  
minus intellexit, licet rogare, licet colloqui,  
licet placide ac comiter, si quid sit, de quo  
dubitetur, exquirere. Hæ me caussæ addu-  
cunt, ut, quoties a publico munere cessatio  
est, libentius doceam domi. Neque dubito,  
quin hoc consilium meum omnes æqui et  
harum rerum intelligentes existimatores pro-  
bent. De quo cum et aliquid dicendum fue-  
rit, et satis multa jam dixisse videar, transibo  
ad alia, quæ proprie pertinent ad eos libros,  
quos vobis hoc anno Deo fatus explanare  
decrevi. Qui quidem multis nominibus mag-  
no apud nos in pretio esse debent. Primum  
quod Ciceronis sunt, hoc est, ejus viri, qui  
perpetuo omnium ætatum consensu inter  
Romanos scriptores eloquentiæ laude ita nu-  
meratur primus, ut ab eo nemo numeretur  
secundus. Deinde quod scripti a Cicerone  
jam sene, cum singularis ille vir natusque in  
posteritatis exemplum et multo studio multis-  
que vigiliis et longo usu ac tractatione rerum  
maximarum et multis, quibus agitatus erat,  
casibus immensam sibi quandam vim sapientiæ

ac prudentiæ comparasset, fuit enim hic prope ultimus illius præstantis ingenii fetus, ut postea magis intelligetur. Adde quod scribit ad filium et ad filium Athenis agentem in convictu ac contubernio hominum doctissimorum: ut verisimillimum sit, et summam ab eo curam adhibitam in colligendis undique bonis et utilibus præceptis, quæ congereret in eos libros, ex quibus unicum et unice carum filium legem ac normam instituenda vitæ petere vellet; neque quidquam prætermisum in limandis ac perpoliendis, quæ ita scriberentur, ut in eam urbem, quæ tum eruditionis ac sapientiæ domicilium erat, acutissimorum hominum subitura judicium, mitterentur. Constat etiam ipsum sibi valde placuisse in confectione horum librorum, ut qui sibi unus optime conscius esset operæ in eis scribendis collocatæ. Nam et principio commendat eos, ut ad Latinæ orationis ubertatem ac copiam profuturos, et ad finem, magnum a se munus habere filium, dicit et, ad Atticum<sup>34)</sup> scribens, homini eruditissimo et, cuius ipse saepe miniatulas ceras extimesce-

<sup>34)</sup> ep. XV, 13.

bat, magnam hujus operis exspectationem concitare non veretur. *Nos hic, inquit, φιλοσοφούμεθα, quid enim aliud?* et τὰ περὶ τοῦ καθήκοντος magnifice explicamus προσφωνοῦμενque Ciceroni: quade re enim potius pater filio? deinde alia. Quid quæris? extabit opera peregrinationis hujus. Ac ne quis ipsius, quasi Astydamantis cuiusdam, de se testimonium elevare conetur, sciat, hos libros semper fuisse in prima commendatione apud sapientissimos quosque, ut et tererentur assidue manibus et a plerisque etiam ad verbum ediscerentur. Inter quos minime contemnendum est judicium Alexandri Severi imperatoris optimi et eruditissimi, de quo ita scribit Lampridius: <sup>35)</sup> *Post actus publicos seu bellicos seu civiles lectioni Græcae operam maiorem dabat, de republica libros Platonis legens; Latina cum legeret, non alia magis legebat, quam de officiis Ciceronis et de republica.* Ut mihi hoc quoque perbelle cecidisse videatur, quod, cum anno superiori libros aliquot Platonis de republica interpretati simus, eis nunc subjiciamus interpretationem librorum Ciceronis de officiis, quasi præstantissimi et

<sup>35)</sup> Alex. Sever. c. 3.

sapientissimi imperatoris vestigia persequamur. Sed nihil est, quod magis invitare atque allicere nos debeat ad accuratam horum librorum lectionem, quam res ipsæ, de quibus in eis disputatur. Continent enim præcepta virtutis, docent, quomodo unusquisque in omni parte vitæ gerere se debeat, quid a quoque postuletur, quid quemque deceat, quid patræ præstandum sit, quid parentibus, quid propinquis ceterisque amicis, quid universo hominum generi, ea denique, quorum studium

*Æque pauperibus prodest, locupletibus aequi:  
Æque neglectum pueris senibusque nocbit.*  
Socrates quidem, qui in his et talibus quaerendis studium omne consumerent, eos sapere unos prædicabat; qui, his neglectis, de natura mundi, de rebus superis, de caassis ventorum, imbrium, fulgurum, philosopharentur, desipere hallucinarique dicebat. Eo autem hi libri a cordatis, ut Ennii<sup>36)</sup> verbo utar, et intelligentibus pluris fieri debent, quod, cum ducti sint e Stoicorum disciplina, quorum fuit quidem severum in primis et, ut ita dicam,

<sup>36)</sup> v. Cic. Tusc. quaest. I, 9.

masculum philosophandi genus, sed pleraque tamen præcepta rigidiora et a communi hominum captu remotiora; ita se Cicero temperavit, ut ab illis, quæ absurdæ aut erant aut videli poterant, abstinuerit omniaque ad civilis vitæ institutionem apta et accommodata protulerit. Sed de caussis, cur hi libri nobis cari ac commendati esse debeant, abunde dictum puto. Nunc, antequam progrediar Iongius, non erit alienum breviter respondere quibusdam reprehensoribus, qui me non tantum absentem in circulis et conviviis vellicant, sed esse interdum etiam præsenti molesti solent. Ajunt enim, perperam facere me, qui, cum jussus sim, quantum quidem vires meæ ferunt, eloquentiæ præcepta tradere, ejusmodi tamen fere libros interpreter, qui non tam bene dicendi, quam bene vivendi præcepta continere videantur. Quam reprehensionem, si ambitioni meæ servire vellem, nunquam equidem refellerem. Quid enim esse mihi gloriosius potest, quam si vobis, juvenes, ea præcepta quotidie instillare dicar, quibus non tam oratio comptior, quam vita melior fiat? O benevolos reprehensores et existimationi meæ amicos! o reprehensionem cuilibet laudi ante-

ponendam! Quis non eos a me ipso appositos atque allegatos putet? Nam orichalcum pro auro aut vitrum pro gemma si quis vendiderit, merito, ut improbus, accusetur; aurum quidem pro orichalco aut gemmam pro vitro qui dederit, nemo se, ni fallor, ab eo delusum ac deceptum conqueratur. Sed ne quis sit error, hoc sibi responsum habeant, jam inde ab heroicis temporibus conjunctam fuisse harum rerum professionem, idque vel illo cognosci Homeri<sup>37)</sup> loco, ubi Phœnix datum se Achilli a Peleo dicit, ut eum et ornate dicere et fortiter facere doceret:

*Τούτεκά με προέηκε, διδασκέμεναι τάδε πάντα,  
Μύθων τε ρήτηρί ἔμεναι, πρηκτῆρά τε ἔργων.*

Et certe sive vera est M. Catonis illius sapientis definitio, oratorem esse virum bonum dicendi peritum: qui, quomodo vir bonus fias, docet, potiorem ac præstantiorem partem artis oratoriæ docet; sive Aristotelem<sup>38)</sup> sequi malumus, ut quamlibet bonum oratorem esse posse dicamus etiam, qui non sit vir bonus;

<sup>37)</sup> Il. IX, 442 sq.

<sup>38)</sup> rhetor. I, 2 cf. V. L. II, 1.

facere tamen nullo modo possumus, quin eam partem philosophiæ, qua formantur mores, oratori futuro necessariam esse fateamur. Quomodo enim apte et copiose aut laudabit aut vituperabit, nisi qui virtutum vitiorumque naturam, ex quibus omnis vera laus et omnis vituperatio nascitur, diligenter cognitam ac pertractatam habuerit? Quomodo potens et efficax in suadendo aut dissuadendo futurus est, qui, quæ secundo horum librorum de utili atque inutili traduntur, nunquam didicerit? Quid aget in judiciis, qui justitiæ in justitiæque cognitionem e philosophorum fontibus haurire neglexerit? An ego, si troporum ac schematum exempla traderem et quotidie illa ludimagistrorum dictata cantarem, de exordio, de divisione, de narratione, de confirmatione, de epilogo, de generibus causarum, de statibus, ad quæ puto jam multorum e vobis aures occalluisse, plus vobis ad eloquentiam prodessem, quam cum aut libros Platonis de republica aut Ciceronis philosophica interpretor? Vera et solida eloquentia non tantum in verbis posita est, sed in rebus. Praeclare autem Horatius:

---

39)

39) A. P. 309.

*Scribendi recte sapere est et principium et fons.  
Rem tibi Socraticæ poterunt ostendere chartæ,  
Verbaque prævisam rem non invita sequentur.*

Sed ut Ixion in fabulis pro Junone nubem, ita hodie magna pars hominum pro eloquentia amplectitur inanem loquacitatem. Atque hoc deterius eunt res, quod, qui omissis rebus verba curant, ne verba quidem satis curant suntque in illo ipso puerili ac ludicro studio negligentes. Vos, si me auditis, utrumque curate et date operam, ut olim oratio vestra et copia rerum madeat \*) et bonis ac lectis verbis constructa sit. Ad utrumque vobis operam meam prositeor et magis, ut vos excitem, quam ut me extollam, jam nunc prædico ac praemoneo, nisi ad aliquam in hoc genere laudem perveniat, daturum me operam, ut omnes homines intelligent, quidvis potius vobis, quam, me vivo, hortatorem aducem ad eloquentiam defuisse. (II, 6. hab. Romæ III. Non. Novembris MDLXXIV.)

\*) Poetica loquendi forma, non imitanda in prosa. R.

## 8.

AGGRESSURUS SATYRAM TERTIAM DE-  
CIMAM JUVENALIS.

Cum constituerim vobiscum una evolvere atque excutere librum Senecæ de providentia, judicavi, omnibus nobis commodum fore, si is liber seorsum a ceteris Senecæ operibus mea opera emendatus excuderetur. Ac sperabam, id fore, antequam ad has mihi jucundissimas, vobis, ut merito sperare videor, non molestas exercitationes rediremus. Sed aliter cecidit. Interea igitur, dum ille pulcerrimus libellus a librariis describitur, delegi decimam tertiam Juvenalis satyram, in qua hoc triduum consumeremus. Et jucunda autem et utilis illius evolutio futura est. Continet enim multas graves et utiles sententias, optimis verbis et genere quodam dicendi salso, festivo, hilari et, ut ita dicam, vivido, quod huic poetæ proprium ac pèrpetuum est, explicatas. Neque mihi quisquam illud objecerit, multos esse ex Latinis Juvenale meliores poetas. Non contendeo. Scio, multum interesse inter Juvenalem et Virgilium. Sed qui solum Virgilium legerit, tanto praestare eum ceteris credere poterit, scire non poterit: ut ad certiorem

ipsius Virgilii gloriam pertineat, etiam alios legi. Deinde non continuo sola cognoscenda quæ optima. Alioqui non tantum e poetis solus Virgilius, ex oratoribus solus Cicero, sed ipsius Virgilii unum aliquod poema, Ciceronis una aliqua oratio legenda erit. Certe enim et aliquod Virgilii poema et aliqua Ciceronis oratio principem locum tenet. At nemo unquam repertus est, qui aut Homericum præcipuum esse inter poetas negaret aut propterea Hesiodum, Theocritum, Apollonium Rhodium, alios etiam inferiores ē manibus hominum excutere conaretur. Nec quia Sophocles in tragœdia excellit, idcirco Æschylum Euripidemque contemnimus.

*Non, si priores (ait Horatius) <sup>40)</sup> Mæonius  
tenet*

*Sedes Homerus, Pindaricæ latent  
Cœque et Alcæi minaces  
Stesichorique graves Camoenæ.*

Suus est stellis honos, sua lux, etiam si a solis splendore et claritate vincuntur. At stulte facit, qui in potestate eligendi, prætermissis

<sup>40)</sup> carm. IV, 9, 5 sqq.

optimis, deteriora sectatur. Hoc ita demum in me valeret, si suaderem vobis, ut eos, quos optimos esse constat, prætermitteretis. Sed id neque feci adhuc neque facturus unquam sum et multum puto interesse, hos quasi secundarum partium scriptores melioribus anteponat aliquis, an eis quoque studii aliquid tribuendum putet. Praeclare Cicero<sup>41)</sup> ferreum quidem scriptorem esse non dissitetur Atilium, sed scriptorem tamen, ut legendus sit. Rudem enim, inquit, esse in nostris poetis aut inertissimae segnitiae est aut fastidii delicatissimi, mihi quidem nulli satis eruditii videntur, quibus nostra ignota sunt. Hæc ille et illis quidem temporibus, cum neque Musarum scopulos quisquam superarat, et is, qui hoc scripsit, Ennius meliorum inopia principem locum tenebat. Quid igitur censemus dicturum fuisse Cicernem, si ad eorum poetarum, qui postea florerunt, tempora vitam producere potuisset? qui certe ut veteris illius Romani sermonis integritate inferiores fuerint, (suæ enim quique ætatis quam atavorum suorum sermone

---

<sup>41)</sup> de fin. bon. et mal. I, 2.

uti malebat) limatiōes tamen et cultiores et multis poeticis virtutib⁹ superiores fuerunt. Num igitur hos nitidos et politos contempsisset, qui illos horridos et impexos studiose tamen ac diligenter evolverat? Sed, ut in ceteris vitæ partibus, ita in ratione studiorum varie a vulgo hominum peccari solet. Patrum et avorum nostrorum memoria qui se eruditos perhiberi volebant, optimis quibusque scriptoribus, tanquam pervulgatis et nihil abditum ac retrusum continentibus valere jussis, in aliis quibusdam obscurioribus minusque tritis suam omnem industriam collocabant. Itaque eorum plerisque sæpius in manibus erat Appulejus aut Sidonius Apollinaris quam Cicero; Persium quam Horatium, Lucanum aut Claudianum quam Virgilium libentius et majore cum studio pervolutabant. Animadvertisit hunc errorem insequens ætas et, Bembi, Sadoleti ac similium et exemplo et auctoritate commota, ad vetustiorum lectionem imitationemque revocata est. Sed secutum est aliud malum, exorta factione ineptorum hominum, qui præter Ciceronem, Cæsarem, Sallustum et, si forte, aliquot alios eidem ætati supparest, tum ex poetis, præter Catullum, Lucretium, Virgilium, tres aut quatuor alios, clamare cœ-

perunt, ceteros omnes barbaros esse, nesciisse Latine loqui, neque satis dignos esse, in quibus cognoscendis ullum studium poneretur. Inde extitit enectum quoddam et famelicum et, ut ego interdum vocare soleo, dilutum eloquentiae genus hominum existimantium, bene dicendi laudem in eo positam esse, ut ne ullum vocabulum ponas, quod non ex Cicerone sumperis, quamvis fatue atque insulse loquaris, sine ulla vi, sine ullo acumine, sine ullo pondere sententiarum, dummodo unum illud observes, ipsis te Ciceronis fraterculum fore. Similis fatuitas eorum quoque, qui poetarum laudem affectabant, animos occupavit. Nam cum sibi indices quosdam confecissent earum vocum, quibus veteres aliquot poetae usi essent, putarunt, se illis aequiparatumiri, dum sedulo caverent, ne quam vocem versibus suis immiscerent, quae non in illis, quos dixi, indicibus reperiretur. Ergo hoc exemplo suo utrique docuerunt, ex omnibus Ciceronianis vocibus stultissimas orationes, ex omnibus Virgilianis pessimos versus posse componi. Neque dici potest, quam haec hominum somnia sibi placeant, quam se circumspiciant, quam se impudenter iis, quos non intelligunt, anteponant. Statim, ait eorum quidam, aut

Silium Italicum tu mihi aut Lucanum aut Senecam nominas? Ovidium etiam, cui praeter unum Virgilium Latinorum nemo par fuit, contemnere audent seque ei anteponere non verentur. Unus etiam, ceteroqui homo eruditissimus, sed illo errore imbutus, Ovidii *metamorphosin*, divinum poema et omnibus ingenii, omnibus eloquentiae luminibus omni ex parte collucens, in eum sermonem, quo vulgo nunc utimur, sibi convertendum curavit, ne, si eam Latine scriptam attingeret, sinceratem Latini sermonis, quam ex aliis poetis hauserat, contaminaret. Sed hunc quidem excusare quoquo modo possumus, qui cum et doctrinae copia abundaret et Latino sermone perite ac scienter uteretur, hac una in rem nimis credulus fuit aliorumque judicio stare potius voluit quam suo. Isti non ferendi, qui, ab omni eruditione imparati, quasi satis sit dixisse, *ego pulcra poemata pango*,<sup>42)</sup> audent se cum eis componere aut etiam eos præse despicere, a quorum coquis aut mulionibus, si hodie viverent, scribendorum carminum laude facile vincerentur. Herum ego,

---

<sup>42)</sup> Hor. A. P. 416.

simulatque Juvenalem mihi in manibus esse resciverint, qui de me sermones futuri sint, non ignoro. Juvenalem interpretatur. Cur non potius Horatium? sed et tertio abhinc anno, quasi alii poetæ deessent, Senecæ Troadas delegit, quas interpretaretur. Ego vero et in explicandis Senecæ Troadibus ita tum me versatum esse confido, ut illius poetæ amorem multis incusserim; et in hujus satyræ explicatione spero me perfecturum, ut ejusdem poetæ alias quoque cognoscere cupiatis. Sed satis jam verborum factum est. Nunc primum exponam argumentum hujus satyræ. Deinde ipsius poetæ verba recitabo, quæque in eis explicatione egere videbuntur, ea diligenter et accurate interpretabor. (II, 12. hab. Romæ anno MDLXXIV.)

## 9.

INTERPRETATUS C. SALLUSTIUM DE  
CATILINAE CONJURATIONE.

**A**dvenit tandem illud vobis quoque, ut opinor, auditores, sed mihi certe exoptatissimum tempus, quo diu jam intermissas exercitationes nostras et studia, haud facile dixe-

rim, honestatis an suavitatis pleniora, repeta-  
mus. Juvat hanc, mihi circumfusam,  
incensam ac flagrantem siti bonarum artium,  
cupidam veræ ac solidæ laudis et gloriæ, ore  
ipso atque oculis omnia me summa sperare de-  
alacritate et industria sua jubentem lectissi-  
morum adolescentum coronam intueri, juvat  
adspici, juvat audiri, juvat in talibus ingenii  
excoleandis, quidquid ingravescens ætas virium  
reliquerit, collocare. An agricolæ, cum tene-  
ras arbores a se cultas ad justam sese proceri-  
tatem paullatim attollentes vident, efferuntur  
gaudio; pastoris pectus, gregis sibi commissi  
lætitiam ac fecunditatem intuentis, tacita  
voluptate perfunditur; qui alumnos suos vi-  
gentes ac florentes adspiciunt, afficiuntur  
intimis sensibus et, juventutem illorum suam  
quodammodo juventutem esse ducentes, ex-  
cussa senectute recalescunt: ego, adolescen-  
tes optimi, e vestro in litteris profectu ac  
progressu non idem mihi usu venire fatear?  
Neque mihi sane dubium est, quin plerisque  
vestrum quadrimestre illud tempus, quod no-  
bis quotannis, ex vetere instituto, solutum ac  
liberum conceditur, justo longius visum sit:  
iis nimirum, quibus amor virtutis ac littera-  
rum in visceribus ac medullis defixus insedit,

quibus cor saucium est caelestis illius cupidinis sagitta,

*Quos tetigit jactu certus ad ossa deus,*  
 ut Umber poeta <sup>43)</sup> loquitur. Quam sæpè eorum unumquemque credibile est secum in animo Horatiana <sup>44)</sup> illa reputasse:

*Ut nox longa, quibus mentitur amica, diesque Longa videtur opus debentibus; ut piger annus Pupilli, quos dura premit custodia matrum: Sic mihi tarda fluunt ingrataque tempora, quæ spem*

*Consiliumque morantur agendi gnaviter.*

Macti este animo ac virtute, juvenes, quibus cunque sæpe in mentem ista venerunt; quibus jucunda industria est, odiosa cessatio; quibus labori quies est, labor quieti; qui tum denique vita ac spiritu frui vobis videmini, cum in litteris tempus omne consumitis; qui eo estis animorum ardore, ut in illa directa et ardua, ut ait Hesiodus, <sup>45)</sup> ad virtutem via

<sup>43)</sup> Propertius II, 34, 60.

<sup>44)</sup> ep. I, 1, 20 sqq.

<sup>45)</sup> O. et D. 290 sqq.

nusquam strigare, nusquam interjungere, sed eam uno tempore ac spiritu totam, si fieri posset, exhaustire ac superare cuperetis. Hac via veteres illi, quos admiramus ac suspicimus, sapientiae proceres vulgo sese exemerunt; hac se supra ceteros mortales extulerunt; hac gradientes non modo floruerunt inter aequales suos, sed in omnem posteritatem nomen sibi ac decus immortale pepererunt. Cujus autem ignaviae fuerit, eos quidem, ut magnos quosdam ac praestantes viros, laudare ac depraedicare; \*) et tamen torpere ac marcescere otio malle, quam ut eorum similes evadamus, operam dare? Non est ejusdem animi industriam laudare et otium amplecti; non serio laudat, qui non et concupiscit; non ex animo admiratur, qui non et imitatur. At bene, quod ex isto numero multi non otiosi veterum laudatores, sed strenui potius imitatores, non tam ad praeclara studia cohortandi estis,

\*) Compositum *depraedicare* inauditum Latinis est. Vide Cellar. cur. post p. 555. Erasmus primum hoc verbo usum esse putat Moneta ad Menag. T. III. p. 387. R.

quam exemplo vestro excitare ipsi alios ac  
comortari potestis. Itaque pro certo habeo,  
totum id tempus, quo nobis huc per calores  
convenire non licuit, non tamen a vobis la-  
guori ac desidiae datum, sed, quatenus licuit,  
earum ipsarum artium, quarum amore fla-  
gratis, umbratili ac domestica exercitatione  
traductum. Sie agricultae, ubi tempestates  
malae sunt, cum opus fieri non potest, sub  
tecto tamen quod agant, reperiunt ac ne ipsoſ  
quidem festos dies sibi prorsus inutiles effluere  
patiuntur. Sic milites, ubi eos horrifer aqui-  
lonis stridor in hiberna compulsos a bellicis  
muneribus avocavit, quotidie tamen aut cursu  
aut saltu aut ad palum excentur aut fictis inter  
ſe praeliorum imaginibus dimicant aut gladios  
acuunt aut arma poliunt, quae denique in  
bello usui futura sunt, ea omnia in pace me-  
ditantur. Quod ego ut mihi de vobis polli-  
ceri audeo, ita vobis de me plane confirmare  
possum. Neque enim mihi minus otiosa ulla  
pars anni fuit, quam quae ad quietem con-  
cessa videbatur. Libuit mihi istorum poten-  
tum consuetudinem imitari et tentare, nam  
quas illis aestatis tempore voluptates divitiar-  
rum suarum magnitudo praestat, easdem mihi  
in re curta ac tenui studia mea suppeditare

possent. Igitur ut illi ea tempestate anni montosa et altiora loca et saltuum ac nemorum opacitatem consequantur, sic et ego, Heliconios colles et avia Pieridum loca peragrans, aestum ambitionis avaritiaeque vitabam. Ut illi, ad fontium aut fluminum capita strati, cantibus avicularum animum oblectant, sic et ego, ad illos sacros et vulgo ignotos fontes, ex quibus omnis elegantia omnisque humanitas in vitam hominum fluxit, molliter compositus, ex illo ambrosio veterum poetarum eantu incredibilem animi voluptatem hauriebam. Ut illi venatu aucupiove intenti praedas agunt, quibus mensam instructiorem faciant, sic et ego, quibus mentem instruerem, e sapientissimorum hominum monumentis quotidie aucupabar. O studia nostra, auditores, non utilia tantum ac fructuosa, sed dulcia etiam ac delicata ! Persarum reges, qui, ut opibus ac divitiis affluebant, ita luxu ac deliciis diffuebant, voluptatis caussa ita dividebant annum, ut hyemem Babylone vel Susis, in Media aestatem agerent. Quidni studia nostra eandem nobis honeste luxuriandi facultatem ac copiam praebeant ? *Ex meo pro-*

*pinquo rure, ait Terentianus Laches, <sup>46)</sup> hoc  
capiο commodi:*

*Neque agri neque urbis odium me unquam  
percipit.*

*Ubi satias cœpit fieri, commuto locum.*

Idem in studiis licet. Gravi et severa philosophorum lectione defessus animus est? Poeticorum lusuum, involuta fabellis et condita omnibus leporibus sapientiae paecepta continentium, amoenitate recreetur. Solidius aliquod et succi plenius cibi genus requirit? Ex illo copiosissimo ac locupletissimo veterum oratorum penore omnia non pascendis modo, sed etiam saginandis animis apta depromat. Ingurgitet se in historiam veterem, omnem superioris aevi memoriam mente ac cogitatione perlustret, indulgeat arbitratu suo illi voluptati, quae infinita et insatiabilis ex antiquitatis cognitione percipitur. Aliarum voluptatum habendus modus est, huic nimis indulgeri non potest. Atque euidem, auditores, quoniam humanus animus varietate capitur, omnium-

---

<sup>46)</sup> Eunuch. V, 6, 1 sqq.

que prope rerum, ut ait Euripides,<sup>47)</sup> jucunda mutatio est; decrevi hoc anno aliquid vobis hujus suavitatis impertiri et, intermissa paulisper philosophiae severitate, nobilissimi inter Latinos historiarum scriptoris lectione vos pascere. Quod consilium tum denique sine ulla dubitatione probabitis, cum, ex quo fonte manaverit, intelligetis. Superioribus diebus, cum ad illud non amplissimi tantum ordinis, sed hujus aetatis singulare lumen ac decus, Gulielmum Sirletum cardinalem venisse, coepit ille me, ut solet, de studiis meis humannissime interrogare. Cui cum pauca pro tempore respondissem, procedente sermone, quae-  
siit etiam ex me, quid vobis hoc anno proponere atque explicare meditarer? Respondi, me in ipsius potestate et semper fuisse et semper fore et hac quoque in re totum ex ipsius nutu atque auctoritate pendere, atque id demum mihi factu optimum atque utilissimum visum iri, quod, ipso auctore et tanquam auspice, gereretur. Tum ille, quando, inquit, superioris anni curriculum in Aristotelis politicis consumpsisti, non alienum fuerit

---

<sup>47)</sup> Orest. 234.

hoc anno aliquid paullo levioris operae assu-  
mere. Nam neque omnes ii, quorum te com-  
modis servire oportet, capaces sunt tam ardua-  
rum disputationum, et a plerisque impetrari  
non potest, ut Graecas litteras ament; et sunt,  
qui anni principio ad dimidiatos libros, tan-  
quam ad delibatas ab aliis ac prope semeras  
epulas, non libenter accedant. Quare auctor  
tibi sum, ut aliquem historicum sumas ac,  
si me audis, non alium potius quam Sallu-  
stium. Nam et egregie Latine loquitur et  
gravis ac densus est et civilis sapientiae plenus  
et, quod tu quanti facias scio, Thucydideus, et,  
ut exiguis liber est, paucis illum mensibus  
totum explicare facile poteris. Ego vero, in-  
quam, libentissime parebo auctoritati tuæ  
neque unquam committam, ut, quacunque de  
re sententiam tuam cognovero, de ea mihi  
amplius quærendum ac dubitandum putem.  
Quod igitur faustum felixque sit, de summi  
in omni genere laudandarum artium viri et  
nostrum omnium amantissimi sententia evol-  
vemus et excutiemus una hoc anno, auditio-  
res, Sallustium, hoc est, eum scriptorem, cui  
antiquitas historiæ Romanæ detulit principa-  
lum. Ad quem cognoscendum, si vos parem  
mæ industriam ac diligentiam adferetis,

magnam vim ex ejus scriptis, cum Deo volente, et eloquentiae et sapientiae praeceptorum colligemus. Sed in primis pauca quædam de historia in genere, pauca de Sallustio dicam, quæ instituto nostro non inutiliter præfulciantur ac præmuntantur. Ac de historia quidem hæc: primum quid sit historia; deinde quam pulcra, quam jucunda quamque utilis sit historiarum cognitio; tum quæ sint historiæ leges; postremo in historiarum lectione versantibus quæ potissimum observanda sint, et quomodo in ea re a plerisque peccetur. Cornificius, seu quis alias est, qui scripsit libros rhetoricon ad Herennium,<sup>48)</sup> itemque Cicero ipse libro primo de inventione<sup>49)</sup> ita historiam definiunt: *Historia est res gesta, sed ab aetatis nostrae memoria remota.* In hac definitione quot verba, totidem prope peccata sunt. Primum historia non est res gesta, sed rei gestæ expositio ac narratio. Non enim ipsa conjuratio Catilinæ aut bellum ipsum Jugurthinum historia est, neque hoc ipsi dicere voluerunt; sed id, quod sentiebant, non

<sup>48)</sup> I, 8.

<sup>49)</sup> c. 19.

satis commode elocuti sunt. Itaque condonetur hoc negligentiae ipsorum, etsi nemo in rebus definiendis negligens esse debet. Sed quod addiderunt, historiam non esse, nisi quæ ab ætatis nostræ memoria remota sit, cuius quæsio amentiaæ est? Ergo si quis hodie de Romulo et Remo scribat, fatebimur, eum historiam scribere? si de bellis inter Carolum V. et Franciscum I. gestis, negabimus, quoniam haec nondum ab ætatis nostræ memoria remota sunt, aut certe dicemus, nondum historias esse, tunc demum fore, cum, qui earum rerum meminerit, nemo amplius reperietur. Quo modo fiet, ut ipse quidem hodie historiam non scribat, qui autem abhinc centum annis scripta ejus legent, historiam legant. Neque Thucydides hac ratione historiam scripserit, neque Xenophon in libris anabaseos aut in libris rerum Græcarum; neque Sallustius, cum coniurationem Catilinæ aut cum bellum Jugurthinum scribebat. Livius quoque quamdiu vetusta persecutus est, historiam scripsisse dicetur; at postremis libris, quibus complexus erat res suis temporibus gestas, historiam videlicet desierat scribere. Sed nolo pluribus verbis exagitatam tam fatuam definitionem, ne mentionem quidem illius ullam fecisset, nisi

scirem, eam etiam hodie defensores habere. Longe aliter sentiebant quidam olim eruditii homines, quos Verrius Flaccus <sup>50)</sup> refert putasse, historiam proprie dici narrationem earum rerum, quibus gerendis is, qui eas narraret, interfuisset. Quos quamvis non sequor, (neque enim pauciora aut leviora incommoda hanc quam illam definitionem sequuntur) tolerabiliorem tamen illorum errorem esse arbitror. Quomodo igitur historiam definimus? injuste enim reprehendit aliena, qui meliora non profert. Historiae nomen, auditores, non tantum rerum gestarum, sed quarumlibet rerum narrationem expositionemque significat. Sic Aristoteles eos libros, quibus ingenia et naturas animalium persecutus est, vocavit historiam animalium; sic Theophrastus historiam stirpium; sic denique C. Plinius libros suos naturalis historiae inscripsit. Quibus libris caussae ac principia rerum exquiruntur aut alicujus disciplinae praecepta traduntur, nunquam eos quisquam recte historiam vocaverit. At ubi narratur tantum

<sup>50)</sup> de verborum significat. l. IV. vid.  
Gell. N. A. V, 18.

aliquid atque exponitur, recte id scriptorum genus historiam nominaris. Itaque liber quidam, qui Galeno tribuitur, neque tamen ipsius est, quo veterum philosophorum unaquaque de re sententiae exponuntur tantum, non etiam expenduntur, recte inscribitur φιλοσόφους ιστορίας. Eodemque nomine affici possent libri ejusdem argumenti, qui falso tribuuntur Plutarcho, περὶ τῶν ἀρεσκόντων τοῖς φιλοσόφοις. At libros physicorum aut ethicorum aut ejusmodi alios si quis historiam vocaret, male et inscienter historiae nomine uteretur. Nam illud quoque intelligendum est, quod de toto aliquo genere universe scribitur, historiam non vocari, nisi particulatim ad singula veniatur. Atque haec cum ita sint, historiae tamen nomen in hac disputatione non tam late accipimus; sed, vim illius angustioribus terminis concludentes, ita definendam historiam putamus: *Historia est rerum publice gestarum diffusa et continuata narratio.* Neque quidquam interesse arbitramur, ad hoc quidem, ut historia sit, sintne res illae remotae ab aetatis nostrae memoria, an minus; et num is, qui eas scribit, eis interfuerit, an non interfuerit. Scripsit Herodotus de rebus a memoria aetatis suae remotis et historiam

scripsit; scripsit Thucydides de bello, cui ipse interfuerat; scripsit Xenophon de reditu Graecorum ex Asia, cui non interfuerat modo, sed et praefuerat, et uterque historiam scripsit. Si quis dicat, ad fidem et auctoritatem historiae conciliandam interesse, scribat quis ea, quae ipse viderit ac cognoverit, an quae ab aliis tradita acceperit, non negabo; si, ut vere ac proprie historia sit, horum utrumlibet requiri dixerit, pernegabo. Nunc singulas propositæ definitionis partes minutatim consideremus. *Historia est narratio rerum gestarum.* Omnes igitur fabulæ excluduntur. Neque enim continent res gestas, sed ad ejus, qui scripsit, libidinem fictas. Itaque neque Luciani libros verarum, ut ipse ludens vocat, narrationum neque Æthiopica Heliodori aut pœmenica Longi aut ejus generis scripta historias esse dicemus; non magis quam Heraclidæ Abarin aut Aristonis Lyconem. Ne Xenophontis quidem libros Κύρου πατέριας pro historia acceperim: tum ob alias caussas, tum quia in eis non tam curæ fuit sapientissimo ac disertissimo scriptori, ut res a Cyro gestas exponeret, quam ut nobis exemplar regis omni ex parte perfecti proponeret. Estne igitur omnis vera narratio historia? Mini-

me, sed ea tantum, quæ est *rerum publicæ gestarum*. Non enim oratorias narrationes, etiam si veræ sint, historias vocabimus; neque illa Ciceronis: <sup>51)</sup> Milo domum venit, calceos ac vestimenta mutavit; paullisper, ut fit, dum se uxor comparat, commoratus est, aut similia ad historiam pertinere censemus. Neque Philostratus, cum vitam Apollonii aut sophistarum, neque Laertius aut Hesychius, cum vitas philosophorum, neque Plutarchus, Suetonius, Æmilius Probus, Ælianus, Lampridius, Capitolinus, cum vitas imperatorum aut aliorum virorum illustrium scriberent, historiam scripsisse judicandi sunt. Aliud est enim *vitas scribere*, aliud *historiam*. Qui vitam alicujus scribit, qualis quisque domi fuerit, qualis in uxorem, qualis in liberos, in familiares, in hospites, quo victu ac cultu corporis usus sit, accurate ac diligenter exponit; qui *historiam*, hæc omnia aut prætermittit aut in accessionis loco, quasi aliud agens, strictim et modice attingit, ea tantum ex instituto persequitur, quæ ad publicum pertainent. Hoc

---

<sup>51)</sup> or. pro Milone c. 10.

Plutarchus<sup>52)</sup> ipse met docet, qui etiam cum virorum illustrium vitas scribit, negat, se historiam scribere. Verba ipsius proferam, ne quis dubitationi relinquatur locus. Οὐτε γὰρ ἱστορίας γράφομεν, ἀλλὰ βίους, οὐτε ταῖς ἐπιφανεστάταις πράξεσι πάντως ἔνεστι διλασίς ἀρετῆς ή κακίας, ἀλλὰ πολλάκις καὶ ῥῆμα καὶ καιδιά τις ἔμφασιν ηθῶνς ἐποίησεν μᾶλλον ή μάχαι μυριόνεκροι καὶ παρατάξεις αἱ μέγισται καὶ πολιορκία πόλεων. Neque enim histories, inquit, scribimus, sed vitas, neque, ut quæque nobilissima actio est, ita maxime virtutem aut improbitatem cuiusque patefacit; immo vero sœpe et verbum unum et jocis aliquis magis declaravit, qui cuiusque mores essent, quam pugnæ, in quibus decem hominum millia ceciderunt, maximaque prælia et urbium obsidiones. Videtis igitur, quæ sit quasi seges ac materia historiæ propria: bella, paces, induciæ, foedera, seditiones, tumultus, leges, judicia, commutationes rerum publicarum et quæ sunt ejusdem generis, qualia apud Herodotum, Thucydidem, Xenophonem, Polybium, Dionysium Halicarnasseum, Sallustium, Li-

<sup>52)</sup> vita Alexandri c. 1.

vinum, Diodorum Siculum, Cornelium Tacitum, Appianum, Amamianum Marcellinum, Dionem Coccejum et ejusmodi alios leguntur, quos vere ac merito possumus historiarum scriptores nominare. At tonderi diligenter ac radi aut velli etiam solitum Cæsarem et semper cingi supra latum clavum, et Octavianum mense Decembri totos dies talis lusisse, et similia, ejus sunt, qui vitam alicujus, non qui historiam scribat. Addidi in definitione historiæ, eam esse non narrationem modo, sed *diffusam et continuatam narrationem*, id est, διεξοδικὴν καὶ συνεχῆ. Diffusam quidem, quoniam, qui summa capita rerum colligunt eaque nude ac simpliciter propoant, ut Florus, Eutropius, Orosius, Sulpicius, non tam historias scribere dicendi sunt, quam summaria quædam aut, ut vetustiores loquebantur, brevioria historiarum. Continuatam autem, ut Valerium Maximum et alios ejus exemplum secutos ab historicorum numero excluderem. Longe enim aliud est historiam scribere, aliud exempla similia ex historiis collecta sub uno, quod illi fecerunt, aspectu ponere. Probasse me vobis arbitror; quod principio posueram, historiam esse rerum publice gestarum diffusam et continuatam

narrationem. Cetera, de quibus dicere institueram, (sunt autem hæc: de legibus in historia servandis, de pulcritudine, suavitate, utilitate historiæ, tum quid præcipue observare debeant, qui historias legunt) ea igitur et de ipso Sallustio quædam cognitu digna, ne et vobis molestiæ et aliis impedimento sim, in crastinum differentur.

Non dubito, L. C. V. P. quin, quicunque te huc honoris mei caussa venisse vident, et humanitatem erga me tuam admirantur et me tibi plurimum eo nomine debere arbitrentur. Ego autem ingenue fateor, nihilo me tibi propterea esse, quam antea fueram, devinctiorem. Cui enim omnia debedo, quid ei jam debere amplius possim? Quare ne illud quidem mihi curandum puto, ut tibi exquisito aliquo orationis genere gratias agam. Ista faciunt, quise accepta beneficia verbis exæquare posse confidunt. Mihi jam pridem adempta ac præcisa spes omnis est quidquam excogitandi, quod tuis erga me innumerabilibus meritis ulla ex parte respondeat. (II, 10. hab. Romæ III. Non. Nov. MDLXXVIII)

## 10.

CUM EXPLANATURUS ESSET ÆNEIDA  
VIRGILII.

Ut in reliquis vitæ partibus, sic in studiis et in ratione dicendi plerumque contingit, ut juvenes quidem nitida et ad pompam atque ostentationem accommodata, senes autem utilia magis et fructuosa delectent. Itaque ego, qui olim florenti ætate omnes lepores festivitatesque dicendi, quantum quidem in me situm erat, summo studio aucupabar et perctere ac comere cum cura orationem solebam, nunc, ut ætate, ita consilio commutato, profutura potius quam oblectatura consecutor: neque tam id operam do, ut ab iis, qui ad me audiendum convenient, disertus habear; quam ut ipsi aliqua re bona et digna cognitum redeant auctiores. Et hoc quoque tamen ipsum voluptati vobis esse confido: Neque enim vere novo segetis herbescenis viriditas, quam adulta ætate flavescentis et falcem vocantis maturitas; neque arborum in primos sese flores induentium, quam opibus suis laborantium et earum pondere incurvescientium magis nos aspectus oblectat. Nunc igitur Æneidos Virgilianæ interpretationem

ingressurus, poematis non tantum inter omnia Latina sine ulla dubitatione prætantissimi, sed etiam Græciae gloriam in magnum discrimen vocantis, omittam multa, quæ apte ad plausus et clamores excitandos in hoc argumento dici posse, facile intelligo, convertamque orationem meam ad quarundam rerum tractationem, quas spes est neque nimis communes ac contritas neque alienas ab hoc instituto neque cognitu inutiles judicatumiri. Dicam enim de poetices ipsius natura primum et antiquitate; tum suavitate, et quid sit, quod eam tantopere suavem efficiat, quasque illa hominum generi utilitates et attulerit et perpetuo adferat; deinde quasdam Aristotelis de poesi ac poetis sententias, quæ propter ipsius auctoritatem in omnium fere jam animis insedebunt, tentabo et ad disquisitionem vocabo; postremo cum et de Virgilio ipso et de hoc, quod nobis in manibus est, ejus poemate pauca quædam ad ipsius dignitatem ac commendationem pertinentia protulero, mittam concionem neque committam, ut nimia longitudine aut vobis molestiæ sim aut aliis, qui post me in hunc locum consensurì sunt, impedimento. Poeticam veteres, ut hinc exordiar, non tam artem esse, quam ineitationem quandam

animi et furorem divinitus immissum, qualia est in vaticinantibus, judicarunt. Quod ita expressit Cicero pro Archia: <sup>53)</sup> *sic a summis hominibus eruditissimisque accepimus, ceterorum rerum studia et doctrina et praeceptis et arta constare; poetam natura ipsa valere et mentis viribus excitari et quasi divino quodam spiritu affectari.* Et apud eundem Antonius lib. 2. de oratore <sup>54)</sup> hoc ipsum a Democrito et a Platone in scriptis relictum esse dicit. Ac de Democrito quidem aliis credamus necesse est, cum ipsius scripta perierint; apud Platonem autem ita multis locis hoc dicitur, ut putidum sit eos accuratius percensere. Sed et poetæ ipsi hoc de se profitentur ac prædicant, quorum sunt illa :

*Est Deus in nobis, agitante calescimus illo,*

*Sedibus aetheriis spiritus ille venit,*

multaque ad eundem modum; et Pindarus eo se Bacchylidi <sup>55)</sup> anteponit, quod ipse quidem natura valeat, Bacchylides arte sub-

<sup>53)</sup> c. 8.

<sup>54)</sup> c. 46.

<sup>55)</sup> Olymp. II, 157.

nixus temere multa profundat; itaque tantum interesse inter se et illum, quantum inter aquilam et corvos, gloriatur. Neque aut mons ille dupli vertice insignis aut fons, cuius haustu poetas fieri ajunt, quidquam aliud indicant, quam eos non arte et industria, sed divino quodam spiritu et instinctu valere. Et certe præstantissimi poetarum, Orpheus, Linus, Musæus et ille omnium parens Homerus multis ante seculis extiterunt, quam ulla præcepta poetices tradita essent. Sed tamen si naturæ tantum et ingenii, non artis et industriæ poetica est, quid est, quod summus philosophus Aristoteles libros tres de arte poetica scripsit? quod optimi poetæ Horatii libellus de eodem argumento scriptus manibus teritur? quod, ut ceterarum, ita hujus quoque facultatis præcepta quotidie ab hominibus eruditissimis summo studio tractari videmus? An illud verius est, ut in oratore, sic in poeta, qui oratori affinis quodammodo et in dissimili genere simillimus est, et naturæ atque ingenii præstantiam et artem præterea quandam ac præceptorum observationem requiri? Ita quidem certe sentit Horatius,<sup>56)</sup> cuius illa sunt:

---

56) A. P. 408 sqq.

*Natura fieret laudabile carmen, an arte,  
Quæsum est. Ego nec studium sine divite vena  
Nec rude quid proposit video ingenium: alterius sic  
Altera poscit opem res et conjurat amice.*

Fatendum tamen fortassis est, plus in poeta ingenium, plus in oratore industriam posse. Sed ut physici ajunt, res e multis ac diversis elementis conflatas atque concretas ex eo nominari, quod in quaque dominetur; sic veteres illi, cum in poetis illum animi ardorem plurimum posse quasique principatum obtinere, curam autem et industriam subsequi eique quasi famulari viderent, quod praecipuum esset, id solum esse dixerunt. Nam quod summi poetae fuerunt, antequam quisquam poetices praecepta traderet, idem in oratoribus dici potest. Si quidem ut alios omittam, ille ipse, quo nemo post homines natos eloquentior fuit, Demosthenes, omnes eloquentiae numeros antea impleverat, quam ab Aristotele, qui primus ut dialecticen ita et rhetoricen ad artis formam redegit, libri ad eam rem pertinentes conscriberentur. Sed et emendate loquebantur homines, antequam grammatici nascerentur, neque ex illorum

praeceptis emendate loquendi facultas, sed ipsa potius praecepta ex observatione eorum, qui bene loquerentur, enata sunt; quomodo jurisconsulti dicunt, non jus e regulis, sed e jure regulas extitisse. Neque omnino quidquam est aliud ars, quam imitatio quaedam naturae, neque ulla est ars, cujus non semina ac principia naturae debeantur. Sic igitur a me primum illud caput eorum, quae proposueram, explicatum sit, ut poeticam neque impetum quendam animi temere sine ullis legibus vagantis esse statuamus, neque rursus totam præceptis alligatam et adstrictam teneri; sed et generoso quodam ingenio, tum ad concipiendas animo rerum imagines tum ad ea, quæ conceperit, grandibus verbis et minime vulgari dicendi genere efferenda egregie facto et præterea diligenti cura atque observatione præceptorum quorundam contineri. Antiquitas ipsius vel e Ciceronis testimonio <sup>57)</sup> omnibus nota est, qui e doctis antiquissimum esse ait poetarum genus. Nos certe Homero, quem tamen multi poetae antecesserant, nullum profanum scriptorem vetustiorem habe-

---

<sup>57)</sup> Tusc. quæst. I, 2.

mus. Et illi, qui primi dispersos homines congregasse et ex agresti ac ferina ad mitiorrem et cultiorem vitam traduxisse perhibentur, non alii quam poetæ fuerunt, quos propterea Plato deorum filios et sapientiæ patres ac duces vocat. Qui cum et præclaras sententias funderent et certis numeris ac pedibus verba vincirent, ita ut neque ulterius, quam par erat, excurrerent neque citerius subsisterent, sed paria paribus reddentes æquilibritatem in dicendo quandam efficerent et oraculorum similia atque ænigmatum speciem præbentia multa loquerentur; admirata eos illa rudis antiquitas et divinum aliquid in eis latere rata est et, suavitate cantuum irretita, ducendam se illis gubernandamque permisit. Mulcet autem animos et incredibili suavitate perfundit poesis, ut uno verbo dicam, propter admirabilitatem. *Delectat enim*, ait Cicero,<sup>58)</sup> *quidquid est admirabile*. Poetæ autem et mira quædam narrant et ea miro modo eloquuntur. Jam omnes homines natura cupidi sunt scientiæ, et admiratio stimulus quidam est ad sapientiam ac scientiam, impellit enim ad quæren-

---

<sup>58)</sup> orat. partit. c. 6.

dam caussam, in cuius cognitione ac perceptione posita scientia est. Itaque Aristoteles, cuius hæc ex fontibus libamus, et admiratione ductos esse homines ait ad philosophandum et, ut quisque sapientiæ amantissimus sit, ita esse amantissimum fabularum. Delectant poetæ numero quoque ipso et sono, qui naturæ nostræ ita consentaneus est, ut veterum quidam animum ipsum numerum esse atque harmoniam putaverint. Delectant etiam, quia in rebus nihil ad nos attinentibus pertentant animos nostros omni genere affectuum, ita ut, vel legentes poemata vel audientes, interdum angamur ac premamur metu, interdum ad spem erigamur, nonnunquam exhilarerum, nonnunquam etiam iis, quæ facta esse scimus, illacrymemur. Vir sanctissimus et eruditissimus Aurelius Augustinus<sup>59)</sup> sæpe ubertim flevisse se, cum Didonis mortem apud Virgilium legeret, confitetur. Sed hoc in eo propter singularem ipsius bonitatem minus fortasse mirum videri potest. Vere enim hoc Græci proverbio dicunt: bonos viros faciles esse ad lacrymandum. Quid! quod feris quo-

<sup>59)</sup> confess. I, 13.

que ac barbaris hominibus et cæde ac sanguine gaudentibus poemata tamen misericordiam, interdum et lacrymas commovent? Alexandrum \*) Pheræorum tyrannum accepimus aspero supra modum et immitti atque efferato ingenio fuisse, ita ut homines alios vivos defoderet, alios, aprorum ursorumque pellibus tectos, canibus venaticibus laniandos objiceret, idque sibi pro ludo atque oblectamento haberet, quasdam etiam civitates amicas ac socias, immissis sine caussa spicatoribus, \*\*) repente universas contrucidaret. Coram hoc agebantur aliquando Euripidis Troades, qua in fabula dolenter admodum deplorantur Trojanorum calamitates. Homo quamvis asper et indomitus, quemque nulla unquam res ad misericordiam flectere potuisset, sensit tamen, se poetices cantibus commoveri. Itaque statim se proripuit e theatro, indignum

---

\*) Ex Plutarcho in Pelopida p. 293. Paullo aliter rem narrat Ælianuſ V. H. XIV, 40. ubi vide Perizonium. R.

\*\*) Rectius *speculatoribus*, ut viri docti ad Sueton. Calig. 44 docuerunt. R.

esse dicens, se, cui tot strages, tot urbium direptiones, tot civium exquisita tormenta nunquam lacrymam unam exprimere potuis-  
sent, Hecubæ et Andromachæ malis illacry-  
mari. Quam vim poetarum Horatius<sup>60)</sup>  
merito cum funambulorum et magorum  
operibus comparavit.

*Ille, inquit, per extentum funem mihi posse  
videtur*

*Ire poeta, meum qui pectus inaniter angit,  
Irritat, mulcet, falsis terroribus implet,  
Ut magus, et modo me Thebis, modo ponit  
Athenis.*

Paullo aliter explicat Aristoteles caussam ejus  
voluptatis, quam ex poesi capimus; sed nihil  
prohibet, aliter a pluribus eadem de re et  
tamen vere ab omnibus disputari. Ait igitur  
Aristoteles, <sup>61)</sup> natura comparatum esse, ut  
omnes homines imitatione gaudeant et ex re-  
bus imitando expressis, cuicuimodi tantum illæ-  
sint, voluptatem percipient; huie rei argu-  
mento esse puerulos, qui, natura duce, imi-  
tari omnia gestiant; et hoc vel maxime differre

<sup>60)</sup> ep. II, 1, 210 sqq.

<sup>61)</sup> poetic. c. 5. rhetor. I, 11, 23.

homines a ceteris animantibus, quod homines natura maxime facti sint ad imitandum. Addit, quae prima homines discunt, imitando disci, neque quenquam esse, quin rebus imitando expressis gaudeat, etiam iis, quas veras nollet aspicere: non igitur mirum esse, cum poesis imitatio sit, tantam ex ea ab omnibus percipi voluptatem. Hæc, ut a veritatis amantissimo philosopho tradita sunt, quin etiam verissima sint, dubitari non potest. Sed mihi tamen interdum non parvam dubitationem attulerunt. Ita enim mecum cogitabam: quod oculo lux est, idem esse animo veritatem, et quemadmodum luce oculum gaudere, abhorre a tenebris; sic animos nostros iis, quæ vera sunt, gaudere, quae falsa sunt, ea aspernari ac refugere. Et Euripides quidem jucundissimum esse ait scire; Aristoteles <sup>62)</sup> autem, discere. Quorum utrovis posito, nihil verae ac liquidae voluptatis e rebus falsis percipi potest. Falsa enim neque sciri neque disci queunt. Et tamen falso gaudere homines, multis argumentis mihi videbar posse pervincere. Nam et poesi gaudent et pictura

---

<sup>62)</sup> rhet. I, 11, 21. poet. L c.

et omni denique imitatione. Omnis autem imitatio videri vult id, quod non est; itaque quodam genere mendacium est. Neque vero tantum libenter ea videmus expressa coloribus, quae vera delectant, ut nemorum pratorumque viriditatem, tellurem multiplici variorum florum tegmine opacatam, eximia pueros mulieresque forma; sed ea etiam, quae vera videre nollemus, mirabiliter nos picta delectant: Hercules liberos interficiens, discerpens Pentheum mater, rota volutus Ixion, jecur vulturi præbens Prometheus ceteraque de poetarum mendaciis pictorum quasi propagata mendacia. Quid eluviones, incendia, ruinas, domorum urbiumque direptiones loquar? quae vera sani omnes refugiunt, picta summa cum voluptate intuentur. Ac admirari quidem solemus, si quos videamus nibilo majorem e fictis, quam e veris, voluptatem percipere, eosque rudes esse atque impolitos judicamus: cujusmodi ille Laco fuit, qui ceteris tabulam quandam magni facientibus, in qua pictus erat præpingui rusticus corpore, ad umbram arboris stratus, magna cum significatione languoris ac desidiæ, negavit eam sibi placere: quod talem hominem ne vivum quidem in ædibus habere vellet. Et Ana-

charsis, \*) qui invitatus ad audiendum quendam, qui mirifice lusciniæ cantum imitabatur, aspernatus est: veras sibi luscinias sæpe auditas esse dicens. At quis nostrum non talia omnia plurius faciat imitata quam vera? Quæ autem vera vacca tantopere unquam celebrata est, quantopere vacca Myronis? Nunquid igitur hominem falso gaudere dicemus? Imo vero naturæ hominum amica pene veritas est, neque aliud quidquam mendacio gratiam conciliat, quam imitatio veritatis. Itaque cum ea dicuntur, quæ nullam prorsus habeant veritatis similitudinem, aut suapte vi, aut habita ratione eorum, apud quos dicuntur, nulla ex talibus mendaciis existere voluptas potest. At poetarum figmenta et ingeniose excogitata sunt et accedunt plerumque ad aliquam similitudinem veri et ita exponuntur, ut in ipsa eorum expositione mirificum quoddam ingenii acumen perpetuo eluceat. Itaque, quoniam verum ingeniose imitantur,

---

\*) Anacharsi an veteres hoc dictum trüberint, non vacat querere. Agesilao tribuit Plutarchus apophthegm. p. 191.  
B. R.

oblectant. Sequitur, ut ostendam, quæ comoda humano generi adferant poetæ, et quas ad res utilis sit poematum lectio. Dico autem, quæ duo ut doceret Achillem Phœnix,<sup>63)</sup> comitem se ei a patre datum esse profitetur, ad ea utraque poetas utilissimos esse. Nam et bene loqui docent et ad honestas actiones animos legentium aut audientium impellunt. Quod his versibus exponit Horatius: <sup>64)</sup>

*Os tenerum pueri balbumque poeta figurat,  
Mox etiam pectus praeceptis format honestis,  
Asperitatis et invidiae corrector et irae.*

Ac de eloquentia quidem, quin ad eam plurimum conferant, ne dubitari quidem potest. Omnis enim granditas orationis, omnis peregrina et ab vulgari abhorrens conformatio verborum, omnes figuræ insigniores non ab alio scriptorum genere, quam a poetis petuntur. Numerose autem dicere, quo nullum majus elocutionis ornamentum est, nemo non poterit, nisi qui aures habeat in numeris poeticis diu multumque tritas et exercitatas.

<sup>63)</sup> Homer. Il. IX, 443,

<sup>64)</sup> ep. II, 1, 126.

Illa major et dubitationis plenior quæstio est, prosintne moribus poetæ, an eos inficiant ac depravent? Plato <sup>65)</sup> enim cum innumerabilibus locis summam laudem tribuisse poetis ac præcipue Homero, in libris de republica, multa ab eo peccata esse demonstrat et, civibus suis ab eo metuens, excludit eum ab illa, quam instituit, civitate. Quem imitatus Cicero in Tusculanis, <sup>66)</sup> *Videsne, inquit, poetae quid mali adferant?* *Lamentantes inducunt fortissimos viros; molliunt animos nostros, ita sunt deinde dulces, ut non legantur modo, sed etiam ediscantur.* Sic ad malam domesticam disciplinam vitamque umbratilem et delicatam cum accesserunt etiam poetae, nervos omnes virtutis elidunt. Recte igitur a Platone educuntur ex ea civitate, quam finxit ille, cum mores optimos et optimum reipublicae statum exquireret. Nos vero, si ut Sirenum, ita poetarum cantus exitiosi sunt, obturemus adolescentium aures neque ad eos ullum poeticae suavitatis gustum permanare

<sup>65)</sup> rep. VIII. p. 233. legg. VII. p. 378 sqq.

Bip.

<sup>66)</sup> II, 11.

patiamur. Sed si, adhibito iudicio, eorum lectio fructuosa est, caveamus, ne faciamus idem, quod Lycurgus rex Thraciæ. (II, 11. hab. Romæ III. Non. Nov. MDLXXIX.)

*Cetera desiderantur.*

## 11.

**CUM ANNALES TACITI EXPLICANDOS  
SUSCEPISSET.**

**N**eque pars ulla studiorum humanitatis aut amoenior est aut fructuosior quam historia; neque ullius gentis historia est, quæ cum historia populi Romani aut magnitudine aut pulcritudine aut omnis generis exemplorum copia et varietate contendat; neque ex ingenti scriptorum, qui res Romanas litterarum monumentis prodiderunt, numero quisquam est, quem merito quis C. Cornelio Tacito anteponat. Nam si nihil est hominis animo jucundius, quam discere; et eorum, quæ suapte vi ac natura jucunda sunt, tanto quidque jucundius, quanto laboris ac molestiæ minus exhibit: dubitare de historiæ suavitate nemo potest, cum scripti genus nullum sit, ex quo aut plura aut citius et minore animi contentione discantur. Artium

præcepta, dum traduntur, molesta sunt; mathematica non plures pulcritudinæ invitant, quam difficultate deterrent; illa ipsa princeps et regina artium philosophia nunquam tam multos habuit studiosos sui, ut non plures obtrectatores habuerit: una historia est, quæ omnium studia alliciat, aures teneat, animos mulceat, a qua si quis abhorrere se dicat, parum absit, quin ipse se ne hominem quidem esse fateatur. Parvulos pueros, in quibus naturæ vis maxime elucet verissimeque perspicitur, nulla re magis quam narratiunculis duci videmus, qui etiam saepe, ut aliquem fabellas narrantem audiant, eas ipsas, quibus cum maxime operam dant, lusiunculas deserunt. Isti superbi ac divites, librorum et litterarum omnium osores, qui sibi e stolido ac supino pulcerrimarum rerum contemptu gloriam querunt, ut tamen sic quoque aliquod hominis simulacrum ac vestigium retineant, ab historia non penitus abhorrent. Itaque in illis ipsis quoque atriis, coenationibus, cubiculis, unde aliæ omnes litteræ omnisque honestas exulat, in mensa tamen aliqua aut in abaco interdum videoas expositos una cum friftillo et turricula ac tesseris ceteroque instrumento aleatorio etiam libros aut historiam

aut aliquid historiæ utcunque simile continentis. Ut enim mustum bibunt, qui vini veteris acrimoniam atque austritatem non ferunt; sic pueri et viri, puerorum similes, quia serio scriptæ historiae gravitatem severitatemque non capiunt, inanibus se fabulis propter quandam illarum cum historia similitudinem oblectant. Sed supervacaneum est de voluptate, quæ ex historia percipitur, pluribus dicere, cum id de suo quisque sensu judicare facile possit. Utilitas autem quanta ex historiæ tractatione capiatur, quis non videt? Mitto jam, quod ille apud Platonem <sup>67)</sup> Ægyptius sacerdos Soloni dixisse fertur, semper pueros esse, qui vetustatis cognitione careant: illius quidem omnium humanarum rerum moderatricis prudentiæ unde major vis, quam ex historia, colligi potest? Non enim avium cantu aut volatu, non inspiciendis pecudum fibris, non interpretandis hariolorum cantibus futura prænoscuntur; quis cujusque consilii aut incepti exitus esse soleat, qui diligenter notaverit atque observaverit, is demum, quid ex quo

<sup>67)</sup> Tim. p. 290 Bip.

eventurum sit, optime ac certissime providebit. Quanquam enim non certa quadam et immutabili serie res humanae volvuntur, magnaque earum varietas et inconstantia est, ut hoc ipsum, quemadmodum dicebat Agatho, verisimile sit, multa præter id, quod verisimile est, evenire; plerumque tamen e similibus similia existunt, neque ulla certior regula est judicandi, quo quæque res evasura sit, quam inspicere, quem exitum similia in longinquitate temporis sæpius ac frequentius habuerint. Quod si aut temporis hominibus ad vivendum concessi brevitas aut ipsa vitæ ratio pateretur, ut idem homo multa secula, integra mente integrisque sensibus, vixisset; multas provincias obiisset; ad intimas principum virorum de gravissimis rebus consultationes frequenter adhibitus esset; omnium sententias audiisset; rationum, quibus quisque niteretur, pondera ac momenta diligenter expendisset; observasset postea et notasset diligenter, quid ex quo consecutum esset: quis non incredibilem quandam in eo vigere vim consilii crederet? quis non ejus sententiam de rebus gerendis in oraculi propemodum loco ac numero habendam fateretur? Atqui quod natura nobis denegat, præstat historia, ut, qui

eam diu ac diligenter per volutarunt, omnibus  
æstatibus vixisse, omnes regiones perlustrasse,  
omnibus publicis consiliis interfuisse, omnia,  
quæ unquam contigerunt, præsentes spectasse  
atque annotasse videantur. Nam quod alicubi  
Aristoteles <sup>68)</sup> ait, majorem quandam esse  
poetics quam historiæ cum philosophia co-  
junctionem, quod historia tantum, quid fa-  
ctum sit, exponat, poetica, quid fieri debuerit:  
id quale aut quomodo accipiendum sit, alias  
fortasse videbimus. Illud certe et extra  
omnem controversiam est et ab eodem philo-  
sopho alibi traditur, in gravibus et seriis  
deliberationibus cum maximus exemplorum  
usus sit, e poetis quidem petita exempla in  
vulgaris interdum aliquid valere; at apud  
graves et cordatos viros multo majorem vim  
ea, quæ ex historiis ducta sunt, obtinere.  
Nam quod Horatius <sup>69)</sup> Homerum commen-  
dans dicere ausus est, quid honestum, quid  
turpe, quid utile, quid inutile sit, melius eum  
ac plenius, quam philosophos docere; id ego  
de historia longe verius ac justius dicere

<sup>68)</sup> poetic. c. 10.

<sup>69)</sup> ep. I, 2, 3 sqq.

ausim. Etenim philosophi primas rerum caussas inquirunt, in præceptis communibus latissimeque patentibus occupantur: singula non fere considerant. Omnis autem actio omnisque deliberatio singulis in rebus versatur, neque quisquam unquam, num bellum gerendum foret, sed num huic populo adversus illum hoc tempore gerendum foret, deliberauit. Ut igitur medicus, qui multis ægrotis adsederit, multos curaverit, multis arteriam exploraverit, venam secuerit, medicamenta miscuerit, quid ex quoque accidere soleat, notaverit, saepe ad medendum utilior est eo, qui majorem quidem rerum medicarum scientiam ex Hippocratis libris hauserit, sed illa cognitione contentus nunquam hominis ægroti lotium aspexerit; sic ad consultandum melior, qui multa ejusdem generis singularia in historiis adhibito judicio notaverit, quam qui ex philosophorum scriptis communia quaedam vivendi præcepta cognoverit. Optandum quidem est, ut utrumque adsit; sed, si alterutro carendum sit, malim experientem et exercitatum hominem sine ulla universa cognitione totius generis, quam erudite et sublimiter de universo genere disputandi peritum, usus et exercitationis expertem.

Hunc in schola libertius audias, illum utilius  
in consilium adhibeas. Sed de utilitate hi-  
storiae et dicta sunt a me alias multa et di-  
centur, et, cum, quaecunque potuero, dixerim,  
semper tamen multa supererunt. Quanto  
autem populus Romanus ceteris gentibus  
imperii magnitudine praestitit, tanto historia  
populi Romani ceterarum gentium historiis  
antecellit. Nullius populi obscuriora et tenuio-  
ra principia; nullius admirabiliores pro-  
gressus; nullius tanta majestas, tanta in pro-  
speris rebus moderatio, in adversis animi  
magnitudo; nusquam et virtutum et vitiorum  
omnis generis aut plura exempla aut illustrio-  
ra. Quod si nulla gens est usque eo imma-  
nis ac barbara, quae non in rebus gestis  
Romanorum cognoscendis [plurimum] operae  
ac studii collocet; quid nos facere oportet,  
qui Romae vivimus, qui e Romano caelo  
spiritum ducimus, qui post tot acceptas clades,  
tot calamitates, tot strages, a bacchantibus  
barbaris, ut a petulantibus servis viduae et  
effetae jam dominae insultantibus, editas,  
tam multa tamen illius antiquæ virtutis ac  
majestatis monumenta quotidie intuemur?  
An cum tam multos ingeniosos et eruditos  
homines in remotissimis gentibus natos, tam

longinqua itinera suscipere, tantos sumptus facere, tam multis se laboribus ac periculis exponere videamus, ut Romam videant; quod ita judicant se melius ac perfectius historiam Romanam intellecturos, si ipsum urbis situm, ipsa moenia, ipsas veterum arcuum, tropaeorum, templorum quamvis laceras et disiectas reliquias, illos tot olim nobilitatos victoriis colles viderint: nos, quibus otiosis haec omnia in oculos assidue incurront, rerum Romanarum cognitionem negligemus? Quarum per se tanta pulcritudo est, ut etiam, si scripta essent horrido aliquo et inculo orationis genere, suapte tamen vi hominum studia excitarent; nactae autem sunt ejusmodi scriptores, qui, quamcunque sibi scribendi materiam sumpsissent, dignissimi tamen studio propter ipsum scribendi genus fuissent. Non enim potest quisquam dicere, in scriptores rerum Romanarum intuens, cur hæc tanta ingenia se dignius aliquod scribendi argumentum non elegerunt? neque rursus illud, cur res tam claræ tamque illustres non in aliquos magnitudine sua dignos scriptores inciderunt? Ita rerum magnitudo præstantia ingenia evocavit, scriptorum præstantia rerum magnitudinem adæquavit, Quid enim, ut

ceteros in præsens omittam, ipsos modo principes nominem, aut Sallustio gravius ac nervosius aut Livio grandius et uberius aut Tacito pressius, prudentius, limatus, omni ex parte perfectius fieri potest? Cujus annales quoniam hoc anno, quod Deus faustum ac felix esse velit, vobiscum una communis studio evolvere viamque vobis ad eos facilius intelligendos, ut potero, præire decrevi, pauca milii quædam de eo dicenda sunt, non ut eum laudem, nam cum ipse se satis tacitus<sup>2)</sup> laudet, ego quoque præstantiam ipsius tacitus admirari malo, quam et infantiam meam prodere et laudes ipsius ingenii culpa deterere; sed, ut iis respondeam, qui et Tacitum tanti a me fieri, et me tam diu, tanto studio, ut mihi ejus publice interpretandi potestas fieret, postulasse mirantur. Hodiernam autem orationem meam illi ipsi, qui Tacito obtrectant, breviores reddiderunt. Nam si Tacitus mihi laudandus fuisset, necesse habuissem undique conquirere ac colligere, quaecunque veteres

<sup>2)</sup>) Puerilis lusus in nomine *Tacitus* ita placuit Mureto, ut eum sub orationis finem repeteret. R.

a perfecto historiæ scriptore exigenda esse dixissent, ac prolatis exemplis ostendere, ea omnia Tacitum cumulatissime præstisset: quod et si verissime fieri poterat, propter ipsam tamen multitudinem et varietatem arduum ac difficile fuisse. Nunc Taciti quidem virtutes melius ac commodius in progressu operis singulas notabimus; hodie, nisi temporis excludamus angustiis, pauca tantum quaedam refutabimus ac refellemus, quae in eum temere ab imperitis conjici solent. In primis autem illud positum sit, quae summa scribentium laus est, eam Tacito ab omnibus uno ore tribui: nullum unquam scriptorem prudentiorem ac consideratiorem fuisse; siccam ac sobriam esse illius orationem, adstrictam verbis, densam sententiis; nihil in ea notari posse diffluens, nihil inane, nihil redundans; singulis saepe verbis singulas sentencias contineri. Magna laus, et quae in quo sit, facile ei alias deesse patiaris. Nam ut in iis, quae possidentur, ea plurimi fiunt, quorum exigua moles est, pretium ingens, ut aurum, ut gemmae; ut in cibis ita maxime laudantur, qui minimum detrimentorum habent, plurimum succi: ita maximi facienda oratio, quae paucissimis verbis plurimum

sententiae amplectitur. Indicat enim, se impectore, non in ore nasci. Haec praecipua orationis virtus, quae ex omnibus scriptoribus Latinis in Tacito praecipue cernitur, effecit, ut omnium aetatum sapientissimi qui que, qui non inani verborum sono, sed bonitate et gravitate sententiarum ducerentur, praecipuo in honore Tacitum semper habuerint ejusque assiduam et accuratam lectionem principibus viris omnium utilissimam judicarint. Neque vero, ut id ita esse doceam, illo praecipuo argumento nitar, quod M. Tacitus, non imperator tantum, sed prope singularis exempli imperator, hujus nostri imaginem in omnibus bibliothecis collocari, libros ne perirent; quotannis decies describi et in archiis civicis asservari voluit: cum se etiam ab eo genus ducere gloriaretur. Vetera illa jam et obsoleta, et exemplorum, quae tantopere a temporibus nostris remota sunt, minus magna vis est ad permovendum. Paulus III. P. M. quo nullum sapientiorem senem nostra vidit aetas, Tacitum saepe relegendo contriverat neque ullum profanum scriptorem aequiter libenter legebat. Cosmus Medices, qui primus Magnus Etruriae Dux fuit, homo factus ad imperandum, qui eam,

quae vulgo fortuna dicitur, in consilio et prudentia consistere docuit, Taciti libros in deliciis habebat eorumque lectione avidissime fruebatur. Neque non hodie multi aut principum aut eorum, qui de summis rebus a principibus in consilium adhibentur, eundem studiosissime legunt et quasi pro magistro quodam prudentiae habent. Nunquid igitur movebimur stultis quorundam vocibus, qui, nisi quod ipsi didicerunt, nihil discendum putant et, quoniam a magistris suis nihil olim praeter bucolica Virgilii et paucas Ciceronis epistolas et orationem si forte aliquam audierunt, ab iis me discedere et vobis graviora proponere iniquo animo ferunt? An quisquam vestrum est, qui eo consilio studia se, quatur, ut in pulvere scholastico consernescat? Cur igitur ea potius consectemur, quae tantum in scholasticis concertatiunculis inter adolescentulos aut senes adolescentulis stultiores oblectamento, quam quae olim gravissimis in negotiis emolumento futura sint? Vos vero istos nugatores contemnite, praesertim cum illa leviora aut jam didiceritis aut, quia ea usque ad taedium inculcent, in omnibus vicis ac triviis obvios quamlibet multos; qui Tacitum interpretari aut possint aut velint, non

multos sitis habituri. Nunc, quæ in eo  
culpari a nonnullis soleant, exponerem  
eaque omnia, uti pollicitus eram, refutarem  
ac resellerem; sed video, me longius pro-  
gressum esse dicendo, quam a principio  
existimaram. Fesellit me Taciti amor, cuius  
laudes cum hodierno die tacitus prætermi-  
ttere statuisse, auferri me postea passus sum  
neque mihi potui, ne eas strictim et modice  
attingerem, temperare. Vereor autem, si  
longius orationem producere voluero, ne et  
vobis molestiae sim et iis, qui post me in  
hunc locum consensuri sunt, impedimento.  
Quare, quæ supererant, in crastinum, si vobis  
quoque ita videtur, differam neque metuam,  
ne quis me hodie justo breviorem suisce dicat.  
Nam et in his primis velitationibus nostris  
justique cursus ac certaminis quasi prolu-  
sionibus brevitas culpari non solet, et verum  
est, quod ait Varro, portam itineri esse lon-  
gissimam. Equos ipsos, ubi diu quieverunt,  
qui longum iter ingressuri sunt, fatigare  
primo itineris die non solent. Si tot præ-  
stantibus viris, qui huc hodie convenerunt,  
ut dicendo placerem, consequi fortasse non  
potui; at certe, breviter dicendo, minus ut  
molestus sim, consequar. Sed utinam, audi-

tores, utinam et brevis hodie visus sim et; quicunque me unquam audient, brevem semper fuisse me doleant. Quanto suavius est, abeantes dicere, cur hic tam cito desiit? quam abire cupientes, quando tandem hic desinet? Nimio satius est, quod cum fame relinquit, quam quod satietate distendit. (II, 13. hab. Romæ III. Non. Nov. MDLXXX.)

## 12.

## SEQUITUR IN EODEM ARGUMENTO.

**Q**ui me a Taciti interpretatione deterrere cupiebant, quinque præcipue, quæ illi objicerent, reperiebant. Primum quod illorum temporum historiam contexisset, quibus **vetus** illa S. P. Q. R. majestas et amplitudo conciderat, quibus illi, paullo ante terrarum domini, acerbissimo tetricorum tyrannorum dominatu oppressi tenebantur. Non jam amplius Camillos, Curios, Fabricios, Maximos, Lælios, Scipiones, aliaque virtutum, non hominum nomina in historia repertum iri, sed degenerem et oblitum virtutis avitæ populum, sed senatum ad servilem adulacionem pro-

jectum, sed proposita vitiis, quæ quondam virtutibus deferebantur, præmia, sed unius impuri hominis libidinem, extincta legum auctoritate, dominantem. Quod si vere dictum esset a summis philosophis, principum mores esse speculum civitatis, ceteramque multitudinem ad imperantium exempla componi; quem virtuti locum esse potuisse in ea urbe, in qua non homines, sed monstra ex omni vitiorum fece ac colluvione concreta regnarent? Melius itaque consulturum esse me studiis vestris, quando Romanam historiam tractare animus erat, si eorum vobis temporum historiam proponerem, quibus populus Romanus foris adversus barbaras gentes, domi adversus vitia perpetuum bellum gerebat neque ceteros populos bellica magis virtute quam innocentia et integritate superabat. Abire in mores, quæ discuntur in scholis, et ea fere quemque imitando exprimere, quibus legendis audiendisque puer assueverit. Neque deerant, quod equidem valde miratus sum, qui non dubitarent mihi auctores esse, si res sub imperatoribus gestas persequi vellem, ut Suetonium potius quam Tacitum sumerem, quem ipsi et meliorem Tacito Latinitatis auctorem et nitidiori ac flo-

ridiori genere orationis usum dicerent. Erant etiam, qui, quod maximum in historico vitium est, fidem quoque Taciti accusarent, quod multa mendacia historiis suis admissuisset. Neque tamen, quamquam sæpe a me orati, ut id facerent, mendacium ipsius proferre ullum poterant; duorum tantum veterum scriptorum testimonio id pervincere nitebantur: quorum Vopiscus <sup>70)</sup> aliquando mentitum in historia Tacitum diceret; Tertullianus <sup>71)</sup> eum mendaciorum loquacissimum vocaret. Addebat tertio loco, impium ac nefarium esse scriptorem, qui Christianæ religioni aperte infensus et inimicus fuisset. Asperum praeterea et insuavem ac spinosum, et cum cuius difficultate ad eruendas sententias perpetuo luctandum foret. Postremo male Latine locutum, idque non vulgus modo dicere, sed ipsos etiam præcipuos Taciti amatores confiteri. Cujus igitur libri et corruptissimorum temporum historiam eamque ipsam neque satis fideliter scriptam et melius ab alio traditam continerent et auctoris sui

---

<sup>70)</sup> Aurelian. c. 2.

<sup>71)</sup> apolog. adv. gent. c. 16.

manifestam impietatem proderent et molesto atque odioso propter obscuritatem et parum Latino sermone constarent, caussam esse nullam, cur, tot potioribus omissis, in eo potissimum confidere hujus anni curriculum vellem. Ad quæ omnia respondere constitui, ne præjudicata multorum opinio cuiusquam vestrum aut animum avocet aut retardet industriam. Primum igitur considerandum est, respublicas hodie per quam paucas esse: nullam esse propemodum gentem, quæ non ab unius nutu atque arbitrio pendeat, unpareat, ab uno regatur. Ergo hac saltem in parte proprius accedit ad similitudinem temporum nostrorum status ille rerum, qui sub imperatoribus, quam qui imperante populo fuit. Quo autem quæque historia rerum nostrarum similior est, eo plura sunt in ea, quæ discamus, quæ ad usum conferamus, quæ ad vitam moresque referamus. Quamquam autem Dei beneficio ætas nostra Tiberios, Caligulas, Nerones non habet; prodest tamen scire, quomodo etiam sub illis viri boni ac prudentes vixerint, quomodo et quatenus illorum vitia tulerint ac dissimulaverint, quomodo neque intempestiva libertate utentes vitam suam sine ulla publica utilitate in

periculum objecerint, neque tamen foeda ac probrosa laudantes placere sibi ullam turpitudinem ostenderint. Multa saepe sunt in principibus, quæ vir bonus laudare non potest, tegere et transmittere silentio potest. Ad ea connivere qui nesciunt, et sibi periculum creant et ipsos principes plerumque detersores faciunt. Multi enim, qui vitia sua latere credunt, sponte ea paullatim exuunt, ne detegantur, et, dum se bonos haberi putant, boni fiunt. Idem si turpitudinem suam palam esse videant, jam famae securi, quæ palam dici vident, palam quoque faciunt et, famam dum bonam desperant, malam negligunt. Melius autem feret minora et pauciora principum vitia, qui, quomodo olim viri boni ac fortes plura et graviora pertulerint, cognoverit. Quod si quis sub principibus corruptissimis viros singulari virtute præditos extitisse non putat, magno in errore versatur. Vixit sub Tiberio, ut ceteros taceam, Germanicus, cui ego omni genere laudis ne ex illis quidem veteribus Romanis quemquam antepono. Vixit sub Claudio Seneca, et Senecæ quamquam fortasse par nemo, similes tamen multi. Neronis ætas multos habuit, quorum virtutem vix ipsius vitia æquarent. Omnino-

que ita est, ut dicam. Ut palmam ajunt aduersus onera, sic virtus aduersus vitium contumax surgit, et, ut in *Ætnae* montis cacumine, ubi maxime viret flamma, herbam quoque finitimam maxime virere perhibent, quasi ipsa secum contendente natura et nolente fecunditatem soli vicinorum ignium ardore superari; sic plerumque, ubi maxima vitia dominantur, maximæ virtutes erumpunt, quæ cum illis certamen suscipiant et, si superiores esse non possint, non tamen hostibus suis triumphum sine dimicatione concedant. Non igitur, si plerique imperatores vitiosi fuerunt, idcirco bonis et utilibus exemplis temporum, quibus illi rerum potiti sunt, historia caritura est, sed et ipsa improba exempla nos interdum ad virtutem acuent, cautiores certe et consideratores efficient. Ex illa perpetua simulatione Tiberii, ex illo vultu ac sermone alia omnia, quam quæ cogitabat, præ se ferente, discemus caute cum principibus agere neque semper illorum vultui ac blanditiis fidere. Discemus, quæ principes occulta esse volunt, ea, etiam si sciamus, nescire neque altius, quam ipsi velint, in eorum arcana penetrare. Juvabit in Sejano videre, quam in lubrico sit eorum potentia, qui se malis

artibus apud principes omnia posse revertur,  
quamque saepe, ubi diu in alios contumeliose debacchati sunt, et præcipites  
decidant ipsi et alios in idem exitium trahant.  
Sic ipsa quoque improba exempla proderunt.  
Sed de his satis. Istos autem satis mirari non  
possum, qui, ubi de Tacito agitur, Suetonium  
nominare \*) audent. Nihil equidem detra-  
hendi studio dicam, longe enim id et ab  
ingenio et ab consuetudine abhorret mea;  
neque is scriptor est Tacitus, cui gloria ex  
aliorum vituperatione querenda sit; sed in-  
ter eum et Suetonium nimium quantum in-  
terest. In Suetonio nihil est, ex quo ejus aut  
prudentiam aut eloquentiam aut eruditionem  
ullam eximiam agnoscas. In Tacito quid  
horum emineat, ideo difficile dictu est, quia  
eminent omnia. Suetonium certe nemo  
unquam veterum aut inter eruditos aut inter  
disertos nominavit; at Tacitus habitus est  
ætatis suæ sine controversia eloquentissimus,  
et, quæ virtus Demostheni maximam inter  
Græcos gloriam peperit, quam illi δεινότητα

---

\*) Scio, quid oratori liceat. Sed hoc judi-  
cio nihil iniquius vidi. R.

appellant, eam ut propriam et peculiarem Tacito tribuunt omnes. Eloquentissimum quidem illum vocat Plinius<sup>72)</sup> et illud eximium in eo fuisse ait, ut σεμνῶς diceret. At Suetonium S. Hieronymus<sup>73)</sup> laudat. Magnum testimonium, si laudat. Non enim sanctitate tantum Hieronymus, sed et eruditione et judicio praestitit. Quomodo igitur laudat? Eadem libertate scripsisse eum ait Caesarum vitas, qua ipsi vixerunt. Non magna laus, si laus est, sed ego laudem esse non puto. Quid enim laudis habet, cum Caesares in summa licentia atque impudentia vixerint, orationis turpitudine ipsorum flagitia aequasse, quaeque illi perpetuis tenebris operienda patrabant, ea nudis et praetextatis verbis in lucem et in aspectum hominum protulisse? Itaque nihil apud Suetonium frequentius legas, quam exoletos et spintrias et cellarios\*)

<sup>72)</sup> ep. II, 1. cf. II. 11.

<sup>73)</sup> de vir. illustr. prolog.

\*) *Sellariam* vel, ut Oudendorpio placet,  
*sellaria* commemorat Suetonius Tib. 45,  
*non cellarios.* R.

et nubentem Neroni Sporum, Doryphoro Neronem, voces etiam, quas in illis flagitiis miserint, quasi haec scire posterorum interesset, quorum commemoratione non scriptorem modo, sed ipsas chartas erubescere oportebat, cum haec interim ita subtiliter ac particulatim persequitur, ut docere voluisse videatur. In Tacito nihil simile reperias. Talia aut praeterit aut ita significat, ut odisse et abhorrere videoas, non, ut illum alterum, cupide in eis immorari. Inter Vopiscos igitur et Spartanos et Lampridios et ejusmodi vitarum scriptores Suetonius emineat, illa se jactet in aula, hoc ceteris melior, quod aetatis beneficio, melius, quam illi, Latine loquitur: ad Taciti quidem gloriam aspirare aut se cum eo conferre si voluerit, omnium eruditorum convicio vapulabit. Evidem quod ad me attinet, Suetonii lectionem non minus quam Catulli aut Martialis adolescentibus perniciosa, etiam confirmatae aetatis viris periculosa puto. At mendax est in historia Tacitus. Mitto quod, si hoc maxime constaret, eum historicorum more aliquid interdum esse mentitum, non tamen id valde nobis curandum esse arbitrarer. Non enim, quae ab eo narrantur, ejusmodi sunt, ut piaculum sit,

quidquam in eis, quod verum non sit, pro  
vero credidisse. Sed tamen quis eum men-  
daciū accusat? Vopiscus. Quid iste Vopiscus,  
quid hominis est? Quidam Suetonii simius,  
longe tamen ab eo distans, qui, cum se ali-  
quem videri vellet, affirmavit, neminem scri-  
ptorum, quantum ad historiam pertineret,  
non aliquid esse mentitum, gloriatusque est,  
multa se prodidisse, in quibus Livius, Sallu-  
stius, Cornelius Tacitus, Trogus manifestis  
testibus convincerentur. Magna hujus, quis-  
quis est, Vopisci felicitas: nemo unquam tam  
curiose in ipsius mendacia inquiret. Sed ta-  
men quis hoc praestare ausit, iis, quae hoc  
hominis somnium in tam luculentis scriptori-  
bus reprehenderet, veriora esse ea, quae ipse  
cum suis testibus protulisset? Quis autem  
unquam historiae scriptor hanc notam effu-  
gere potuit? Non tantum apud Theopompum  
et apud Herodotum, historiae patrem, dicuntur  
esse innumerabiles fabulae; sed et ipse Thu-  
cydides, qui ea scripsit, quibus interfuerat,  
mendaciū a nonnullis accusatur. *Thucydides*  
*quoque*, ait Josephus libro primo <sup>74)</sup> adversus

<sup>74)</sup> in. p. 1035. B. ed. Genev.

*Apionem, ut multa mentitus, a nonnullis accusari solet, qui tamen accuratissimam rerum temporibus suis gestarum scripsisse historiam videtur. Aut igitur ne hoc Tacito noceat aut Thucydidi quoque et Livio et omnibus denique historiarum scriptoribus noceat. At Tertullianus, non ut Vopiscus, aliqua Tacitum mentitum esse dicit, sed eum mendaciorum loquacissimum vocat. Hoc loco peto a vobis, ut me quam potestis attentissime audiatis. Eadem enim opera et ad id, quod ex Tertulliano adfertur, respondebo et id, quod Tacito gravissimum objicitur, diluam: eum religioni nostræ inimicum atque infensum fuisse. Ea in vetustissimis illis veræ ac salutaris religionis nostræ proseminatoribus ac propagatoribus pietas fuit, (quæ utinam etiam hodie in omnibus nobis esset!) nihil ut ferrent, nihil auribus acciperent, quod Christianum non esset, quæ cum Christiana pietate pugnarent, ea omnia respuerent, rejicerent, aversarentur, exsecrarentur. Tertullianus igitur, qui quaedam apud Tacitum legisset adversus Christum ipsum, Deum ac Dominum nostrum, et adversus Christianos impie dicta, quasdam etiam fabulas, quæ tum de sanctissimo viro Moyse deque religione Judæorum vulgo inter im-*

peritos et veritatis ignaros circumferebantur, ad ea respiciens, Tacitum mendaciorum loquacissimum vocavit, eademque res magnam Tacito apud multos conflavit infamiam. Sed nos si hoc tempore nihil legendum putamus, nisi quod cum Christiana religione consentiat, omittamus sane omnes illos veteres Graecos Latinosque scriptores. Exulet a Christianorum scholis Homerus, exulet Hesiodus et, uno verbo, omnes antiqui poetae. Nemo est enim ex illis, qui non deorum infinitam quandam multitudinem inducat. Nemo Platonem attingat, ejus enim studio depravatus est Origenes, et fortassis ex eodem fonte fluxere Manichæi. Nemo Aristotelem legat, qui quæ de mundi æternitate, quæ de hominis animo disputat, eis nihil potest Christianæ religioni magis esse contrarium. Repudientur Ciceronis cum pleraque alia, tum libri præcipue de fato, de divinatione, de natura deorum, manifesta enim impietatis et *ἀθεότητος* semina continent. At illi vixerunt, antequam Christus nasceretur, ideoque eis facilius ignosci potest. Primum, si opus sit, docere possim, hanc excusationem non valde ad id, quod agitur, pertinere. Non enim si antiquiores fuerunt, idcirco minus pravas opiniones inse-

rere in animis legentium possunt. Sed demus, hoc aliquid esse. Tollatur igitur Suetonius, in Nerone enim de Christianis contumeliose et impie scripsit. Non legantur epistolae Plinii, ostendunt enim, eum non tantum abhorruisse a religione nostra, sed etiam judicia exercuisse aduersus Christianos et eorum non-nulos adhibitis tormentis ad ejurandam Christi militiam compulisse. Deleatur gravissimus et utilissimus scriptor Plutarchus, easdem enim, quas Tacitus, de Moyse et Judæis fabulas habet. Quintilianum rhetoribus admamus, contumeliose ipse quoque de Moyse loquitur. Jurisconsultis Ulpianum: librum integrum scripsit de poenis, quibus Christiani afficiendi forent. Philosophis Porphyrium, Simplicium, Averroem: quis non eorum se Christiani nominis hostem professus est? Medicis Galenum, historiarum studiosis Ammianum Marcellinum, Eunapium, Zosimum: omnes hi alieno a Christianis animo fuerunt idque scriptis suis testatum ac consignatum reliquerunt. Quod si eos non tamen propterea rejicimus; quid in Tacitum iniquiores esse volumus? An quisquam nostrum ita insirmus est, ut periculum sit, ne in fide Christiana titubare incipiat, si Tacitum Christianum non

fuisse cognoverit? Doleamus potius illius vicem et grati adversus Deum simus, qui animos nostros majori luce perfuderit. Restant duo ex iis, quæ Tacito ab imperitis objici solere dixi: quod obscurus et asper in scribendo sit et quod male Latine loquatur. Evidem cum istos de obscuritate Taciti querentes audio, cogito, quam libenter homines culpam suam in alios conferant quantoque facilius omnia alia accusent quam semet ipsos. Simul mihi venit in mentem senis cuiusdam, de quo urbane Seneca<sup>75)</sup> narrat, eum, cum ætatis vitio minus commode oculis uteretur, in quocunque cubiculum ingressus esset, dicere solitum, illud parum luminosum esse; maiores fenestras fieri oportuisse. Habeo et ipse, utinamque diu habeam, amicum, hominem in primis eruditum, ita senem, ut annos prope jam, quemadmodum ait Juvenalis,<sup>76)</sup> dextra computet. Is cum surdaster ætate factus sit, sæpe mecum vero ac serio questus est, pravam consuetudinem inolescere: homines quotidie summissius, quam solebant, loqui.

<sup>75)</sup> fortasse ep. 50.

<sup>76)</sup> satyr. X, 249.

Idem hic quoque evenit. Qui ipsi tenebras in oculis circumferunt, obscuritatem Taciti accusant. At asper est, inquit alias, et Alciatus, amicum sibi hominem Jovium laudans, non est veritus vocare historias Taciti senticeta. Ejusdem plane judicii fuit laudare Jovium et Tacitum vituperare. Nihil tam dissimile, quam inter se hi duo. Non displicere non poterat Tacitus, cui tanto opere Jovius probaretur. Quomodo autem potuit homo tam teneris pedibus tam multa spatia per Taciti vepreta conficere? Nos vero huic molli ac delicato culcitram substernamus et pulvinos rosae ac violae plenos eique a Deo precemur, ut, quidquid calcaverit hic, rosa fiat. Videre mihi videore mereetricem Terentianam<sup>77)</sup> in coena pitissantem et dicentem:

*asperum,*

*Pater, hoc est: aliud lenius sodes vide.*

Ferat huc ocios aliquis calicem mulsi, ut flere pupus hic desinat et contractam ex Taciti asperitate molestiam levet. Offeramus ei aliquid Jovii, qui se oblectet. Is enim mollis

<sup>77)</sup> Heaut. III, 1, 49 sq.

totus est, neque quidquam habet asperitatis illius, quæ istum in Tacito offendit. Non fluit modo, sed et difflit. Sic erant olim, qui Virgilii versus ut horridos rusticanosque culparent magisque probarent illa meliora et lenius cadentia:

*Berecynthus Autis,  
Et raptum vitulo,*

nostis cetera, recitare enim piget, et, ut isti ad asperitatem pavent, sic ego ad ineptias nauseo. Infanti melimela, mihi autem misceatur crater ille πικρίζων. Sed istae fatuae de Tacito conquestiones assecutum esse eum, quod volebat, ostendunt. Imitandum enim sibi Thucydidem proposuerat ejusque se in scribendo simillimum esse cupiebat. In Thucydide autem et obscuritas et asperitas notatur a Græcis et utraque inter virtutes illius, non inter vitia numeratur. Quamquam enim nuda et perspicua oratio delectat, interdum tamen in scribendo certi cuiusdam generis laudatur obscuritas, quæ, orationem a vulgari loquendi consuetudine abducens, ex ipsa peregrinitate dignitatem ei majestatemque conciliat et attentionem legentium continet. Hoc quasi velum est, quod profanis obtendi-

tur. Sic templa sublustria ingredientes sacro quodam horrore perfundunt. Asperitas autem illa idem plane est, quod in vino amarities, quae in quo est, id optime ferre vetustatem putatur. Eam Graeci ita esse in Thacydide perpetuam notarunt, ut, cum ille in piaculi Cylonii narratione aliquid ex ea de industria remisisset, leonem risisse \*) dicant. Sed quitur postrema reprehensio eorum, qui, cum Tacito cetera concedant, male eum Latine locutum dolent, cujus calumniae Andreas Alciatus et Æmilius Ferretus, quorum tamen uterque multum operae ad illustrandum Tacitum contulerat, primi auctores fuerunt. Quod si ipsi tam bene Latine scripsissent, quam sibi videbantur, nonnihil fortasse nos illorum commoveret auctoritas. Nunc cum uterque eorum nonnulla quidem ita scripserit,

\*) Scholiastes Thucydidis ad I, 126: τοῦ διηγήματος τοῦ κατὰ τὸν Κύλωνα τὴν σαφήνειαν τινὲς θαυμάσαντες, εἶπον ὅτι Λέων ἐγέλασεν ἐνταῦθα. Ex quo loco Λέων, tanquam vetus scriptor, in indicem auctorum, qui a schol. laudantur, ridicule relatus est. R.

ut eadem Venus, eadem Suadela, quae in Bartoli labris sessitaverat, horum quoque labris insedisse videatur; in quibus autem cultiores ac comptiores esse voluerunt, ostenderint tamen, ne quid gravius dicam, se aliarum rerum, quam deliciarum Latini sermonis, intelligentiores fuisse: quid est, cur quisquam eorum de re, in qua non multum studii posuerant, judicium magni faciat? Boni juris-consulti fuerint, nihil enim impedio: Latinitatis certe non admodum idonei existimatores fuerunt. Οὐδὲ ἄρα πως ην: Εγ γάρ τεσσαρες ἔργοισι δακτυλοφάται γενέσθαι. Audacter, dicet aliquis, de talibus viris judicas. Audaciū ipsi de Tacito judicarunt. Qui autem nos sumus, si omnes in unum conferamur, qui cunque hac tempestate Latine loqui videmur, ut de scriptore sapientissimo, nato iis temporibus, quibus adhuc Romana lingua florebat, (plane enim floruit usque ad Hadrianum) habitu disertissimo etatis suae, sequius judicare audeamus? At aliter loquitur quam aut Cicero aut Cæsar. Credo, aliud enim dicendi genus adamarat. Ne Ciceronis quidem temporibus omnes, qui diserti habebantur, Ciceroniani erant. Multa in Cicerone Brutus, multa Calvus, multa Pollio, quædam etiam

**A**tticus, non probabant. At multis vocibus, multis loquendi generibus utitur, quibus vetustiores usi non erant. Primum quae hac in re culpa est? Non Cicero et multa novavit ipse et aliis, ut alia novarent, auctor fuit? Cujus est illud præclare dictum: *Quod Catoni licuit, id cur non liceat Varroni?* Licet huc addas: quod et illis et aliis licuit, cur non licuerit Tacito?

*Ego (ait Horatius<sup>78</sup>) cur acquirere pauca,  
Si possum, invideo? cum lingua Catonis et Enni  
Sermonem patrium ditaverit et nova rerum  
Nomina protulerit.*

Nobis hodie minor ejus rei licentia est, qui Latinam linguam non aliunde quam e libris petere possumus. Illi solutores ac liberiores, quorum etiam nutrices Latine loquebantur. Deinde quis hodie pro certo affirmare audeat, cum tanta veterum scriptorum facta jactura sit, ea, quæ quibusdam apud Tacitum nova videntur, non apud veteres quoque in usu fuisse? Si quis hodie in Germania aut in Polonia natus, qui Italiam nunquam vidisset,

<sup>78</sup>) A. P. 55 sqq.

nuhquam heminem Italum loquentem audiisset, paucos tantum quosdam libros Etruseo sermone scriptos legisset eosque usque cunque intellexisset et omnium vocularum, quae in eis legerentur, iadicem confecisset, deinde incideret in aliquem Florentiae natum et educatum, qui inter cives suos disertissimus haberetur, et eum notare vellet, tanquam male loquentem, quod quædam diceret, quae ipse in illis paucis libris et in illo suo p̄eclaro indice non haberet, quis nostrum in tali spectaculo risum tenere posset? Atqui nihil minor nostra stultitia est, qui in tanta v̄eterum scriptorum disperditione, tam longo temporum intervallo, tanta Latini sermonis oblivione et ignoratione, optimae notae scriptores damnare non veremur, quorum coqui et muliones multo melius, quam omnes nos, Latine et intelligebant et loquebantur. Sed hunc sermonem nimis in longum duci video. Ego vobis hoc omni adseveratione confirmo, multa in Tacito nova istis videri, quae ex ultima antiquitate repetita sunt, quæque apud Catonem, Varronem, Sallustium, quædam etiam apud Ciceronem ipsum leguntur, quædam fortassis novata, sed ita ut elegantius non potuerint, quædam parce ex Græco fonte detorta, quibus

Oratio ipsius, tanquam modice asperso sale,  
suavissime conditatur. Et hoc quoque habet  
simile Thucydidis, in quo Græci critici quas-  
dam voces antiquas, quasdam ab ipso cūas et  
novatas notant. Executus sum omnia, quæ  
proposueram. Quod si docui, et Tacitum in  
pulcerrimo argomento esse versatum, et fru-  
stra fidem illius in dubium vocari, neque  
debere nos absterrerī ab eo legendo, quod  
iniquus Christianis fuerit; et puerile esse, quod  
quidam de obscuritate ipsius et asperitate con-  
queruntur, et desipere, qui eum male Latine  
locutum putant: quæso obtestorque vos, ne  
oblatam vobis hoc tempore evolvendi præ-  
stantissimi scriptoris occasionem, frustra eam  
fortassis olim desideraturi, amittatis. (II, 14.  
hab. Romæ pridie Non. Nov. MDLXXX.)

## 13.

CUM PERVENISSET AD ANNALIUM LI-  
BRUM TERTIUM.

Quotannis mihi evenire consuevit, auditores, ut, cum post illam solemnem quatuor  
mensium vacationem, quæ nobis ob æstivos  
calores tribui solet, redeundum est ad munia,  
torpeat animus, titubet lingua: ut neque,

quid dicam, facile reperire possim; et, cum quid reperi, verba, quibus id explicem, abdere quodammodo se ac refugere, non, ut prius, ultro se offerre et suapte sponte fluere ac decurrere videantur. Id si mihi evenit, qui et quadraginta propemodum annos in hoc publico dicendi ac docendi munere versatus sum et id ipsum tempus, quod ad otiamdum conceditur, ita consumo, vere ut dicere liceat, nunquam me minus otiosum esse, quam cum maxime esse licet otioso;<sup>79)</sup> quid putatis evenire iis, qui, ut alia omnia majora habeant, usum quidem certe tantum in dicendo non habent? Neque me fugit, hac in re culpam videri aliquam posse etiam ingravescentis ætatis, quae, decrescente in dies naturali calore, spiritus quoque ipsos torpore quodam alligat, nec corpus modo, sed et ingenium segnus reddit; sed tamen, dum superioris vitae cursum relego, recordor, quod nunc seni contingit, idem fere, jucundum cum ætas florida ver ageret, contigisse. Satius igitur et magis ingenui animi fuerit culpam nusquam alio derivare, sed,

<sup>79)</sup> v. Cicero de off. III, 1.

ut Græci dicunt, *ατριασθαι τὸ αἴτον* et fateri,  
illud quidquid est incommodi ac difficultatis  
non aliunde quam a nimis diurna cessatione  
proficisci. Quid enim? nonne idem etiam  
adolescentibus evenit? Qui si aut pilæ lusu  
aut armorum tractatione aut equitatione aut  
aliis, quibus ætas illa ducitur, unum aut alter-  
rum mensem abstinuerint, ea cum repetunt;  
primis illis diebus neque corpus eadem, qua  
prius, agilitate flectere ac movere possunt et,  
quibus magistros antea provocabant, ad ea  
rudes accedere eaque tum primum discere ac  
meditari videntur. Qui sermo ob eam caus-  
sam a me hoc tempore susceptus atque insti-  
tutus est, adolescentes, vos ut commonefaciam,  
quantum adsiduitas prosit, quantum intermissio  
noceat. Illa vires aluntur ac gliscunt, hac car-  
puntur ac deteruntur. Illa te quotidie paullatim  
proficere ac progredi sentias; hac non paulla-  
tim, sed magno impetu retro referri et in pejus  
ruere animadvertas. Non enim eadem celeri-  
tate discimus, qua obliviscimur. Ut qui ex  
alto aliquo puteo aquam haurit, ubi magno  
molimine situlam prope ad os putei evexit, si  
paullum modo funem laxaverit, it situla et  
deorsum concitatissimo lapsu provolvitur; sic,  
qui multis vigiliis multisque sudoribus ali-

quam sibi facultatem in hoc studiorum genere  
comparavit, si tantillum de solita contentione  
remiserit, pessima it, quidquid partum erat,  
*longique perit labor irritus anni.*<sup>80)</sup> Neque  
enim subsistere saltem licet, quod, ut in ma-  
lis, tolerabilius foret: simul atque progredi  
desieris, regrediaris necesse est. Pecunia si  
otiosa jaceat, ut non crescat, certe non immi-  
nuitur, neque quidquam aliud domino perit,  
quam quod lucri fieret ea occupata. At in  
artium nostrarum studiis si quam temporis  
partem languori ac desidiae dederis, non id  
modo perdis, quod interea discere potuisses;  
sed bona magna pars eorum, quae jam  
didiceras, evolat. Agricolae, ne continua sa-  
tione emacient solum, tonsas, ut poeta<sup>81)</sup> lo-  
quitur, novales alternis cessare patiuntur,  
agrique, qui hoc modo interquierunt, uber-  
iores ex se fruges efferre soliti sunt. Alia  
ingeniorum ratio, nihil ea magis laetificat,  
quam avidus et inexpletus exactor. Cessatione  
sterilescant. Ergo ut in levioris operae studio  
proditum est, egregium artificem nunquam

<sup>80)</sup> Ovid. *metam.* I, 273.

<sup>81)</sup> *Virgilius georg.* I, 71.

solitum prætermittere ullum diem, quin lineam duceret; sic eloquentiae laudem ambienti præcipit M. Fabius,<sup>82)</sup> quotidie dicendum esse aliquid, et quidem audientibus doctis. Sed relanguit jam pridem hominum industria, restinctus est vetus ille ad honestas artes ardor animorum, nobiles illae exercitationes, quibus apud antiquos, laudabili æmulatione, juvenes inter se de consequendo eruditionis ac sapientiae principatu contendebant, ita ex usu et consuetudine sublatae sunt, ut earum vix umbram ac vestigium retineamus. Ut igitur Virgilius<sup>83)</sup> ait, minora in dies produci hominum corpora, quam antiquis temporibus fuerint, quod et tanto ante Homerus<sup>84)</sup> dixerat; ita videmus eruditionem hominum quotidie decrescere, ut illi hodie ordines ducant, qui olim vix in gregariis militibus locum obtinere potuissent. Nam ut illos heroas omittam, Platonem, Xenophontem, Aristotelem, Theophrastum, qui mihi videntur immensitate quadam ingenii omnem rerum naturam complexi, non tantum supra æquales suos extitisse,

<sup>82)</sup> Quintilianus instit. orat. X, 7.

<sup>83)</sup> Aen. XII, 900.

<sup>84)</sup> Ili. V, 304. XII, 449.

sed etiam posteris omnem consequendi sui spem sustulisse, quis post Plutarchum extitit, qui verae ac solidae<sup>\*)</sup> eruditionis copia et varietate ita cum eo comparari queat, ut non longissimo intervallo abfuturus ab eo sit, quem cunque illi proximum esse volueris? Quem ille poetam veterem, quem oratorem, quem historiae scriptorem non ita triverat, ut edidicisse videatur? Quam philosophiae partem non ita tractaverat, ut nemo postea tantum in una eminuerit, quantum ille in omnibus? Nam quod quidam nuper magni in vulgus nominis, sed non magni pretii medicus in quodam insulso ac ridiculo libro suo dicere ausus est, Plutarchum grammaticum modo, non etiam philosophum fuisse, usus est videlicet ea libertate, quae insanis tribui solet, ut, cum quidlibet in quemlibet dixerint, nemo laboret. Ostendit cerebrum suum, si quod modo illi cere-

<sup>\*)</sup> *Solida eruditio, solida doctrina ἀνυποτελή* est nec Latinis usitatum: ut mirer, elegantissimum librum, quo philosophiæ elementa traduntur, ab Ernesto inscriptum esse initia solidioris doctrinae. R.

brum erat, medico eguisse, cum illa scriberet. Sed ut abeam a Plutarcho, quem sua magnitudo extra telorum jactum posuit, ut, qui eum allatrant, canum lunam allatrantium similes esse videantur; eum igitur ut omittam et paullatim ad tempora nostra proprius accedam: quis post Claudium Galenum fuit, qui ad illius aut admirabilem in omni genere doctrinam aut singularem eloquentiam accesserit? Quis multis jam annis philosophus veterum Aristotelis hypophetarum, Alexandri, Ammonii, Themistii, Simplicii et talium aut acumen ingenii aut doctrinae abundantiam aut orationis dignitatem adæquavit? Qui cum de rebus in naturae obscuritate retrusis ac reconditis ita dissererent, ut se a vulgo quam longissime abducerent, tam multis quasi gemmis multiplicis ac variae eruditionis distinguebant atque illuminabant disputationes suas, ut etiam, qui a severitate philosophiae abhorrebant, ipso tamen dicendi genere caperentur. Themistii quidem orationes dum lego, nullum ei sophistarum, qui hoc unum agebant, ut compte ac polite dicerent, antepono. At hodie plerique eorum, qui se pro philosophis venditant, cum ea docent, quae cum didiceris, duplo stultior sis quam prius; tum in dicendo ita

sunt hispidi atque agrestes, ut eos illud, quidquid est pinguium litterarum, in culina, non in schola, didicisse arbitreris. Adhuc de Græcis loquor, et fuit sane laus hæc mundioris ac nitidioris doctrinae perdiu Græcorum propria. Illic elegantiae sedes, litterarum domicilium, museum orbis, eruditionis emporium, Musarum ac Gratiarum omnium augustinissimum quoddam sacrarium fuit usque eo, dum misera gens ultione, ut opinor, divina, quia se ab ecclesiae Romanae obedientia, id est, a Christi jugo subduxerat, ab impurissimo \*) tyranno sub jugum teterimae servitutis redacta est. Ex illo tempore siluerunt illae lusciniae, quae cælum ac terras cantu suo mulcebant, conticuit vocalis ille Sirenum chorus, illi nitidissimi fontes, qui totum homi-

\*) Forte Muretus scripsit *importunissimo tyranno*, ut Cicero et Livius loquuntur. Vulgatum tamen explicari posse fateor. Ceterum hic locus habet turpem pontificis Romani adulationem, etiam contra historiae fidem. Græcos enim ante imperium suum eversum in barbariem lapsos esse, quis est, qui nesciat? R.

nūm genus elegantiore doctrina irrigabant, exaruerunt. Romani et serius attigerunt litteras et, si, verum amamus, aliis rebus, melioribus forsitan et praestantioribus, (nihil enim impedio, sed certe aliis) occupati, minus operæ ac studii ad philosophiam et ad totum hoc mansuetiorum artium genus contulerunt. Neque non tamen hi quoque habuerunt suos, qui planum facerent hominibus nostris, ad Graeciam hac quoque in parte adæquandam non tam ingenium quam voluntatem defuisse. Et hac quidem, quam dico, eruditionis copia et varietate duo præcipue commendantur a veteribus, P. Nigidius Figulus et M. Terentius Varro. De quibus, quanti fuerint, eo minus judicare possumus, quod alterius prope omnia, alterius plane omnia scripta perierunt. Tanta fuit in hominibus insequentis ævi socordia, tanta cæcitas perversitasque judicii, ut, cum multa studiose ac diligenter conservata sint, quæ perire præstiterat, ea perierint, ex quibus plurimum utilitatis percipi poterat. Sed ex iis, qui supersunt, duos præcipue admirari soleo, philosophum Senecam et naturalis historiæ scriptorem Plinium. Quorum ille cum se stoicorum sectæ addixisset, non tamen ce-

teras philosophorum disciplinas neglexit neque Zenone, Chrysippo, Cleanthe, Panætio ceterisque suis contentus fuit, nec illos mode majorum gentium, Democritum, Platonem, Aristotelem, Theophrastum, sed hos quoque minutos et, ut cavillator aliquis vocaverit, patellarios philosophos, Epicurum, Metrodorum aliosque ex eadem popina et iisdem hortis ita versavit, ut, quidquid boni ex eorum unoquoque aut ad orationis ornatum aut ad obscurarum et involutarum rerum intelligentiam aut ad vitam moresque formandos exprimi poterat, id omne, summa diligentia excerptum, libris suis aptissime et elegantissime insperserit. Cumque stoicorum, qui ante eum fuerant, arida, strigosa et impolita et quasi dumis ac vepribus obsita haberetur oratio, ipse contra in ea comenda, pectenda, polienda ita exquisitus et accuratus fuit, ut nimius in eo cultus ac luxuries reprehendetur. Neque ulla magis alia res Quintilianum, gravem alioqui et sapientem scriptorem, adduxisse videtur, ut de Seneca minus honorificum judicium faceret, quam quod iniquo animo serebat, immodico illius amore veteres oratores juventuti excuti de manibus, ipsumque, quod ne Seneca quidem voluisse, ple-

risque jam præ eo sordere Ciceronem. Nam illud alterum hominis somnium, sive Gellium eum sive Agellium vocari placet, qui voluit ipse quoque attollere se et nescio quid de Seneca loqui, nulla re magis quam contemptu ac silentio refutandum arbitror. Injuriam facit Senecæ, si quis pro eo tam infirmis obtrectoribus respondendum putat. Illum vero promum condum rerum omnium scitu dignarum, illud receptaculum ingenuarum artium, illum eruditionis oceanum, C. Pliniū, quis unquam satis pro dignitate vel admirari vel celebrare poterit? Qui nullum unquam librum vidit, quem non legerit; nihil cognitu dignum legit, quod non excerpsit; nihil excerptis, quod non in litteras retulerit. Itaque unum ipsius opus, quod de plurimis extat, naturalis historiæ instar ingentis bibliothecæ videri potest. Sed quo admirabilior et prædicatione dignior illorum industria est, eo magis accusanda nostra omnium ignavia, qui, tot adminiculis fulti, tanta librorum copia instructi, tot tamque illustribus exemplis ad imitandum propositis, torpemus tamen et in inertí atque inglorio consenescere otio malumus, quam, per illorum vestigia gradientes, explere animos nostros

illo suavissimo pastu cognitionis ac scientiae et, quanto homines ceteris animantibus antecellunt, tanto supra vulgus hominum eminere. Non amamus litteras, auditores, non amamus studia doctrinæ, nihil altum, nihil arduum, nihil gloriosum cogitamus: quod si faceremus, jungeremus noctes diebus, noctibus dies et, discendi cupiditate incensi, omnes corporearum voluptatum illecebras, omnem laboris asperitatem pœ doctrina contemneremus. An mercatores opum parandarum gratia tam multas, tam longinquas, tam periculosas peregrinationes suscipiunt; domum, uxorem, parentes, liberos relinquunt; ventis, fluctibus, piratis ac prædonibus vitam suam committunt, perpetuum prope sibi exilium indicunt: nos, si ita sapientiam amaremus, ut illi opes amant, ullum ejus comparandæ caussa laborem refugemus? Venatores in nive pernoctant, famem, sitim, frigus, vigiliam ferunt, cum apris, cum ursis taliisque indomitæ feritatis animalibus de vita sœpenumero decernunt ac dimicant: nos, si quanto illi ad prædam, tanto ad eruditionem ardore ferremur, ullam nobis, ne ad eam perveniremus, difficultatem obstare pateremur? Insanum ac libidinosum ado-

lescentem, cum ad puellam, quam amabat, aliter pervenire non posset, singulis noctibus mare illud, quod Europam ab Asia dividit, natando transire solitum accepimus. Quod in eo stulta et inconsulta cupiditas potuit, ut, dum potiretur amoribus suis, nihil tanti putaret; cur idem in nobis amor virtutis ac scientiae, si eam vere et ex animo amaremus, non efficeret? Ita est profecto, ut dicam \*), auditores. Nihil amori difficile, nihil ardaum, nihil impervium est. Neque illi poetae frustra alas addiderint. Volat, si quo aliter perveniri non potest. Sed amor sapientiae nullum vestrum ad ossa tetigit, nulli vestrum medullam animae fabibus suis perussit. Quid, quæso, est? quid iste sibi quorundam fremitus vult? Aequo animo accipietis istam contumeliam, juvenes, amendmentacii coarguere ac convincere me continemini? Utinam velitis, carissima mihi capita! posse enim scio. Utinam vobis Deus istam mentem immittat, ut, quasi coitione quadam ac conspiratione facta, metum hoc anno contendere instituatis, plus ne ego la-

\*<sup>o</sup> Imo ut dico. R.

boris et operæ ad docendum, an vos studii et alacritatis ad discendum conferatis! O insuavem mihi et injucundam pugnam, si vicero; acceptam et exoptatam, si victus discessero! Habituri autem sumus hujus certaminis nostri agonothetam Gregorium pontificem modis omnibus maximum, qui, ut Achilles Homericus<sup>85)</sup> præmia et victoribus ponit et victis, ita ipse, pro suo erga honestas artes incredibili amore et vobis, si vincetis, et mihi, si vincar, ampla præmia constituturus est. Quanquam ego quidem, dum vos victores videam, nullum mihi aliud præmium posco, plus enim jam pridem sum illius inexhausta liberalitate, quam quantum promerebar, consecutus. Tu vero, Paule Foxi, vir et generis nobilitate et splendore vitae et dignitatis gradu et virtute atque doctrina illustrissime, suscipe patrocinium nostrum! Confirmato sanctissimo seni, et floridissimam hanc juvenum coronam, quam ex ore meo pendentem vides, tum ipsius virtutis pulcritudine invitatam, tum tuo ac tu similium exemplo incitatam, flagrare studio

<sup>85)</sup> Il XXIII, 259. sqq. et 656.

earum artium, quarum ipse præcipuus fautor est; et me, quanquam ætate jam ad senium inclinata, et quietis aliquid, post confecta tam multa stipendia, postulante, moriturum potius, quam commissurum, ut tam prolixæ ipsius ac beneficæ erga me voluntati per ignaviam et fugam laboris parum respondisse videar. Ite, adolescentes, (jam enim, ut diei tempus est, diutius detinendi non estis) curate animos et crastino die hac ipsa hora ad perseverados mecum Taciti annales læti atque alacres convenite. (II, 15. hab. Romæ III. Non. Nov. MDLXXXI).

## 14.

## CUM INTERPRETARI INCIPERET EPI-STOLAS CICERONIS AD ATTICUM.

Ludere quibusdam fortassis et, devexa jam in senium ætate, caussam minuendi laboris querere videbor, qui usque antehac in gravissimis præstantissimorum scriptorum libris eorum, qui ad me ventitabant, industriam exercere solitus, hoc anno Ciceronis epistles ad Atticum mihi sumpserim interpretandas. Ita enim vulgo persuasum est, omnem

epistolarum lectionem leve quiddam ac ludicrum esse magisque ad pueriles animos aliquo litterarum gustu imbuendos, quam ad retinenda graviorum virorum studia, accommodatum. De qua opinione, vera nec petit, quaeremus postea. Nunc hoc dico: si maxime fatear, quæsiisse me rationem aliquam, qua, sine ulla utilitatis publicæ deminutione, pars mihi laboris aliqua demeretur, qui tamen eo nomine me reprehendat, nimis eum agrestem atque inhumanum fore. Nam cum me populus Romanus hos prope jam viginti annos viderit ita perpetuo mandatum mihi munus obeuntem, nemo ut nunquam, qui quidem provinciam sustineret, aut plures aut graviores scriptores aut majori omnium ætatum omniumque ordinum concursu interpretatus sit; quæ invidia fuerit, natu jam grandiorem minusque in dies perferendis laboribus idoneum mollioris ac remissioris operæ aliquid sumere? Ut corporum, sic et animorum non eadem exercitationes omnem ætatem decent. Cursus, lucta, jaculatio, discus, harpastum juvenilibus viribus ac lacertis conveniunt; senibus apricatio, ambulatio, gestatio, magis congruit. Veterani olim, quanquam sub signis haberentur, graviorum tamen laborum

immunes erant. Roscius fabularum actor ita excellens, ut ex eo, quicunque artificio aliquo longe præstabat ceteris, in suo genere esse Roscius diceretur: <sup>86)</sup> hic ergo Roscius, cum ad senectutem pervenisset, incidisse \*) numeros ac cantus ipsasque remissiores fecisse dicitur tibias. Quod histrioni licuit, cur honestissimarum artium doctori non liceat? His et ejusdem generis aliis argumentis uterer, si, quod hujus factum est, mea caussa factum esse profiterer. Sed longe alia mihi mens fuit, cum hoc consilium cepi. Judicavi, paucissimos libros posse reperiri ad præstandum id, quod a me exigitur, quodque ego omni ope efficere molior, accommodatores. Certe enim mandatum mihi publice est, ut vos, quantum in me situm est, ad

---

<sup>86)</sup> Cic. de orat I, 28.

\*) Muretus imitatione sua probasse videtur Lambini conjecturam in Cicerone de leg. I, 4: *Roscius familiaris tuus in senectute numeros in cantu ceciderat ipsasque tardiores fecerat tibias, ubi vulgo editur cecinerat.* Sed nihil certi. R.

eloquentiam informem. Recte autem et vere dicebat Cæsar <sup>87)</sup>, delectum verborum esse originem eloquentiæ. Idemque multo ante eum Aristoteles <sup>88)</sup> docuerat, qui cum elocutionis præcepta Græce traderet, primam illius virtutem esse dixerat ἀληγρίζειν, id est, Græce ita loqui, ut oratio nihil barbarum, nihil insolens, absonum, peregrinum habeat, sed et singularum vocum elegantia et earum structura ac collocatione, natam esse se in media Græcia ostendat. Qui ergo Latina lingua eloquentes esse meditantur, iis hoc primum elaborandum est, ut Latine, pure et quam maxime ex veterum Romanorum usu ac consuetudine loquantur. Nolite autem putare, laudem illam, quæ quasi sanitatem et integritatem ac castimonia Latini sermonis continetur, aut parvam aut facile parabilem esse. Cum, post restitutas a Medicea potissimum familia litteras, infinita quædam vis extiterit hominum in omni genere eruditorum, cumque et nostra et patrum memoria homines summis ingenii prædicti tam multam in Latine loquendi

<sup>87)</sup> Cic. Brut. 72.

<sup>88)</sup> rhet. III, 5.

studio operam posuerint, ut id prope unum operis habere viderentur; paucissimi tamen, quorum scripta, non dico sermonis vitiis careant, nam hoc quidem illorum nemini contingit, sed aliquam saltem priscæ illius et nativæ Latinitatis imaginem contineant, extiterunt. Ut Græci<sup>89)</sup> proverbio dicunt, multos esse, qui thyrsum ferant, sed paucos Baccchos; ita multorum falsa quadam Latini sermonis specie inducta et oblita oratio est, paucorum Latina. Duo in Italia summi viri duces ceteris ad hanc laudem capessendam et quasi antesignani fuerunt, Jacobus Sadoletus et Petrus Bembus, qui etiam propter ejusdem studii similitudinem Christophorum Longolium Belgam in deliciis prope atque in amoribus habuerunt. Non ita multo post magno in pretio fuerunt duo hujus facultatis præcipui doctores, Patavii quidem Lazarus Bonamicus, in hac autem urbe Romulus Amasaeus, quorum in illo fecunditatem ingenii admirata-

---

<sup>89)</sup> v. Platon. Phædon. c. 13 ibique Gottleber atque Erasmi adag. chil. I. cent. VII, 6.

reris, diligentiam et accurationem \*) requireres; in hoc nihil admodum, quod ad boni et ex omni parte perfecti doctoris commendationem pertineret, desiderares. Brevi igitur innumerabilis quædam hominum multitudo per Italiam effloruit, qui, illorum exemplo incitati, horum disciplina ac præceptis exerculti, ad hanc bene Latine loquendi ac scribendi laudem incredibili studio incumberent: cum et Venetiis Jovita Rapitius et Patavii Benedictus Lampridius et alii præstantes viri sitienti juventuti fontes eloquentiae recluderent, et a principibus maximi honores iis, qui Latinam linguam egregie præter ceteros callerent, proponerentur. Et tamen in tanto ardore animorum, tanta ingeniorum contentione atque æmulatione, tantis propositis præ-

\*) Malim curam. Est quidem *accuratio* semel apud Ciceronem Brut. 67. Sed semel aut rarissime dictis abstinere prudensius est, quod sæpe accidit, ut talia, melioribus libris inspectis, vitiosa reperiantur. Idem intelligi volo de vocabulo *attentio* apud Cic. de orat. II, 35. quo Muretus usus est sæpius. R.

mis, nemo adhuc extitit, cui simpliciter et sine ulla exceptione ea laus tribui possit, ut bene Latine scripsisse dicatur. Proxime quidem veterum gloriam accesserunt et ii, quos modo nominavi, et alii satis multi, neque immrito commendati sunt aut is, qui pauca quidem scripsit, sed in scribendo omnium politissimus maximeque limatus idemque ab omnibus ineptiis remotissimus fuit, Joannes Casaubon vir in scribendis epistolis Latinis singulari lepore ac venustate praeditus, Paulus Mantuanus. Qui tamen quemadmodum illud consecuti sunt, ut haec laus vere ac merito propria Italicae haberetur, eique ceterae omnes nationes scribendi elegantia facile cederent; ita illud negari non potest, multos nævos multasque mæculas, quod bona omnium venia dictum sit, illorum omnium scriptis aspersas esse, quæ planum faciant, illos vidisse quidem, quid optimum esset, et viam, quæ ad illud ferret, ingressos longe processisse; sed longe tamen ab eo, quo intendebant, substitisse. Neque hoc eo dico, ut de summorum viorum gloria quidquam propterea detrahamus, quos et admiror ipse et ad eorum persequenda vestigia cohortari vos volo, sed ut intelligatis, minime vulgarem esse eam laudem, quam

tot ac tales viri tantis laboribus tantoque studio plenam tamen ac solidam consequi non potuerint. Nunc quod dicturus sum, nolim, a quoquam durius accipi, sed ita potius, ut profectum ab optimo erga vos animo et a singulari quadam mea erga nomen Italicum voluntate. Qui enim in Italia diutius aliquando quam in Gallia, ubi natus sum, vixerim et jam pridem in hac orbis terrarum nobilissima urbe sedes ac domicilium collocarim, facere neque possum neque debo, quin et Italiam totam et præcipue urbem Romam pari ac patriam pietate ac studio colam. Doleo igitur et indignor, cum, quæ laus nostra ac patrum memoria propria, ut dixi, Italorum fuit, ut soli ex omnibus Latina lingua perite ac scienter uterentur, eam nunc ita obsoleuisse ac propemodum evanuisse video, vix ut jam tota Italia pauci quidam senes, qui eam utcunque sustineant, reperiantur. Interea exteræ nationes et, ut vulgo in Italia vocantur, barbaræ hanc possessionem gloriæ, tanquam a vobis pro derelicta habitam, occuparunt jamque non obscure, Latinæ linguae usum et intelligentiam migrasse ad se, relicta Italia, gloriantur. Hanc vos tantam indignitatem feretis æquo animo, juvenes,

ac non potius omnes nervos ingenii contendetis, ut stolidam illam agrestium hominum vobis insultantium superbiam retundatis? Experciscimini, expurgiscimini, adolescentes, et, si quid in vobis Romani sanguinis, si quid avitæ virtutis est, incumbite ad eam gloriam, quæ vestri generis ac nominis propria est, ex alienarum gentium manibus extorquendam! Mihi credite, si semel penitus imbibatis id perficere, si, socordia et ignavia valere jussis, naviter opus hoc urgere instituatis, si frenum, ut dicitur, mordeatis, brevi futurum est, non modo ut nuper amissa ornamenta recuperetis, sed etiam ea magnis ac luculentis accessionibus locupletetis. Ego quidem, quoniam ad pure et emendate loquendum, quod hujus consilii atque incepti fundamentum est, nullius omnino libri lectionem utiliorem, quam epistolarum ad Atticum judico, quoniam eas Latinæ linguæ studiosis pervolutandas, manibus atque oculis conterendas, ad verbum, si fieri possit, ediscendas censeo, idcirco earum interpretationem suscepi, nihil veritus eorum stultitiam, qui, speciosa utilibus antepontentes, ita me, quasi quiddam hujus loci auctoritate inferius susceperim, criminantur. At iidem mo su-

perioribus annis, cum Aristotelis libros de moribus, cum Platonis libros de republica, nuper etiam cum Tacitum interpretarer, ita calumniabantur, quasi, omissis iis, quæ juvenuti utilia forent, ea quærerem ac consecrater, in quibus ostentare me et venditare populo possem. Quid istis canibus facias? aut quomodo te aliter, quam contemptu, ab eorum latratibus vindices? Praeclare Aristoteles, cum idem ab aliis avarus, ab aliis prodigus haberetur, argumento id esse ait, eum liberalem esse. Ita isti, cum me nunc ut nimis sublimia petentem, nunc ut me justo inferius demittentem culpare instituunt, ut mihi quidem tum demum medium secare videar, efficiunt. Magis me movent exempla eorum, qui memoria nostra primos ordines in litteris duxerunt, quorum ut quisque doctissimus habitus est, ita plurimum operæ in his epistolis collocavit. Nunquam me pigebit eis in libris exerceri, in quibus duo ingentia decora Italæ, Petrus Victorius et Paulus Manutius, acutissimus jurisconsultus Antonius Goveanus, Sebastianus Corradus, Leonardus Malaspina, lumen et ornamentum Galliæ Hadrianus Turnebus, aliique, quos enumerare longum est, ita desudarunt, ut præcipuum

sibi materiam gloriæ ex eis emendandis et illustrandis quæsiisse videantur. Quos si duces non sequerer, unum tamen opponerem, cuius auctoritas frangere, debilitare, obterere omnes contra sentientium rumusculos posset. Hujus enim consilii mei non approbatorem modo et adstipulatorem, sed auctorem ac laudatorem habeo illum uberrimum disciplinarum omnium fontem Gulielmum Sirletum cardinalem, cuius auctoritati dum paream, nunquam magnopere, quid alii de me judicatur sint, laborabo. Sequitur nunc, ut iis obtrectatoribus respondeam, qui omnem epistolarum lectionem leve quiddam ac prope nugatorium esse ajunt, quo tanquam lacte pueruli, non, ut solido cibo, etiam grandiores ali debeant. In quibus hoc primum est, quod admirer: cum sermonis usum unum de precipuis a Deo in hominem collatis muneribus esse fateantur, quomodo de scriptione epistolarum aliter sentire possint. Ut enim sermone inter praesentes, ita epistolis inter absentes animi sensa communicantur. Per epistolas mercatura exercetur, qua si careremus, innumerabilibus commodis careremus; per epistolas pater cum liberis, vir cum uxore, fratres ac propinqui inter se, tum quoque,

cum multi inter eos montes multaque maria  
interjecta sunt, ita colloquuntur, ut una om-  
nes domi esse videantur; per epistolas et indi-  
cuntur et geruntur bella, paces componun-  
tur, inter remotissimas nationes constituuntur  
societas, foedera feriuntur, amicitia, quæ  
condimentum vitæ est, quo sublato vita  
quidvis potius quam vita fuerit, nullo magis  
adminiculo quam mutuis epistolis continetur.  
Itaque si episolarum usus tolleretur, commer-  
cium quoque et naturalis illa hominum inter  
ipsos societas tolleretur. Sunt ista, dicet ali-  
quis; sed tamen epistolis sua quisque nego-  
tia committit; graves et arduæ disputationes,  
et ad quas percipiendas doctore opus sit, epi-  
stolis mandari non solent. Hoc si quis de  
toto epistolarum genere dicere audeat, able-  
gabo eum ad Platonis, Isocratis, Senecæ et  
talium epistolas quæramque, numquid illas  
quoque de rebus vulgaribus et cuilibet sine  
doctoris opera perspicuis scriptas putet? ju-  
bebo, inspiciat illam, quæ a Cicerone ad Q.  
Fratrem in Asiam missa est, qua vir non elo-  
quentissimus tantum, sed etiam tractandæ  
reipublicæ peritissimus omnia complexus est,  
quæ præstari debent ab iis, qui magnis pro-  
vinciis summo cum imperio præsunt. Nam

illo quidem argumento vix in tam levi caussa utendum puto, quod præcipua religionis nostræ mysteria a sanctissimis illis æternæ veritatis doctoribus, qui nobis ad adspiciendam viam, qua iretur in cælum, facem prætulerunt, epistolis inclusa sunt. Quisquamne ita impie temerarius est, ut cum illorum procerum, Basilii, Nazianzeni, Cypriani, Ambrosii, Hieronymi, Augustini, Gregorii et similium epistolas si minus legerit, extare tamen audierit, totum epistolarum genus contemnere audeat? At in his Ciceronianis nihil simile, scriptæ enim sunt de rebus fere domesticis ac familiaribus simplici et sponte fuso dicendi genere, ad hominem usu domestico et intima familiaritate conjunctum. Hoc si faterer, tamen eas dignas, quæ diligenter et accurate legerentur, esse contenderem. Vere enim hoc sapientissimus scriptor Xenophon principio<sup>90)</sup> ejus libelli, qui convivium inscribitur, scriptum reliquit, magnorum virorum non seria tantum, sed et joca cognoscere operæ pretium esse, quod ex his quoque utilissima ad vitam exempla capiantur.

---

<sup>90)</sup> c. 1, quem locum respexit supra p. 4.

Narrat alicubi<sup>91)</sup> Horatius, Scipionem et Lælium interdum discinctos, dum olus de coqueretur, ludere et nugare; Cicero<sup>92)</sup> etiam legendis ad Lucrinum conchis et umbilicis animum relaxare solitus. Quis nostrum non quolibet pretio emat, ut interesse talibus ludis queat et eas fabellas audire, quibus tales viri inter se jocabantur? Præclare Plutarchus in Alexandro<sup>93)</sup>, *Non, inquit, ut quæque maxime illustris actio est, ita maxime ingenium hominis patefacit; imo vero interdum exiguum aliquid factum dictumve aut jocus aliquis magis detegit hominis mores, quam urbium expugnationes et pugnæ, in quibus multa hominum millia ceciderunt.* An, cum principes viri publicis se negotiis subduxerunt et, exclusis admissionibus, paucos quosdam diligunt, quibuscum libere ac familiariter jocentur, invidemus iis, qui admittuntur ad interiora illorum sermones, eosque beatos esse ac cælum digito contingere putamus; nos si

<sup>91)</sup> serm. II, 1, 73. sqq.

<sup>92)</sup> de orat. II, 6.

<sup>93)</sup> c. 1.

ad Ciceronis et Attici arcana penetrare eos-  
que nunc jocantes, nunc inter se qua publi-  
cis, qua domesticis de rebus colloquentes  
audire liceat, parvi id esse ducemus? Sed  
longe aberrant a vero, si qui res tantum do-  
mesticas et familiares jocos his epistolis con-  
tineri putant. Historia illorum temporum,  
quibus imperium orbis terrarum immutatum  
est, et vel eversa vel certe conversa ea res-  
publica, quæ ita bonis legibus atque insti-  
tutis fundata erat, ut in perpetuum duratura  
videretur, non aliunde melius quam ex his  
libris percipi potest. Tum præterea Cicero-  
nis admirabilis prudentia et scientia reipu-  
blicæ tractandæ nusquam se magis quam in  
his epistolis prodit. Quod ne quis me tem-  
poris caussa confingere arbitretur, præstantis  
viri et illorum temporum æqualis Cornelii  
Nepotis verba ipsa recitabo, quibus suum de  
illis judicium posteritati contestatum ac con-  
signatum reliquit. Qui in Attici <sup>94)</sup> vita cum  
inter Ciceronem et Atticum summam con-  
junctionem animorum fuisse dixisset, *Ei,*  
*inquit, rei sunt indicio, præter eos libros,*

---

<sup>94)</sup> c. 16. cf. c. 5.

*in quibus de eo facit mentionem, qui in aliis sunt editi, sexdecim volumina epistolarum ab consulatu ejus usque ad extremum tempus ad Atticum missarum, quae qui legat, non multum desideret historiam contextam eorum temporum. Sic enim omnia de studiis principum, vitiis ducum, cœmulationibus in republica perscripta sunt, ut nihil in iis non apparet, et facile existimari possit, prudentiam quodammodo esse divinationem. Non enim Cicero ea solum, quae vivo se acciderunt, futura prædictit, sed etiam, quae nunc usu veniunt, cecini ut vates. Hæc Nepos, cuius non vanam esse prædicationem, res ipsa quotidie ostendit. Ad eas caussas, quas attuli, cur in his epistolis mecum pervolutandis cupide versari debeatis, accedit hæc quoque, quam, dubitavi equidem, num adferre deberem, ne vineta mea, ut ajunt, cœdere et de ea ipsa facultate, cuius opinio, falsa fortasse, (neque enim impedio) sed opinio tamen, ad aliquam me provexit hominum famam, quippiam detrahere viderer. Sed vincat veritas, quæ aliis omnibus rebus præponderare debet, præsertim cum de commodiis vestris agatur. Hodie, adolescentes, si verum amamus, omnis prope usus eloquentiae, præterquam in scri-*

bendis epistolis, ita de medio sublatus est,  
ut nec vola nec vestigium appareat. Domi-  
nabatur olim in judiciis, regnabat in consul-  
tationibus, vincebat fere ea causa, quæ elo-  
quentiorem patronum nacta erat.

*Sed haec prius fuere, nunc recondita,*

(ut de phaselo ait Catullus <sup>95</sup>)

*Senet quiete.*

Judicia, Romæ saltem, ita exercentur, ut in  
eis nullus plane locus eloquentiæ sit. In de-  
liberationibus de magnis et seriis rebus, quid  
quisque dicat, non quam ornate dicat, at-  
tenditur. Recte omnino, neque enim ne-  
gari potest; sed tamen isto modo magna di-  
sertis hominibus subtracta materia est. Elo-  
quentia, quasi ætatis beneficio immunitatem  
consecuta, jussa est oblectare se in his no-  
stris scholasticis ac pulverulentis disputationi-  
bus, in sacris concionibus, quæ ad populum  
habentur, et interdum in gratulationibus,  
quæ fiunt ad principes, aut in eorum fune-  
ribus exornandis. Ita ex illis tribus Aristoteli-  
cī dicendi generibus solum epidicticon,  
quod olim minimi pretii habebatur, in usu

---

<sup>95</sup>) IV, 25 sq.

relictum est. Mansit tamen illud, ut, qui bene, id est, tum diserte tum prudenter et ad res, ad personas, ad tempora accommodate epistolam scribunt, facillime ad intimam principum familiaritatem perveniant et ad maximarum rerum tractationem adhibeantur, maximis plerumque honoribus ageantur. Hac facultate cum alii tum Jacobus Sadolutus et Petrus Bembus viam sibi ad dignitatem summae proximam munierunt. Nolo de viventibus dicere, ne aut adulari videar aut aliter eos laudem, quam ipsi fortasse laudari se volunt. Vos, adolescentes, (vestra enim res agitur, et satis jam verborum factum est) adjuvate attentione vestra industriam meam, et mihi hoc credite, integratatem Latinæ linguæ, cognitionem antiquitatis, prudentiam in rebus gerendis, ex nullo Ciceronis libro posse a vobis melius aut facilius, quam ex his epistolis, comparari. Cuperem, Paule Foxi, vir non tantum in primis illustris, sed ad illustrandum hoc seculum nate, novo quodam et minime vulgari modo tibi, quem nihil obsoletum, nihil vulgare delectat, gratias agere, quod talis tantusque vir, omissis negotiis, quibus assidue distineris, honoris mei caussa, hodie, multum deprecante me,

ne id faceres, huc tamen venire volueris.  
 Sed, cum animum in omnes partes versavi,  
 nihil, quod te dignum sit, excogitare possum.  
 Tacebo igitur et hoc toto genere gratiarum  
 actionis supersedebo. Nisi forte hoc ipsum  
 novum quoddam gratias agendi genus est,  
 cum is, qui beneficium accepit, magnitudi-  
 nem illius verbis a se coequari non posse  
 confitens, conticescit. (II, 16. hab. Romæ  
 pridie Non. Nov. MDLXXXII.)

## 15.

**REPETITURUS LIBROS ARISTOTELIS  
DE MORIBUS.**

**P**rimum quidem Deum immortalem vene-  
 ror, auditores, ut, si hos viginti annos, qui-  
 bus huic muneri præfui, pro singulari erga  
 me populi Romani caritate ac benevolentia  
 proque maximis in me cum aliorum pontifi-  
 cum tum præcipue Gregorij XIII. principis  
 immortalitate dignissimi beneficiis eo semper  
 animo fui, ut de utilitate vestra non minus  
 saepe quam de mea cogitaverim, ut nunquam  
 rationes meas vestris anteposuerim, ut sem-  
 per eam docendi rationem tenere studuerim

non quæ aut minus laboris aut plus ostentationis habitura, sed quæ vobis plus veræ ac solide eruditionis paritura videretur, ita me, quod reliquum est ætatis, in ejusdem munieris procuratione placide ac tranquille exigere patiatur, deinde autem, ut vobis omnibus inspiret amorem erga honesta studia et cupiditatem ea in isto ætatis flore discendi, quæ vobis aliquando tum privatim tum publice et utilitatis et dignitatis plurimum allatura sint. Quod cum peto, non tantum vestra, sed etiam mea caussa peto. Nam cum quietis ac tranquillitatis meæ, cuius et semper natura amans fui et hac ingravescenti ætate quotidie magis indigeo, magna pars in eo posita sit, ut a vobis attente ac libenter audiar; non dubito, quin id facile impetraturus sim ab iis omnibus, qui ipsi prius a se, ut sement neque unquam per ludibrium et per vicaciam animi et suis et alienis commodis obstare cupiant, impetrarint. Quam spem cum de vobis hujus anni curriculi nostri principio ut si unquam alias aut potius majorem quam unquam alias animo perceperim, obsecro obtestorque vos, auditores, ut vel mea caussa vel vestra vel etiam tot virorum dignitate præstantium, quos hodierno

die huc convenisse et industriae meæ judices  
atque arbitros et modestiæ vestræ testes ac  
spectatores futuros videtis, eam unius horæ  
attentione ac silentio comprobetis. Etenim  
qui pulcerrimos et a me semper in prima  
commendatione habitos libros Aristotelis de  
moribus ad Nicomachum, quos vicesimo ab  
hinc anno ex hoc ipso loco interpretari coepi,  
nunc denuo (quod Deo volentes ac propitio  
fiat!) interpretari constituerim, cum sciam,  
hoc consilium meum non prius quam hester-  
no die plerisque vestrum notum esse potuisse;  
ideoque multos esse, qui non modo meditati  
ac parati, ut par est, huc venire, sed vix  
libros sibi prospicere potuerint: decrevi ho-  
die, quæ illorum librorum propria sunt, non  
attингere, sed universe ac communiter de tota  
studiorum nostrorum ratione disserere et  
quærere, verane an falsa sint ea, quæ ple-  
riique putant de caassis, cur hodie neque  
tam docti neque tam diserti homines, quam  
olim fuerunt, reperiantur. Sæpe enim inter-  
fui querelis eruditorum et ingenitorum ho-  
minum, qui de temporum nostrorum infe-  
licitate quererentur: quod, cum et ingenia  
nihilo quam antiquitus deteriora sint, et  
aliis majoribus et magis arduo ac difficiliore

in loco positis virtutibus ætas nostra facile  
vetustatis gloriam æquaverit, si quidem et rei  
militaris ductandorumque exercituum et rei  
publicæ in pace atque otio tractandæ scientia,  
satis multi memoria nostra, qui nulli veter-  
rum cederent, extiterunt, hac molliore, ut  
videtur, et parabiliore eloquentiæ et erudi-  
tionis laude, nemo prorsus exoriatur, qui  
antiquitati controversiam facere audeat; sed  
præclare secum actum esse ducant, si qui hoc  
tempore multo sudore multisque vigiliis hoc  
consecuti sunt, ut a veteranum præstantia non  
longissime abesse videantur. Atque illud  
quidem facile conveniebat inter omnes, non  
eandem esse diligentiam in hominibus nostris,  
quæ in veteribus illis, quos admiraremur,  
fuisse; merito abesse nos ab illorum gloria,  
quorum non imitaremur industriam; labore  
venalia esse præclara omnia; inique facere,  
qui industriorum præmia peterent otiosi;  
neque esse, quod quisquam nostrum sibi  
blandiretur, aut cuiusquam e nostris studium  
et diligentiam cum illa veteranum pertinaci et  
indomita discendi cupiditate contenderet. Il-  
los, incensos et inflammatos amore doctrinæ,  
omnibus sibi aliis voluptatibus interdixisse,  
rei familiaris curam abjecisse, cibo, pota,

somno s̄epissime abstinuisse, omne sibi tempus perire ratos, quod non in studio poneretur, non modo valetudinis dispendio, sed ipsius vitæ periculo bene emi putantes, quod tam ferventer adamassent. Nos, quod somno, quod voluptatibus, quod avaritiæ, quod ambitioni temporis superest, colloca- mus in litteris et, cum quidvis potius agamus, miramur, impares esse nos iis, qui hoc unum agebant. Memoriæ proditum est, cum popu- lus Atheniensis decreto cavisset, ut capite lueret, si quis Megarensis pedem in Astu in- tulisset, Euclidem, qui inidem erat Socrate temque ante id decretum audire cœperat, cum sermonibus illius carere nollet, quotidie, cum advesperasceret, tunica longa muliebri indutum et versicolore pallio amictum, ca- pite atque ore velato, Megaris Athenas ad Socratem commeare et sub lucem eodem or- natu ad suos redire solitum. Tanti putabat studiosissimus adolescens aliqua saltem noctis parte Socratem audire, ut ea de caussa et singulis noctibus amplius quadraginta millia passuum conficere et vitam suam in apertum discrimen exponere non vereretur. Mirum non est, tanto nos eis inferiores esse doctrina, quanto doctrinæ amore inferiores sumus. Sed

de neglectu bonarum artium et de illo quasi torpore ac veterno, qui jam pridem juvēnum nostrorum animos occupavit, et dixi saepe alias et dicturus sum, si forte dicendo eum excutere et aliquos eorum, qui me audient, excitare ad vigilantiam possim. Alteram caussam esse dicebant, quae profectus nostre impeditret, quod multo durior ac difficilior esset nostra, quam veterum, conditio. Illi enim eam sermonem, quo in discēndis tractandisque bonis artibus usuri essent, a nutribus cum lacte bibeant, a populo condiscabant, neque aut Atheniensibus, ut Attice, aut Romanis, ut Romane loquerentur, sudandum, neque aut consulendi magistri aut libri pervolutandi erant; a poetis, quorum lectione puerilis ætas oblectari et ad humanitatem informari solebat, et in quibus interpretandis nullum fere aliud grammaticorum munus erat, quam ut fabulas explicarent et aliquas, si forte, peregrinas voces, quas illi glossas vocabant, et interdum genera quædam dicendi abstrusiora et a vulgari loquendi consuetudine remotiora indicarent: ab eis igitur, prout cujusque ingenium aut voluntas ferebat, aut ad politicos sive rhetores deducebantur aut, imbuti prius mathematicis disci-

plinis, ad dialecticos et ad physicos sese applicabant et, verborum cura liberi ac soluti, ad res modo ipsas intelligendas ac pervidendas omnem industriam ac diligentiam conferabant. Qui eloquentiam adamarent, iis theatra, iis forum, iis curia pro schola; qui caussas diserte agebant, qui ad populum verba faciebant, qui sententiam de publicis negotiis dicebant, pro magistris erant; unum aliquem ex eis deligebant, quem colerent, quem sectarentur, cuius ad exemplum se conformarent, cuius consuetudine et disertiores fierent et sapientiores. Nos non unam, sed duas peregrinas linguas discere cogimur, neque peregrinas modo, sed jam pridem extinctas quodammodo ac sepultas. Nam si aliqua urbs aut aliqua gens esset, in qua vulgo homines Graece Latineve loquerentur; mittemus eo pueros nostros, ut, cum a teneris unguiculis sermonis usum combibissent, grandiusculi de rebus modo ipsis cogitarent. Nunc nobis diutius luctandum ac sudandum est circa principia et in ipsis, ut ita dicam, carceribus, quam priscis illis, ut a carceribus ad metam pervenirent. Nobis antequam Latine aut Graece balbutire possimus, multa cura, multis vigiliis, multis magistris opus

est et iis plerumque magistris meliorum inopia utendum, qui ad id, quod se docere profitentur, aliis ipsi magistris indigerent. Ita quam illi facultatem ac copiam sine ullo labore a matribus et a nutricibus et a populo hauriebant, ejus nos ut umbram aliquam consequamur, meliorem aetatis partem in eo consumere cogimur. Itaque gravis illa conquestio, qua nobilis olim poeta <sup>96)</sup> usus est in deploranda bellorum civilium calamitate:

*Heu, quantum terræ potuit pelagique parari  
Hoc, quem civiles hauserunt, sanguine, dextræ;  
ad nostra quoque studia non inconcinne accommodari potest. Sic enim et nos dicamus licet Heu quantum rerum ac sapientiae parari potuit eo labore, qui necessario nobis ad intelligentiam usumque linguarum capiens fuit. Hæc una ratio tantum apud nonnullos potuit, ut publice persuadere conatis sint, inutile esse totum illud studium, quod in Græcis ac Latinis litteris poneretur; sua cuique lingua philosophandum, ut et illi fecissent. Non enim Democritum, Platonem, Aristotelem aut Hebræorum aut Ægyptiorum sermone in disputando aut in scribendo usos*

---

<sup>96)</sup> Lucanus Pharsal. I, 15 sq.

esse, sed eo, qui popularibus suis notus esset; neque Demosthenem Persica aut Macedonica, sed Attica lingua habitum eloquentem; memram insaniam esse tantum operæ ac temporis perdere, ut eum sermonem intelligamus. eoque utamur, quo uti homines multis ab hinc seculis desierunt.<sup>\*)</sup> Ne Demosthenem quidem aut Ciceronem curasse, illum, quomodo Cecropis aut Thēsei; hunc, quomodo Evandri aut Romuli temporibus cives sui locuti essent; suæ quemque non gentis modo, sed et ætatis sermone contentum esse optere. Addebat, id eo facilius factu esse hominibus Italis, quod præclara illa Græcorum Latinorumque monumenta jam pleraque omnia in eam linguam, qua vulgo utimur, conversa essent: ut, illo peregrinitatis quasi cortice ac putamine detracto, nucleis vesci et, ut osse confracto, succum ac medullam ipsam exugere liceret. A qua opinione quoniam ita dissentio, ut avocandis a Græcæ ac Latinæ linguae studio adolescentibus ipsa fundamenta disciplinarum convelli ac labefactari putem; neque ullam pestem præsentiorem aut ullum

---

<sup>\*)</sup> Constructionis ratio postulat *desüssent*. *R.*

certius exitium omnibus ingenuis artibus ad-  
ferri posse arbitrer, quam si linguae illæ, quæ  
quasi sacraria quædam earum sunt, negligan-  
tur: exponam hoc loco breviter caussas judi-  
cii mei efficiamque, si potero, ut linguas qui-  
dem illas omni studio dignissimas esse, sed  
multa hoc tempore in earum tractatione pec-  
eari, liquido intelligatis. Duæ præcipue mihi  
quidem caussæ esse videntur, adolescentes,  
eur et Græcam et Latinam linguam amare  
et in earum utraque præcipuum studium po-  
nere debeamus. Una, quod Græce et Latine,  
Græce quidem et plures et præstantiores, sed  
tamen Latine quoque sat multi, ejusmodi  
viri scripserunt, ut propter admirabilem  
quandam sapientiam (qua illi tanto supra ce-  
teros mortales floruerunt, ut aliarum gen-  
tium homines, cum eis collati, idiotæ qui-  
dam et agrestes fuisse videantur) dignissimi  
sint, ad quos intelligendos omnis ab omni-  
bus elegantioris ingenii hominibus opera con-  
feratur. Nam si Platones, Xenophontes, Ari-  
stoteles, Theophrastos, addo huc etiam Plu-  
tarchos, Galenos, sed quo plures nomino,  
eo plures occurunt digni, qui nominentur,  
si tales etiam viros Italia extulisset, qui cogi-  
tationes suas perscripsissent eo sermone, quo

vulgo Italia utitur; non ego quidem propterea  
ne sic quidem veteres illos sapientes patres  
ac duces negligendos dicerem, sed tamen  
æquiore animo ferrem, si quis Græco sermone  
accuratius discendo supersedere vellet. Nunc  
cum domi nata et vernacula omnia tanto  
jaceant infra illorum dignitatem, quanto imæ  
maximeque depressæ convalles infra editissi-  
moram cæloque, ut poetæ loquuntur, minan-  
tium montium cacumina; quis iste tam mol-  
lis ac delicatus, quis tam ab omni vera pul-  
critudine aversus est, qui laborem non maxi-  
mum neque fortasse tantum, quantus vulgo  
putatur, ad illos maximos viros intelligendos  
capiendum neget? Quod et ipsum de vetere  
Latina lingua dictum accipi volo. Nam ita  
me ille amet omnium præpotens Deus, audi-  
tores, ut ego vobis de meo sensu libere atque  
ingenuæ loquar. Si ex Latinis scriptoribus  
neminem haberemus præter Ciceronem, Vir-  
gilium, Senecam, Livium, Plinium, Tacitum;  
et constat, multos esse alios, qui in idem al-  
bum referri queant: sed si eos solos habere-  
mus, justa tamen mihi caussa videretur, cur  
ad eos intelligendos linguam Latinam avide  
disceremus. Nunc accedit alia longe gravissi-  
ma, quæ nos incendere utriusque studio de-

beat. Nam cum earum linguarum, quarum usus eruditis cum vulgo communis est, unaqueque et certis et angustis limitibus circumscripta teneatur, harum, de quibus agimus, usus toto propemodum terrarum orbe diffusus est. Italice loquentem soli Itali intelligent; qui tantum Hispanice loquatur, inter Germanos pro muto habebitur; Germanus inter Italos nutu ac manibus pro lingua uti cogetur; qui Gallico sermone peritissime ac scientissime utatur, ubi e Gallia exierit, sepe ultro irridebitur; qui Græce Latineque sciat, is quocunque terrarum venerit, non intelligetur tantum, sed apud plerosque admiratione erit. Atque hæc caussa vel maxima est, cur Græce aut Latine potius, quam Italice aut Gallice scribere, quicunque id egregie præstare possunt, debeant. Nam qui scribunt, aut utilitatem publicam aut gloriam suam sequuntur. Si utilitatem publicam: certe multo pluribus proderunt, si ea lingua scribant, quæ apud omnes gentes, quibuscum modo aliquid nobis usus aut commercii est, intelligatur. Gloriam quoque suam longius latiusque diffundent, si ea scribant, quorum pulcritudo ab omnibus populis ac gentibus percipi queat. Ut igitur peregrinantibus optabile

esset, reperire genus aliquod numorum, cuius eadem apud omnes aestimatio esset; multoque libentius uterentur iis, quam illis, qui tertio aut quarto quoque die, cum detrimento et cum molestia mutandi sunt, cum ibi tantum utiles sint; ubi imperat is princeps, cujus in ditione cuduntur; ita nemo non videt, quanto commodius sit, uti ea lingua, quæ in omni gente ac natione reperit aliquo, et quidem non ex fece vulgi, sed ex quaque honoratissimos quosque, a quibus sine interprete intelligatur, quam iis, quæ simul atque pedem ex hac aut illa provincia extuleris, alios atque alios interpretes requirunt. Quomodo ex hac florentissima et nobilissima urbe in omnes terrarum partes, quomodo ex omnibus terrarum partibus in hanc urbem legationes mitterentur, si aliam linguam, quam eam, cuius apud suos publicus usus est, nemo didicisset? Quomodo in illo augusto ac sacrosancto cardinalium collegio de gravissimis rebus, et quas sæpe iis solis notas esse expedit, qui sententiæ dicendæ jus habent, deliberaretur, si, quot ex nationibus consesus ille constat, totidem interpretes adhibendi forent? Qua in re majorem Latinæ quam Græcæ linguae utilitatem esse fateor, intelligi-

gitur enim a pluribus. Itaque ad usum Latina potior est, ad doctrinæ copiam Græca. Argumenta, quibus nituntur, qui contrariam sententiam tuentur, infirma prorsus et imbecilla sunt. Ajunt, veteres illos, qui tanta admiratione sunt, sua quemque lingua philosophatos. Ego autem ita respondeo: si illis quoque temporibus lingua aliqua fuisse communis omnium, qui ubicunque essent, eruditorum, ignota ceteris, quales hoc tempore Græcam et Latinam esse constat; non est dubium, quin ea potius cogitationes suas explicaturi fuerint, quam ea, quæ vulgo quoque communis esset. Nam ut poetæ<sup>97)</sup> vulgus sibi invisum esse profitentur; ita ipsi quoque ad mysteria philosophiæ turbam admittendam non putabant ideoque obscurabant ea de industria, alii numeris, alii allegoriis, alii tenebroso quodam dicendi genere, ut ostenderent, se sapientiæ tantum studiosis scribere: quæ caussa fuit Aristoteli<sup>98)</sup>, cur

<sup>97)</sup> v. c. Horatius carm. III, 1, 1.

<sup>98)</sup> ep. Aristot. in epp. Græcan. p. 316. ed. Aurel. Allobrog.

libros quosdam suos et editos esse et non editos diceret. Ajunt, Græcam Latinamque linguam jam pridem mortuas esse. Ego vero eas nunc demum non tantum vivere et vigere contendo, sed, si in tralatione perstandum est, firma valetudine uti, postquam esse in potestate plebis desierunt. Quam diu enim populari imperio regebantur, id est, quam diu penes populum erat, ut ait Horatius <sup>99)</sup>, arbitrium et jus et norma loquendi, assidue agitabantur, fluctuant, nihil habebant certum, nihil stabile, unum seculum eodem vultu durare non poterant; nunc, ex quo ad optimates, ut ita dicam, redactæ sunt, et certis a scriptoribus petuntur, certis regulis ac præceptionibus continentur, multis jam seculis fixæ atque immutabiles permanent. Si in vulgi potestate mansissent, hodie Ciceronem non intelligeremus: quemadmodum ne Ciceronis quidem temporibus intelligebantur ea, quæ regnante Romulo aut Numa scripta erant; immo vero ipsas XII. tabularum leges pauci, qui intelligerent, reperiebantur. Et videmus, quæ vulgari lingua abhinc qua-

---

<sup>99)</sup> A. P. 72.

dripgentos aut quingentos annos scripta sunt,  
hodie non intelligi.

*Ut sylvæ foliis (ait Horatius <sup>100</sup>) pronus  
mutantur in annos,  
Prima cadunt; ita verborum vetus inte-  
rit ætas,  
Et juvenum ritu florent modo nata si-  
gentque.*

Illæ igitur linguae quotidie moriuntur, quotidie nascuntur, quæ pendent ex libidine imperitæ multitudinis; quas autem ex populi servitute eruditorum usus vindicavit, illæ non vivunt tantum, sed immortalitatem quodammodo et immutabilitatem adeptæ sunt. At quod temporis in linguis discendis consumitur, melius rebus ipsis cognoscendis impenderetur. Hoc argumentum ita demum aliquid valeret, si ab aliis scriptoribus verborum elegantia, ab aliis rerum cognitio peteretur. Nunc ita nobis a Deo consultum ac prospectum est, ut, qui Græce Latineque politissime scripserunt, iidem etiam sapientissime scripserint: ut non ab aliis verba, ab aliis

<sup>100</sup>) A. P. 60. sqq.

rerum cognitionem petere oporteat, sed utraque ex iisdem fontibus eodem tempore haurire liceat. At omnia aut e Græco sermonē in Latinum aut etiam ex utroque in eum, qui laniis quoque et salsamentariis notus est, conversa sunt ita, ut aut neutro illorum opus sit aut certe altero tantum. Heu me miserum! Cur non hujus loci consuetudo fert, ut possim, quantum cuperem, arbitratu meo dicere? Quomodo ego istos acciperem, qui interpretibus fidunt? Sed quando id faceret temporis angustiæ prohibent, polliceor vobis, me, quæ dabitur dicendi occasio, in hoc argumento versaturum esse et ostensurum, quam necesse sit in crassissima rerum ignorantia perpetuo versari eos, qui præsidio interpretum freti Græcæ ac Latinæ linguæ studia negligunt, simulque indicaturum, quibus in rebus a plerisque in studiorum caussa peccetur, quæque veræ caussæ sint, cur ætas nostra tantopere veteribus cedat. Vos, atidores, efficite, ne vobis prior illa<sup>1</sup> caussa, quam dixi, torporis ac negligentie noceat. Afferte hue amorem doctrinæ, afferte diligenciam et attentionem! ego, ut quotidie vobis res attentione dignæ assatim suspetant; providebo. Idque eo magis, quod in his ethik-

corum libris tantum usque a puero studii posui, ut, nisi aliquid exspectatione vestra dignum præstiero, recusare non debeam, quin hujus loci amplitudine parum dignus habear. Vos vero, ornatissimi viri; ignoscite si, quod a vobis tam benigne auditus sim, ne gratias quidem vobis agendas putem. Nam sive oratio mea vobis molesta fuit, eo molestior erit, quo eam longius protraxero; sive quod magis cupio, quam spero, jucunda videor jam vobis gratiam aliqua ex parte retulisse. (II, 17. hab. Romæ pridie Non. Nov. MDLXXXIII.)

## 16.

DE VIA AC RATIONE TRADENDARUM  
DISCIPLINARUM.

**P**lerique eorum, qui quotannis ex hoc loco verba faciunt, laudare litteras et ingenuas artes, vosque, adolescentes optimi, ad eas toto pectore amandas ac colendas exhortari atque incitare consueverunt. Quorum ego neque consilium reprehendo neque tamen omnia in eo posita esse censeo. Nam ut, si quis

bonæ valetudinis commoda exponat eaque dicendo amplificet atque exaggeret et ad eam omni studio conservandam homines cohorte-  
tur neque tamen admoneat, quo genere vic-  
tus quibusque exercitationibus ea maxime comparari ac contineri debeat, non valde utilis videri possit illius oratio; ita parum pro-  
dest aut laudare eas artes, quas certo nemo usque eo perficitæ frontis est ut vituperare audeat, aut ad eas cohortari eos, quos illarum studiis deditos esse constat, nisi indicetur etiam via, qua quis ad illas facillime ac cer-  
tissime pervenire posse videatur. Ego igitur, quando mihi a te, Laurenti Blanchette, vir clarissime, munus hoc impositum est, non laudabo litteras: satis eas homines eruditissimi, collegæ mei, ex hoc ipso loco his proximis annis ornate copioseque laudarunt; ne mul-  
tum tum \*) quidem temporis ponam in his nobilissimis adolescentibus ad eas cohortan-  
dis: et ipsi per se satis eas amant neque oratione mea melius incitari possunt, quam si te, Blanchette, intueantur, de te cogitent,

---

\*) *tum* temere repetitum ex voce præce-  
denti. *R.*

in te oculos animumque defigant, cui littoralium tractatio senilem in isto ætatis flore non modo gravitatem ac prudentiam, sed dignitatem quoque atque auctoritatem comparavit. Quænam igitur orationis meæ futura materia est? quibus de rebus dicens hunc ornatisimorum virorum atque hanc honestissimorum juvenum coronam, quam ex ore meo pendentem video, demulcere et delinire conabor? Exponam breviter ac perspicue a carceribus, ut dicitur, ad calcem ei, qui semel imbibierit in litteris et in bonarum artium scientia excellere, quam studiorum viam ac rationem tenendam putem. Quod dum facio, quidam ex vobis decursum jam a se et confessum curriculum agnoscent, alii, quod iter ad veram gloriam ferat, me monstrante, cognoscent. Attente ut me audiatis, ne orandos quidem esse vos puto. Frustra id postulem, nisi attentionem mihi res ipsa, de qua dices ingredior, conciliaverit. Principio igitur positum sit, Græcæ Latinæque linguae cognitionem instrumentum esse ad parandam doctrinæ copiam, hoc quidem tempore plane necessarium. Id qui negant, aut, quid verum sit, non videant aut contendendi studio in oppugnando eo, quod verum est, ostentare in-

genii acumien volunt. Quare pueris, quem informare ac describere ordimur, honesto loco natus, modicis opibus instructus, ea corporis firmitate, ut studiorum laborem perferre possit, ingenio neque agresti et hispido nec molli et effeminato, sed eleganti et ad honestatem propenso præditus, sextum ætatis ingressus annum Græcarum Latinarumque litterarum formas, nomina, potestatem per ludum jocumque condiscat et, ut id libentius faciat, non metu ac verberibus, sed præmiolis, quibus ætas illa capi solet, identidem excitetur. Ubi annum in eo posuerit, ut et Græce et Latine satis facile atque expeditè legat, jam septimo primis illis maximeque grammaticorum utriusque linguae præceptis imbuatur, nomina et verba flectere ac variare et inter se sine vitio conjungere ac copulare discat. Huic uni rei annum septimum tribui velim. Octavo incipiat jam aliquid audire, aliquid legere idque ejusmodi, ut et ad formandos mores non nihil conferat et voluptatem potius adferat, quam magnam ullam animi contentionem requirat. In hoc genere apud Græcos excellunt Aesopi fabulæ et Phocylidis carmina; Latini talium scriptorum in opia laborant, nisi quis easdem illas fabulas, ab

optimo et eruditissimo viro Gabriele Faerno Latinis versibus elegantissime expressas, illi ætati proponendas putet et addendum, si quod exiguum poema puris verbis *vitæ præcepta* continens reperiatur. Biennium consequens, id est, nonum ac decimum annum, ita libentissime posuerim, ut puer matutinis quidem horis libros Xenophontis de institutione Cyri, quibus nihil purius aut suavius reperiri potest, pomeridianis autem Cæsaris potissimum commentarios legat, qui mihi unus ex omnibus Latinis ad illam nitidissimam Xenophontis simplicitatem proxime videtur accedere. Undecimus annus comoediis detur, ita tamen, ut ex Terenio Plautoque et multo magis ex Aristophane, quidquid inquinare pueriles animos potest, aut resecetur aut omittatur. Quod idem de omni scriptorum genere semel a me dictum accipi volo. Duodecimo Theocriti, Moschi, Bionis idyllia cum Virgilii bucolicis, Hesiodus cum georgicis, cum Aeneide utrumque Homeri poema copuletur. Neque hos libros totos a præceptoribus exponi arbitror debere. Cum tantum cujusque a præceptore audierit, ut sine cortice, quod ajunt, nare possit, quod reliquum est, suo ipse privato studio persequa-

tur. Huic rei biennium suffecturum puto.  
Illud interea ad magistri curam et sollicitudinem pertinet, ut puer loquendo quidem quotidie, scribendo autem alternis saltem diebus exerceatur. In ipso pubertatis ingressu primum exercebo eum in eis, quæ Græci vocant progymnasmata, id est, præludia quasi quædam et præcursiones ad eloquentiam, de quibus extat aureolus libellus Theonis sophistæ, qui, si quid ego auctoritate possem, quotannis exponeretur in scholis, et ad præcepta, quæ illic traduntur, juvenes perpetuo exercerentur. Sed et hoc genus exercitationis et omnis propemodum recta et antiqua instituendæ juventutis ratio non tantum intermissa jam pridem, sed oblivione obruta ac sepulta est, quæ si revocaretur, paucis annis existarent homines vere copiosi et eloquentes, isti autem clamatores, qui nomen eloquentum gesticulatione pantomimica et volubilitate linguae et impudentia sibi pepererunt, ita jacerent, ut eos audire nemo posset. Ita igitur exercitatus adolescens totum se Ciceroni dedit ingurgitetque se in illum uberrimum et abundantissimum eloquentiæ fontem, retinens perpetuo illam, quam a principio instituimus, consuetudinem, ut Græca cum La-

tinis, similia cum similibus conferat. Ciceronis epistolas cum leget, evolvat eodem studio Platonis, Isocratis, Demosthenis aliorumque Græcorum epistolas, quæ in duo volumina congestæ reperiuntur. Ad libros de rhetorica scriptos adjungat Aristotelis libros ejusdem argumenti, quæque eadem de re Dionysius Halicarnasseus, Demetrius Alexander, Hermogenes, Longinus aliquique Græci litteris prodiderunt. Ciceronis orationes cum Demosthenis, Aeschinis, Lysiæ aliorumque veterum orationibus comparet, dialogos de philosophia cum dialogis Xenophontis et quibusdam Platonis. Interea oblectamentum sibi ex alio genere, poetarum, petat, Pindarum cum Horatio, Euripidem, Sophoclem, Aeschylum cum Seneca, Apollonium cum Valerio Flacco, epigrammata Græca cum Catullo et Martiale committat. Idem faciat in historicis, Herodotum, Thucydidem, Xenophontem, Polybium cum Livio, Sallustio, Tacito conferens. Et quoniam neque historia, nisi cognito orbis terrarum situ, neque hic sine aliqua mathematicarum artium cognitione percipi potest, his quoque utrisque temporis aliquid impertiat. Cum ad plenam, ut juris auctores loquuntur, pubertatem, id

est, ad annos octodecim pervenerit, graviora meditetur: ac primum quidem analyticas et dialecticas præcepta non ex barbarorum lacunis, sed ex Aristotele ipso et Græcis Aristotelis interpretibus hauriat in eisque vere ac serio biennium exerceatur. Hoc modo præcultus ac præparatus adolescens, si totam ætatem exigere in otio litterario volet, ab unde habet, quod agat; nunquam deerit, quo pascat animum, etiam si ei ad multa secula vivendi spatium prorogetur \*). Sin aut ad medicinam aut ad juris scientiam aut ad theologiam applicare ingenium cogitat, medicus quidem futurus in physicis, jurisconsultus in ethicis ac politicis, theologus in utrisque sese prius diligenter exerceat, hic tertius Hebraicas præterea litteras discat; tum

\*<sup>o</sup>) Rectius propagetur, ut nunc editur apud Ciceronem de finib. V, 11. *propagabat tamen vitam aucupio*. De confusione et discrimine horum verborum critici sæpe disputarunt, ut Græv. ad Cic. ad div. V, 15. et Oudendorp. ad Sueton. Aug. 23. R.

eorum quisque ad ea, quæ dixi, studia accedat. Quocunque enim se naturæ suæ ductum secutus contulerit, dubitandum non est, quin, ut longissime, antequam annorum illum numerum expleat, quem Lycurgus adamasse dicitur, quiique solus post senarium intra centum perfectus est, talis in suo genere futurus sit, qualem in suo fuisse Roscium Cicero <sup>101)</sup> prædicat, qualem apud inferos esse Tiresian ait Homericus <sup>102)</sup> Ulysses, quem solum sapere dicit, ceteros umbrarum in morem vagari. Exposui vobis, adolescentes, iter non ad inanem scientiæ opinionem, sed ad veram et solidam eruditionem: arduum illud quidem et difficile, sed cogitate, nullo modo fieri posse, ut ad excelsa et sublimia per plana veniatur; et alioqui credite hoc mihi, summum in studiis laborem summa voluptate condiri. Quod si quis ea, quæ dixi, præstare omnia non potest, præstet certe quisque, quod potest. Cum alia multa, quæ sæpe ex hoc loco audistis, ad

<sup>101)</sup> vid. supra 86.

<sup>102)</sup> Od. X, 494 sq.

amandas litteras incitare vos debent, tum mirifica plane ac singularis erga eas Gregorii XIII. optimi ac maximi pontificis voluntas. Qui non tantum pulcerrimos fontes aperuit, quibus urbem prius aquæ penuria laborantem multo et ornatiorem et salubriorem et commodiorem reddidit, sed alios longe pulchiores et utiliores fontes disciplinarum reclusit. Quid enim aliud sunt tota illa Neophytorum, Græcorum, Germanorum, Britannorum aliarumque gentium ac nationum collegia, quam totidem aperti et expositi omnibus religionis et bonarum artium fontes, ab inexhausto pontificiæ liberalitatis fonte manantes? Quid scholæ nostræ, quæ quotidie tot eruditissimorum hominum vocibus personant, quibus ipse majora, quam quisque ante eum pontifex præmia statuit, quid aliud, quam incredibilem ipsius erga bonas artes amorem voluntatemque declarant? Quid tanta multitudo hominum, doctrina quam oportibus instructiorum, quibus ipse subsidia vitæ large prolixèque suppeditat? Ut non verius Bononia studiorum mater, quam is civis, quo ipsa maxime gloriatur, studiorum pater vocari queat. At tu, Laurenti Blanchette, vir clarissime, quando nos ipse in fide ac patro-

cinio tuo esse voluit, quantum apud eum  
potes, quod te plurimum posse scimus, tan-  
tum confer ad paternam ipsius erga nos vo-  
luntatem magis magisque in dies confirman-  
dam. Multa jam ipsius benignitate consecuti  
sumus, ego quidem plura et majora, quam  
ut ea me unquam promeritum esse con-  
fidam; sed alia quædam sunt nec iniqua nec  
inusitata, quæ, ut alibi conceduntur, si hic  
quoque concederentur, mirabiliter et profes-  
sorum et studiosorum adolescentium animi ad  
omnia egregia accenderentur. Ea tibi, cum  
voles, exposituri sumus et per te aliquid nos  
effecturos esse confidimus. Suscipe cogitatio-  
nem te dignam, para tibi immortalitatem  
apud omnes litterarum amantes et gratiam et  
gloriam, perfice, ut eæ artes, quæ in te tan-  
tum ornamentorum contulerunt, ipsæ vici-  
sim ornamentorum aliquid tibi se debere fa-  
teantur. (II, 18.)

## **IV.**

**M. ANTONII MURETI**

**VARIÆ LECTIONES.**



## 1.

*Durae compositionis duo insignia exempla: ex Euripide unum, alterum e Sophocle.*

**I**nter ea, quæ duram atque insuavem orationis compositionem efficiunt, vix quidquam est, quod magis reprehendatur a dicendi magistris, quam crebra et continuata ejusdem litteræ repetitio. Itaque in Virgilio <sup>1)</sup>, *census Cassandra canebat*; in Terentio <sup>2)</sup>, *tantam, tam improvisam, et consilia consequi consimilia*; in Cicerone <sup>3)</sup>, *statua tua stabat*, et <sup>4)</sup> *invisæ visœ*, et in Coeliana <sup>5)</sup>, *unquam quanquam*, ejusdemque modi alia in aliis

<sup>1)</sup> Aen. III, 183.

<sup>2)</sup> Prius exemplum, verbis ita junctis, *tantam tam improvisam*, nusquam, puto, exstat apud Terentium. Sunt autem similima apud alios passim. Posterius est ex Heaut. I, 2, 35. F. A. Wolfius. Illud videtur mutatum ex Phorm. V, 8, 2: *tantam fortunam de improviso esse his datam.*

<sup>3)</sup> Verrin. IV, 64.

<sup>4)</sup> in fragm. ap. Quinctilian. IX, 4, 41.

<sup>5)</sup> c. 4.

primæ classis auctoribus notantur. Sed enim, quæ duo ejus rei exempla in duobus optimis ac praestantissimis poetis reperi, ea (ita insignia visa sunt) hoc loco proponenda esse duxi. Eorum unum Euripidis <sup>6)</sup> est, apud quem Medea, cum Jasoni exprobraret, illum sua opera servatum esse, ita loquitur:

*Ἐσωσά σ', ὡς ἴσασιν Ἑλλήνων ὄσοι*

*Ταυτὸν συνεισθησαν Ἀργῶν σκάφος.*

Quorum versuum in priore crebra illa repetitio litteræ σ locum etiam comicis jocis ac salibus dedit, si quidem Plato comicus et Eubulus, ejusdem homo artificii, Euripidem ea de caussa urbanissime tetigisse traduntur. Alterum Sophoclis, et quidem ea in fabula, quæ quasi regnum possidere inter tragœdias dicitur. Ibi <sup>7)</sup> enim Oedipus, cum Tiresia jurgans eique et aurium et mentis et oculorum cæcitatem objiciens, hoc eum versus indignabundus incessit:

*Τυφλὸς τά τ' ὥτα, τόν τε νοῦν, τά τ' ὅμηρον εἰ.*

Ubi cum sæpius etiam inculcaverit litteram τ, quam ille alter litteram σ, tamen Euripides

6) Med. 476. ibique schol. et Barnes.

7) Oed. Tyr. 371.

dicacium aculeos expertus est: Sophocles a nemine, quod sciām, notatus. Sophoclei non dissimilis est Ennianus <sup>8)</sup> ille, me puero, decantatus in scholis,

*O Tite tute Tati tibi tanta tyranne tulisti.*

Neque valde ab eo abludit Homericum <sup>9)</sup> illud,

*Μηδὲ γέροντα κάκου κεκακομένον.*

(V. L. I, 15.)

## 2.

*Theocriti Αδωνια;ούσαις correctus et explicatus locus.*

Non puto, me rem studiosis ingratam facturum fore, quanquam hic Latinorum præcipue scriptorum caussa susceptus a me labor est, si non nunquam etiam Græcis opis aliquid afferre coner. Jam pridem enim persuasum esse existimo omnibus, qui versantur in litteris, sine Græci sermonis cognitione mancam omnem ac mutilam esse doctrinam, et, qui ejus expertes sunt, ab eis ne Latine quidem scripta penitus percipi. Nunc igitur Theocriti versus quosdam, quos neque satis

<sup>8)</sup> auct. ad Herenn. IV, 12.

<sup>9)</sup> Od. IV, 754.

emendate scriptos circumferri neque satis intelligi arbitror, quomodo scribendi, quoque modo accipiendi videantur, aperiā. Sed primum eos describam ita, ut leguntur<sup>10)</sup>:

Γ. Μᾶ πόθεν ὄνθρωπος; τίδε τὸν εἰ κατίλαι εἰμές;

Πασσάμενος ἐπίτασσε. Συρακοσίαις ἐπιτάσσεις,

Ως εἰδῆς καὶ τοῦτο. Κορίνθιαι εἰμὲς ἀνθρεψ,

Ως καὶ δὲ Βελλεροφών, Πελοποννασιοτὶ λαλεῦμες.

Δωρίσδεν δ' ἔξεστι, δοκῶ, τοῖς Δωριέσσοις.

Π. Μὴ φυῇ μελιτῶδες, ὃς αἴμαν καρτερὸς εἴη,  
Πλάνη ἐνός, οὐκ ἀλέγω, μή μοι κενεὰν ἀπομάξῃς.

Inducuntur autem ibi duæ mulieres Syracusanæ, Gorgo et Praxinoa, quæ, profectæ ad spectandam pompam sacrorum Adonidis, cum qui mos mulierum est, assidue garrientes, implerent omnia strepitū et aures eorum, qui prope erant, obtunderent; offensus tanta earum garrulitate hospes quidam, illamque ferre amplius non valens, subcontumeliose

---

<sup>10)</sup> Idyll. XV, 89.

imperavit eis, ut tacerent. Tum indignata Gorgo, Quæso, inquit, quid hoc tandem hominis est? quid vero tua refert, si garrulis esse nobis libet? Addit deinde: πασσάμενος ἐπίτασσε. Ubi legendum censeo πασσάμενος, non πασσάμενος. Neque vero parum interest. Nam πάσασθαι, prima syllaba brevi, est γεύσασθαι. Ex quo poetae, cum eam syllaham producere volunt, faciunt πάσσασθαι. At πάσασθαι, prima longa, est κτήσασθαι. Unde est πολυπάμμων. Estque ea vox Dorum propria. Erit igitur πασάμενος, κτησάμενος. Atque hoc dicet Gorgo hospiti: Impera auxillis tuis, ἐπίτασσε αἰς κέντησαι. Nobis enim cum imperas, scito, te Syracusanis imperare: ne forte nos viles aliquas et abjectas esse feminas putas. Corinthiae sumus a prima origine, non minus quam Bellerophon. Postremo, quoniam hospes reprehenderat eas tanquam πλατειασθοίσας, id est, lato. et di- ducto ore pronuntiantes: (erat enim Dorum in Græcia eadem sere pronuntiatio, quæ in Italia Bergomatum). idcirco addit, se ita loqui, ut in Peloponneso loquerentur; ceterum non putare, causam esse ultam, cur non Doribus Dorice pronuntiare fas esset. In his autem duobus versibus, qui postea dicuntur

a Praxinoa, mihi quidem tenebræ sunt. Nam quod scholiastes ait, μελιτώδη vocari Persephonem, vix credibile mihi videbatur, ante quam legerem Porphyrii commentariolum περὶ τοῦ ἐν Ὄδυσσεϊ τῶν Νυμφῶν ἀντρον, qui mihi omnem hac de re scrupulum exemit. Ita enim ibi <sup>11)</sup> scriptum est: Πηγαὶ δὲ καὶ νάματα οἰκεῖα ταῖς ύδριάσι Νύμφαις· καὶ ἔτι γε μᾶλλον Νύμφαις, ταῖς Ψυχαῖς· ἃς ἰδίως μελίσσας οἱ παλαιοὶ ἐκάλουν, ἥδονῆς οὐσίας ἐργαστικάς· ὅθεν καὶ ὁ Σοφοκλῆς οὐκ ἀνοικείως τῶν Ψυχῶν ἔφη· Βομβεῖ δὲ νεκρῶν σμῆνος, ἔρχεται δ' ἄλη. Καὶ τὰς Δημητρὸς ἱερείας, ὡς τῆς χθονίας θεᾶς μυστίδας, μελίσσας οἱ παλαιοὶ ἐκάλουν, αὐτὴν τε τὴν Κόρην μελιτώδη. Optat igitur mulier a Persephone, quæ partibus præest, ne quis unquam nascatur, qui in ipsas imperium exerceat. Addit autem, præter unum: quoniam alioqui male precari videretur reginæ et optare, ne quis unquam ex ipsa filius nasceretur. Jam quod sequitur, οὐκ ἀλέγω, μή μοι κενεὰν ἀπομάξῃς, quam sententiam habere voluerit scholiastes, ipse viderit, cum illa sua præclara expositione: μή μοι κενεὰν ἀπο-

---

<sup>11)</sup> c. 18. p. 18 ed. van Goens.

*μάξης, μή μοι κενὸν τὸ μέτρον ἀποψήσῃς.*  
Et ille alter, qui ita reddidit:

*Non metuo, ne mensura tibi ludar inani.*  
Ego non dubito, quin pro *κενεὰν* legendum sit *κοριαν*, ut hoc mulier dicat: Non vereor, ne in me pulverem abstergeas, id est, ne me impune contemptam ac despiciatam habeas. Esset enim extremi contemptus signum, si quis pulverem e calceis aut e veste sua, ludibrii caussa, abstergere in alios vellet. Sed et in illo versu, qui paullo infra est <sup>12)</sup>:

*Ἄτις καὶ Σπέρχιν τὸν Ἰάλεμον ἡρίστενε,*  
pro *Ἰάλεμον* legendum crediderim *Ἰαλέμον*.  
Sed et illud *κενεὰν* defendit et explicat in novis lectionibus Canterus, idque ex Aurati sententia. Cedamus igitur non inviti. Auratō enim in litteris adversari, oὐ θέμις. (II, 20.)

### 3.

*De quorundam admirabili memoria.*

**H**ippias apud Platonem <sup>13)</sup>, tanquam de magno quodam et præstanti bono gloriatur, posse se quinquaginta nomina semel tantum

<sup>12)</sup> v. 98.

<sup>13)</sup> Hipp. maj. p. 14 ed. Bipont.

audita recitare. At hoc nihil est, præut quæ de se Seneca scribit, cuius haec sunt e libro primo <sup>14)</sup> declamationum: *Sed cum multa jam mihi ex me desideranda senectus fecerit, oculorum aciem retruderit, aurium sensum habetaverit, nervorum firmitatem fatigaverit; inter ea, quæ retuli, memoria est, res ex omnibus partibus animi maxime delicata et fragilis, in quam primum senectus incurrit.* Hanc aliquando in me floruisse, ut non tantum ad usum sufficeret, sed in miraculum usque procederet, non nego. *Nam duo millia nominum recitata, quo ordine erant dicta, referebam et ab iis, qui ad audiendum præceptorem nostrum convenerant, singulos versus a singulis datos, cum plures quam ducenti efficerentur, ab ultimo incipiens usque ad primum, recitabam.* Nec ad complectenda tantum, quæ vellem, velox erat mihi memoria, sed etiam ad continenda, quæ acceperat. Hæc Seneca: quæ semper mihi mirabilia ac, prope dixerim, incredibilia visa erant, donec vidi ipse, quod nunquam credidisse. Habitabat Patavii in vicinia mea homo adolescens, genere Corsi-

---

<sup>14)</sup> controv. princ.

cus \*), honesto, ut ferebatur, et credibile erat, apud suos loco natus, qui eo venerat ad jus civile discendum, quo in studio ita diligenter et attente annos aliquot consumpscerat, ut magna jam esset de doctrina illius hominum opinio. Ventitabat autem fere quotidie in ædes meas, devexo jam et inclinato sole, aestas enim erat, ibique, quod ædes satis amplæ erant satisque apricæ, aut sub dio ambulans et cum æqualibus suis jucundissime colloquens aut saltu aut lucta aut trigonali pila corpus exercens, fessas studiorum laboribus vires honestissime reficiebat. Rumor erat, tenere eum artem quandam memorie, cujus auxilio multa efficeret, quæ credi, nisi spectata, non possent. Is eum ad aures meas perlatus esset, cupido me incessit mirabilia illa et inaudita spectandi. Ejusmodi enim in rebus minime omnium auditis credulus esse soleo. Visum est igitur, quando ipse domo mea arbitratu suo uteretur.

---

\* ) Ego nomen hominis tam mirabilis citius, quam patriam, requisissem. Idque pertinebat ad fidem narrationi faciendam. R.

tur, hoc ab eo quasi ἐρωτικὸν exigere, ut quod sibi commodum foret, præsente me, artis suæ specimen aliquod daret. Ille nihil gravatus, lubentissimo animo se, cum vellem, facturum esse respondit. Placuit. Statim, cum per ipsum mora non esset, una omnes, qui aderamus, in proximum cubiculum ingressi, consedimus. Coepi ego dictare nomina Latina, Græca, Barbara, significantia, nihil significantia, tam varia, tam nihil inter se cohærentia, tam multa, ut et ego dictando, et puer, cui mandatum erat, ut ea exciperet, scribendo, et ceteri, qui aderant, audiendo atque exspectando, fessi jam miris modis essemus omnes. Ipse unus ex omni numero alacer ac recens, assidue plura poscebat. Sed cum ego ipse modum aliquem fieri oportere dixisset, abunde mihi satisfactum iri, si-vel dimidiā partem eorum, quæ dicta erant, recitare potuisset; tum ille, fixo ad terram obtutu, magna nostra omnium exspectatione, tacitus aliquamdiu stetit. Quid verbis opus est? vidi facinus, ut ille ait, misericordissimum. Ο δαιμόνιος ἐχεῖνος exorsus loqui, plane omnia eodem ordine, nusquam prope insistens, nusquam haesitans, nobis stupentibus, reddidit. Deinde ab ultimo in-

cipiens, sursum versus pervenit ad primum. Rursus ita, ut primum, tertium, quintum ac sic deinceps omnia diceret. Quo denique quisque voluerat ordine, sine ullo errore omnia referebat. Idem postea, cum ei jam familiarior factus essem, s<sup>e</sup>pe expertus, usque quaque verum deprehendi. Ipse mihi aliquando affirmavit, et erat ab omni jactantia alienissimus, se triginta sex millia nominum eo modo recitare posse. Quodque admirabilius est, ita hærebant omnia in animo, ut vel post annum diceret se, quæcunque memoriæ commendasset, minimo negotio repetiturum. Ego certe post multos dies, facto periculo, verum comperi. Neque hoc satis. Diversabatur apud me Franciscus Molinus, patricius Venetus, adolescens optimarum artium studiis mirifice deditus, qui, cum se memoria parum firma esse sentiret, oravit hominem, uti se artem illam doceret. Vix ostenderat, se id velle, cum Corsicus operam ei suam prolixissime detulit. Dictus est locus, dicta hora, ad quam quotidie convenirent. Nondum sex aut septem dies abiabant, cum ille quoque alter nomina amplius quingenta sine ulla difficultate, aut eodem aut quocunque alio libuissest ordine, repe-

bat. Hæc ego vix auderem litteris prodere, mendacii suspicionem reverens, nisi et res adhuc recens esset, (nondum enim annus est) et Nicolaum Lippomanum Petri Alexandri filium, Lazarum Mocenicum Francisci filium, Joannem Malipetrum Nicolai filium, Georgium Contarenum Laurentii filium, patricios Venetos, optimos et nobilissimos adolescentes, aliosque præterea innumerables ejus rei testes haberem. A quibus, si mentiretur, vanitatem meam coargui nolle. Argumentum vero illam Corsicus accepisse se dicebat ab homine Gallo, quo puer domestico præceptore usus esset. Huic ego, ne ex antiquitate quidem, quem opponam, habeo: nisi forte Cyrus, quem Plinius, Quintilianus<sup>15)</sup> et alii Latini scriptores tradiderunt tenuisse omnium militum nomina. Sed hoc, ut verum fatear, semper veritus sum, quam considerate atque explorate tradidissent. Xenophon enim, a quo illi vel uno vel præcipue, quæ de Cyro dicebant, accipere potuerunt, istud tam incredibile non dicit, sed tantam, eum tenuisse nomina τῶν ὀφ' αὐτῶν

---

<sup>15)</sup> Plin. H. N. VII, 24. Quintil. instit. or. XI, 2.

γῆγεμόνων. Quod ut in imperatore laudabile est, ita non excedit fidem. Locus, si quis requirit, est libro quinto <sup>16)</sup> παιδείας. Fieri autem potest, ut Latinorum aliquis, qui locum illum Xenophontis male accepisset, alios postea auctoritate sua in errorem induxerit. Hoc enim non semel novimus contigisse. Sed tamen hac de re nihil affirmo. Non erit alienum, ut puto, ascribere hoc loco distichon, quo Simonides <sup>17)</sup>, qui ejus, de qua locutus sumus, artis pater fuisse traditur, jam octogenarius gloriatus est, neminem sibi memoria parem esse:

Μνήμην δ' οὐτινά φημι Σιμωνίδη ἵσοφαρίζειν  
Θύδοηκονταετεῖ, πατὸν Λεωπρεπέος.

At Apollonius Tyaneus, cum centum haberet annos, tum quoque memoria excelluisse fertur. (III, 1.)

#### 4.

*Quae se facturos juriaverint Graeci cum Xerxis capiis congressuri.*

Praeclarum sane et magni animi plenum est jusjurandum illud, quo se obstrinxerant

<sup>16)</sup> c. 3. §. 47 ibique v. Zeun.

<sup>17)</sup> Anal. Brähck. T. I. p. 137.

Græci omnes, cum adversus copias Xerxi  
dimicaturi essent. Id autem in hæc verba  
conceptum est: *Vitam libertate pluris non  
faciam. Neque deseram imperatores, neque  
vivos neque mortuos, sed eos e sociis, qui in  
prælio occubuerint, omnes sepeliam; et, ubi  
barbaros devicerò, ex iis quidem civitatibus.  
quæ pro Græcia pugnaverint, nullam devasta-  
bo, quæ autem barbari partes sequi maluerunt,  
omnes decimabo. Fanorum, quæ a barbaris  
incensa et diruta sunt, nullum omnino excita-  
bo, sed sinam, impietatis barbaricæ extet in  
omni posteritate monumentum.* Adscribam et  
Græca, si quis ea forte cognoscere cupiat<sup>16)</sup>:  
Οὐ ποιήσομαι περὶ πλείονος τὸ ζῆν τῆς ἐλευ-  
θερίας· οὐδὲ καταλείψω τοὺς ὑγειόντας, οὐπ  
ζῶντας οὔτε ἀποθανόντας· ἀλλὰ τοὺς ἐν τῇ  
μάχῃ τελευτήσαντας τῶν συμμάχων ἀπαντάς  
θάψω. καὶ κρατήσας τῷ πολέμῳ τοὺς βαρβά-  
ρους, τῶν μὲν μαχεσαμένων ὑπὲρ τῶν Ἑλλά-  
δος πόλεων οὐδεμίαν ἀνάστατον ποιήσω· τὰς  
δὲ τὰ τοῦ βαρβάρου προελομένας ἀπάσας δε-  
κατεύσω· καὶ τῶν ἱερῶν τῶν ἐμπρησθέντων  
καὶ καταβληθέντων ὑπὸ τῶν βαρβάρων οὐδὲν

<sup>16)</sup> Lycurg. or. in Leocrat. p. 193.

ἀναικοδαμέσω παντάπασιν, ἀλλ' ὑπόμενην  
τοῖς ἐπιγινομένοις έάσω καταλείπεσθαι τῆς  
τῶν βαρβάρων ἀσεβείας. (III, 10.)

## 5.

*Historia de Pindaro poeta, multato a suis, ornato ab Atheniensibus.*

Pausanias in Atticis<sup>19)</sup> narrat, Athenienses, quod a Pindaro in quodam asmate laudati essent, tanti fecisse ampli illius ac grandiloqui poetæ testimonium, ut et dona ei plurima ob id miserint et statuam in civitate sua statuerint. Non igitur mirum est, si illis temporibus multi ac præstantes poetæ fuerunt: cum, qui ea facultate excellebant, et maximis muneribus honestarentur et honoribus amplissimis mactarentur. Aetate nostra vocalis ille olim Musarum chorus contiçuit; quæque avaritia marsupia potentium clusit, eadem venas Heliconii liquoris obstruxit. Sed quod de Pindaro perstringit Pausanias, id fusius edisserit in quadam epistola<sup>20)</sup> Aeschines. Ait enim, illum, cum Atheniensium

<sup>19)</sup> I, 8. p. 20.

<sup>20)</sup> ep. 4.

urbem commendasset his verbis, αἵτε λιπαροὶ καὶ δοιδιμοὶ Ἑλλάδος ἔρεισμ' Ἀθῆναι, multatum esse a civibus suis, ægre ferentibus, alienis eum potius, quam suis, illam tantam laudem dedit. Quod ubi rescivere Athenienses, confestim miserunt ei duplum ejus pecuniae, quam multæ nomine erat exactus, ipsumque ænea statua ornarunt. Ei statua visebatur Aeschinis ætate ante regiam porticum: sedens Pindarus cum pallio et diademate, lyram tenens et supra genua aper-tum librum. (IV, 1.)

## 6.

*Insularum fortunatarum descriptio et situs.*

P roditum est a veteribus poetis, esse quasdam in Oceano insulas, ad quas post mortem deferantur eorum animi, qui sancte religio-seque vixerint. Ibi eos inter se jucundissime ac suavissime vivere, in amoenissimo quodam prato, quod gemmea florum oculis náribusque gratissimorum varietate perpetuo distinctum picturatumque \*) sit. Nunquam

\*) *Picturatus*, poeticum verbum. R.

non illic nitere cælum, frondere arbores, pubescere herbas, ridere omnia, spirare assidue mollissimos Favonios, quorum flabellis arborum comæ leniter ventilatæ placidissimo murmure auribus blandiantur. Eo accedere innumerabilem vim ac copiam immortarium avicularum, quæ, usque et usque liquidissimos cantus tenui gutture funditantes, intimos audientium sensus incredibili volutate permulceant. Pratum ipsum perennibus rivulis varie intersecari, quorum aquula nitidissima ad versicolores lapillos molliter fracta et allisa susurrum efficiat dulcissimum. Ita, qua flosculorum ambrosios odores exhalantium suavitate, qua Zephyrorum viridanibus arborum ramis illudentium sibilo, qua volucrum concentibus, qua blando murmurantium rivulorum strepitu beatas illas mentes continententer hilarari. Ergo alios ad Orphei Amphionisve lyram choreas agere, alios psallere, alios corollas texere, alios in herba fusos, qua tellus tremulis laurorum ac myrtorum opacatur umbraculis, jucundissimos sermones conserere, humum ipsam opum suarum prodigam, sine ullo cultu, ter quotquot annis, ubertate summa, alimentorum copiam eis suggerere ac subministrare. Hæc

aliaque similia de insulis illis poetæ, ut dixi, fabulantur. Sed de earum situ non idem ab omnibus traditur. Nam cum plerique omnes, Homerūth secuti, eas in Hispaniæ finibus collöcent, non desunt tamien, qui Indiæ vicinas esse dicant; in primis autem mihi visum est admirabile et absurdum, quod apud Græcum quendam grammaticum \*) reperti, eas in Britannia esse. Taleth enim quendam fabulāth narrat: esse in littore ejus maris, quod insulam Britanniam alluat, homines quosdam piscibus capiendis vicitantes, qui Francis quidem pareant, neque tamen sint vectigales. Ii nonnunquam, in ædibus suis dormientes, audiunt vocem, qua inclinantur, sentiuntque, pro foribus adesse mul-

\*) Significat Tzetzen ad Lycophr. Cass. v. 1204, qui videtur hauisse e Procopii loco, generis sui unico, de bell. Goth. IV, 20, ubi mira narrantur de Brittia insula, animalium sede; sub cuius insula nomine an Hibernia lateat, an quid aliud, geographi viderint. Adhuc neminem scio recentiorum, qui commentata ista ad examen devocaverit. W.

titudinem quandam hominum summa cum  
hilaritate plaudentium; expergesfacti autem  
et domo exeuntes, neminem quidem conspi-  
cantur, naves tantum quasdam reperiunt,  
non suas, quas, ex ipso strepitu, vectorum  
plenas esse, intelligunt; subeunt igitur illas  
et ex consuetudine remigant Britanniam ver-  
sus et, quo alioqui ne velis quidem passis,  
secundo vento, suis navibus pervenire bre-  
viore quam quatuor et viginti horarum spatio  
soleant, eo tum unica, eaque non longa, ra-  
migatione deseruntur, ibi incognitos illos ve-  
ctores exponunt; cumque neminem omnino  
videant, sentiunt tamen, ingentem concursum  
fieri ad littus hominum congratulantium iis,  
qui recentes venerant, eosque maxima cum  
lætitia excipientium. Audiunt etiam eos in-  
ter se humanissime consulutantes, cum aliis  
alium proprio nomine, aliis a tribu, aliis  
ab artificio, aliis etiam gentis ac cognationis  
nomine appellat, tum, iisdem illis navibus  
conscensis, qua celeritate venerant, eadem  
revehuntur domum. Quin etiam a quodam  
historiæ scriptore \*) propositum est, C. Julium

---

\*) Scriptorem hunc ignoro, nec vacat quæ-  
rere. W.

Cæsarem eo aliquando una triremi cum centum hominibus delatum, cumque, incredibili loci amœnitate captus, sedes ibi capere vellet, ab illis ἀειδέσιν incolis invitum et reluctantem ejectum esse. (V, 1.)

## 7.

*Brevitatem et obscuritatem aptam esse ad terrorem inferendum, aliquot exemplis confirmationem.*

Brevitas loquendi et sermonis obscuritas imperiosum quiddam habet, ideoque aptissima est minantibus utraque mirificeque prodest ad animos eorum, quibuscum agimus, perterrefaciendos. Nam, ut in tenebris magis timentur omnia, quam in luce; sic illæ orationis quasi tenebræ terribilia reddunt ea, quæ proponuntur. Idque, ut opinor, secuti sunt Lacedæmonii, cum ad Philippum ita scripserunt: *Lacedæmonii Philippo. Dionysius Corinthi.* Multo enim fortior et, ut Lucretii verbo utar, penetralior illa brevitas fuit, quam si ita dixissent: Dionysius, cum aliquando præpotens tyrannus fuerit, uti tu es nunc tamen regno exutus privatam Corinthi vitam agit. Vide, ne, dum aliorum libertatem studies opprimere, idem tibi quoque con-

tingat. Quæ jam non deterrere, sed admone-re cupientium fuisset oratio. Neque dissimi-le illud Demetrii <sup>21)</sup> ad Locrenses: *Faxo, ci-cadæ apud vos humi canant*; cum significaret, totam a se illorum regionem devastatum iri. Atœas quoque, Scytharum rex, hanc olim epistolam ad Byzantinos misisse fertur: *Nolite vectigalibus meis detrimento esse, ne equæ meæ ad vos aquatum eant.* Idanthuras autem, qui et ipse Scythis regio imperio præfuit, multo etiam obscurius. Nam ad Darium, qui Istrum trajecrat, litteras quidem, qui-bus ei minaretur, misit nullas, sed pro litte-ris symbolum hoc: *murem, ranam, avem, sa-gittam, aratrum.* Cumque hæc in Darii ca-stris alius aliter interpretaretur; Orontopagas, tribunus militum, censuit, significari,

<sup>21)</sup> Stesichoro hoc dictum tribuit Aristote-les rhetor. II, 21. III, 11. Στησίχορος ἐν Λοχροῖς εἶπεν, ὅτι οὐ δεῖ ψυχιστὰς εἰ-ναι, ὅπως μὴ οἱ τέττιγες χαμόδεν ἀδωσιν, Dionysio, Siciliæ tyranno, Demetrius περὶ Ερμην. §. 99. Ac nescio, an Mure-tus Dionysii pro Demetrii scribere volue-rit. R.

eos omnium rerum deditioinem esse facturos  
 Domorum: hoc intrem innuers <sup>\*)</sup>. Aquarum, aeris, armorum, regionis: harum rerum symbola esse ranam, avem, sagittam, straram. At Xiphodres, longe alio modo interpretatus, Nos vero, inquit, quantum hæc symbola ostendunt, nisi aut terram subeamus, ut mures; aut aquam, ut ranæ; aut evoleamus, ut aves; non effugiemus ipsorum tela. Neque enim terræ, quam ipsi arant, domini sumus. Hoc Pherecydem Syrium narrare, ait Clemens Alexandrinus <sup>22)</sup>. Herodotus autem in Melpomene <sup>23)</sup> hanc ipsam historiam aliquanto aliter narrat. (V, 18.)

## 8.

*Homerum et Aeschylum Athenienses, Tyrtæon Lacedemonii quo honore affecerint.*

**H**omeri poemata quanti fecerint Athenienses quamque utilia esse ad inflammandos honestatis ac dignitatis amore animos judicarint,

<sup>\*)</sup> Innuo, pro significo, barbarum est R.

<sup>22)</sup> Strom. V. p. 567. D.

<sup>23)</sup> IV, 127.

hinc existimari licet, quod legem tulerant,  
ut quinto quoque anno in Panathenæis ejus  
unius ex omni poetarum numero carmina pu-  
blice canerentur. Ita enim cogitabant, leges  
præcipere quidem, quid faciendum fugien-  
dumque sit, sed, propter brevitatem, non do-  
cere; at poetas, qui, vitam hominum imitan-  
tes, res præclare ac fortiter gestas copiose  
exponerent easque propemodum ante ocu-  
los constituerent, aptiores esse ad persuaden-  
dum. Similem autem honorem habuerunt  
Lacedæmonii Tyrtæo. Cum enim ceteroqui  
a poeticis studiis alieni essent neque poeta-  
rum cantus libenter audirent, lege tamen  
constituerant, ut, quoties cum hostibus dimi-  
caturus in procinctu constitisset exercitus,  
convocarentur milites in tabernaculum re-  
gium ibique audiendis Tyrtæi carminibus  
ad spernendam \*) pro patria vitam incitaren-  
tur. Aeschylus quoque idem prope honos a  
populo Atheniensi tributus est. Unius enim

---

\*) Lambinus in epistola ad Muretum T. I.  
p. 399 docte disputans de discrimine in-  
ter *spernere* et *contemnere* malit *contem-  
nendam*. R.

ex omnibus tragicis fabulæ, ipso etiam mortuo, ut docerentur, decreto publico statutum erat. (VI, 6.)

## 9.

*Ecquid adhibenda sint in conviviis acroamata, an minus.*

**R**ectene faciant, an secus, qui tibicines aut citharœdos aut alia id genus acroamata in conviviis adhibent, merito ut dubitari posse videatur, duorum in philosophia summorum hominum hac de re, ut videtur, dissentientium facit auctoritas. Nam apud Platонem in *Protagora* <sup>24)</sup> Socrates abjectos modo et imperitos et circumforaneos homines id facere solitos dicit, qui, cum eam vim non habeant, ut urbana aliqua et eleganti collocutione tempus illud epularis accusationis traducere et mutuis sermonibus animos suos hilarare possint, ejus rei remedium a mimis et ab histrionibus et a vocum fidiumve cantibus petunt At, quas ad epulas boni et eruditæ convivæ convenerint, in eis neque tibicinam neque psaltriam audiri, neque saltatricem spectari

<sup>24)</sup> p. 163. Bip.

ullam, ablegatis eos ejusmodi nugis atque ineptiis modeste inter se et hilare colloqui, neque unquam deesse ipsis, de quo sermones jucundissimos conferant, etiam si multam in noctem convivium producatur. Itaque ex illo nobili apud Agathonem convivio ejicitur tibicina et aut sibi aut mulieribus canere jubetur. At hercule alumnus ejusdem disciplinæ Xenophon in id convivium, in quo et Socrates esset et Antisthenes et alii sapientia præstantes viri, non modo Philippum excitandi risus artificem induxit<sup>25)</sup>, verum etiam, sublatis epulis, Syracusanum illum commessatorem cum tibicina et saltatrice et formoso puerō, qui et ipse tum saltando tum fidibus canendo summa eos, qui aderant, voluptate perfunderet. In Homericis etiam epulis et Phemius<sup>26)</sup> canit et Demodocus<sup>27)</sup>, et in Virgiliano<sup>28)</sup> Jopas. Sed hæc fortasse aliquis intemperantium procorum et luxuriosi regis et reginæ jam tum amoris telo percussæ di-

---

25) conviv. c. 2.

26) Od. I, 154. XXII, 330 sqq.

27) Od. VII, 44 sqq. 261 sqq. 482 sqq.

28) Aen. I, 740 sq. ibique v. Heyn.

xerit esse convivia. Quid, quod, epulantibus  
diis, canere Apollinem et Musas ferunt? Nam  
Euripidi<sup>29)</sup>, quidem sententiam mirari sepe  
sealeo, qui non in conviviis, sed in luctu po-  
tius musicam adhibendam esse censem, quod  
convivia satis ipsa per se laeta sint; in luctu  
autem querendum sit aliquid, quo minatu-  
tur dolor. Ego vero, si usquam, inter pocu-  
la maxime talibus blandimentis et relaxatio-  
nibus animi locum esse duco neque, dum  
ea moderatio retineatur, ut turpitudo omnis  
et obscenitas absit, caussam video ullam,  
cur in mensa aut comedum aversari, aut  
autoedum fiducinemve refugere sapientia de-  
beat. Nam, si semper tam facundi ac diserti  
convivae contingenter, quam illi sunt Plato-  
ni, tam fortasse non immixto talia omnia  
excluderentur. Quod enim esse potest tam  
mirabile aeroama, quod non collatum cum  
illorum sermonibus sordeat? Quos equidem  
arbitror, si Apollinem vidissent ipsum cum  
lyra et plectro ingredientem, uno ore omnes  
oraturos fuisse, ut aut abscederet aut ne can-  
tu suo sermones abrumperet institutos. Et

---

<sup>29)</sup> Med. 199 sq.

**tamen**, ni valde fallor, non multo turpis  
fuisset tibicinæ alicujus cantum audire, quam  
vel orationem Aristophanis vel ea, quæ de  
Socratis temperantia ebritis Alcibiades intem-  
perantissime narrat. (VI, 15.)

## 10.

*Poetarum et apum comparatio. Illustratus Horatiū  
versus, Necte meo Lamiae coronam.*

**L**ibenter ac sæpe faciunt poetæ, ut se quidem apibus, studium autem suum mellificio cuidam comparent. Neque, si quis diligenter inspiciat, parum multa utrisque inter se similia reperientur. Apes in struendis operibus suis naturam tantum magistram sequuntur, artem non adhibent. Sic et poetæ natura tantum valent; arte, si qui se postarum nomen tueri posse confidunt, eos gravissimus auctor Plato <sup>30)</sup> pronunciat, nihil unquam egregium ac memorabile effecturos. Itaque Pindarus eo se gloriatur adversariis suis, Bacylyide nimirum et Simonide, esse superiorem, quod ipse natura poeta sit, illi autem didicerint a magistris, in quo tantum esse

---

<sup>30)</sup> in Ione, Phædro et alibi passim.

vult, ut eo potissimum nomine se aquila  
illos corvorum similes esse dicat<sup>31)</sup>),

*σοφὸς, inquit, ὁ πολ-  
λὰ, εἰδὼς φυῖ·  
μαθόντες δὲ, λάβροι  
παγγλωσσίᾳ, κόρακες ὡς,  
ἄκραντα γαρύετον  
Διός πρὸς ὅρνιχα θεῖον.*

Apes, nisi irritentur, innocuae sunt; irritantur aculeis eos, a quibus læsse sunt, et acerbissimos eis dolores infligunt. Idem poterit ingenium. Nulla, ubi non læduntur, innocentior hominum natio; laceri, ita et ulciscuntur, ut interdum eos, quibus offenserant, ad mortem adegisse narrentur. Nam præter id, quod de Archilocho accepimus, novi ego, qui hac ætate tantum versibus suis inimico dolorem inusserit, ut ex eo ille sit mortuus. Neque non hoc de se ipsis poetæ prædicant, quorum sunt illa:

*Cave, cave: namque, in malos asperimus,  
Parata tollo cornua<sup>32)</sup>. Et,  
Ne quisquam noceat cupidō mihi pacis. At illi,*

<sup>31)</sup> Olymp. II, 154.

<sup>32)</sup> Hor. epod. VI, 12.

*Qui me commorit, (melius non tangere! clamo)  
Flebit et insignis tota cantabitur urbe<sup>33).</sup>*

Quocirca Plato in Minoe<sup>34)</sup> præcipit iis, qui bonæ famæ studiosi sunt, ut diligenter ca-  
veant, ne cum poetis inimicitias suscipiant.  
Apes, e variis floribus succum exprimentes,  
opus dulcissimum consciunt. Poetæ quoque,  
vagantes per hortos illos Gratiarum et Vene-  
ris, de quibus est apud Pindarum<sup>35),</sup> et ex  
iis bellissimum quodque carpentes, ea con-  
cinnant carmina, quibus ne mel quidem  
ipsum mellitius videri potest. Inde igitur  
illa sunt:

*Floriferis ut apes in saltibus omnia libant,  
Omnia nos itidem depascimur aurea dicta,  
Aurea perpetua semper dignissima vita<sup>36).</sup> Et,  
— *Ego apis Matinæ  
More modoque  
Grata carpentis thyma per laborem  
Plurimum, circa nemus uvidique**

<sup>33)</sup> Id. serm. II, 1, 44.

<sup>34)</sup> p. 140. Bip.

<sup>35)</sup> Ol. IX, 59.

<sup>36)</sup> Lucret. III, 59.

*Tiburis ripas, operosa parvus  
Carmina fingo* <sup>37).</sup>

Merito igitur Eustathius ait, αρεμ ζῶον εἶναι συγγενές τῇ ποιήσει, διά τε τὸν μόχθον τὰς ἐπὶ τῇ ἐργασίᾳ, καὶ διὰ τὴν τοῦ ἐργου γλυκύτητα, καὶ τὸ τοῦ κηρίου εὐσύνθετον· ὃν πάστων μετέχει καὶ ἡ ποίησις, πόνῳ τε προῖστα, οὐδὲν γάρ τῶν καλῶν πόνους χωρέει, ἔχοσσα δὲ καὶ γλυκύτητα οὐκ ὀλίγην, ἐναγλαῖζομενη δὲ καὶ τῇ τοῦ μέτρου εὐσυνθεσίᾳ. Est etiam, cum poetæ, jucundissima quadam allegoria utentes, poemata sua coronas vocant, quibus ajunt ornari ac redimiri a se caput illius, quem laudant, ut in Pythiis <sup>38)</sup>: σὺ εὐμενείᾳ δέξαι στεφάνωμα τόδε, et alibi sæpe. Quod imitatus Horatius <sup>39)</sup> dixit:

— o quæ fontibus integris  
*Gaudes, apricæ necte flores,*  
*Necte meo Lamite coronam,*  
*Pimpæa dulcis.*

Deliciæ autem mee, Euripides, Hippolytum quoque de hymno, quo Dianam celebrave-

37) Hor. carm. IV, 2, 27.

38) XII, 8.

39) carm. I, 26, 6.

rat, ita ut de corona quapiam loquentem facit<sup>40)</sup>:

Σοὶ τόνδε πλεκτὸν στέφανον ἐξ ἀκηράτου  
λειμῶνος, ὃ δέσποινα, κοσμήσας φέρω,  
ἔνθ' οὕτε ποιμὴν ἀξιοῦ φέρειν βοτὰ,  
οὐδὲν ἡλθέ πω σίδηρος. ἀλλ' ἀκήρατον  
μελίσσα λειμῶν' ἡρινὸν διέρχεται.  
αἰδὼς δὲ ποταμίαισι κηπεύει δρόσοις.  
ὅσοις διδακτὸν μηδὲν, ἀλλ' ἐν τῇ φύσει  
τὸ σωφρονεῖν εἴληχεν εἰς τὰ πάντ' ἀελ,  
τούτοις δρέπεσθαι, τοῖς κακοῖσι δ' οὐ θέμις.  
ἀλλ', ὃ φίλη δέσποινα, χρυσέας κόμης  
ἀνάδημα δέξαι χειρὸς εὐσεβοῦς ἄπο.

Atque equidem hos versus, si potero, vel potius, utcunque potero, Latine exprimam, ut etiam ii, qui Græce nesciunt, singularem eorum suavitatem quoquo modo odorentur. Ab iis autem, qui Græca per se satis intelligunt, valde peto, ut hæc mea aut ne legant aut conniventibus oculis legant:

*Tibi hanc corollam, diva, nexilem fero,  
Aptam e virentis pratuli intonsa coma,  
Quo neque protervum pastor unquam inigit  
pecus,  
Neque falcis unquam venit acies improbæ.*

<sup>40)</sup> Hippol. 73.

*Apis una flores vere libat integros,*  
*Puris honestus quos rigat lymphis Pudor.*  
*Illis, magistri quos sine opera perpetem*  
*Natura docuit ipsa temperantiam,*  
*Fas carpere illinc; improbis autem nefas.*  
*At tu aureæ, regina, vinculum comæ*  
*Amica suscipe, pia quod porgit manus.*  
 Et quoniam semel audere coepi, subjungam  
 etiam versus aliquot ex edyllio, quod ab  
 hinc annos novem ad Franciscum Turso-  
 nium, cardinalem omnibus maximis honoris-  
 bus dignissimum, scripsi. In eo igitur ita  
 erat, in extremo:  
*Ipse ego tum, e terra pennis sublatus Amoris,*  
*Per Charitum Venerisque hortos pictosque*  
*perenni*  
*Flore ferar campos et vulgo incognita prata,*  
*Unde metens violasque et purpureos hya-*  
*cinhos*  
*Intactasque rosas immortalesque amaranthos,*  
*Non prius auditio texam tibi more corollam,*  
*Quæ, dannosi expers senii, tua tempora circam*  
*Ardeat æternoque nitens scintillet honore,*  
*Donec ad æquoreis ignotos fluctibus ignes*  
*Clara Ariadneæ rutilabunt signa coronæ.*

(VIII, 1.)

## 11.

*Locus Platonis e Phædro, allata vetere quadam Atheniensium consuetudine illustratus.*

Socratem Phædrus cum adducere vellet ad idem argumentum tractandum, quo ipse scriptam Lysiæ orationem paullo ante recitarat, ita ei blandiens apud Platonem <sup>41)</sup> inducitur: *Kai σοι ἐγώ, ὡςπερ οἱ ἐννέα ἀρχοντες, ὑπεσχυνοῦμαι χρυσῆν εἰκάνα ἰσομέτρητον εἰς Δελφοὺς ἀναθήσειν, οὐδὲ μόνον ἐμαυτοῦ, ἀλλὰ καὶ σήν.* Quæsitum est autem ex me, quænam esset aurea illa statua, quam Delphis ponere solitos archontas, ex eo intelligetur, et qua de caussa id fieret. Respondi, novem Atheniensium archontas, id est, eponymum, regem, polemarchum et sex thesmothetas, cum magistratum inirent, publice jurare solitos, se observaturos esse leges neque passuros, fidem suam donis muneribusve corrumphi; si quis ipsorum secus fecisset, eum multæ nomine auream statuam suam pensurum esse. Ejus rei auctor est Julius Pollux libro onomastici ad Commodum Cæsarem

<sup>41)</sup> p. 297. Bip.

octavo <sup>42)</sup>). Cypselidarum autem anathema, de quo non ita multo post ea, quæ posui, verba apud Platonem mentio est, quodnam fuerit, copiose Pausanias in Eliacis docet <sup>43)</sup>. (VIII, 18.)

## 12.

*De lege quadam Persarum humanitatis plena.*

Multæ olim apud Persas leges fuisse traduntur, ex quibus facile intelligi potest, singularem quandam ejus gentis sapientiam fuisse. Atque earum in unam nuper cum incidenterim <sup>44)</sup>, quæ neque multis, nisi me fallit animus, cognita est et dignissima, quæ cognoscatur ab omnibus; judicavi, non ingratum fore iis, qui hæc legent, si eam hoc loco proponerem. Erat igitur apud eos ita constitutum, ut, cum quis in judicio argueretur aliquid fecisse contra leges, etiam si liquido constaret, eum culpæ affinem esse, non tamen statim condemnaretur; sed prius

<sup>42)</sup> c. 9. §. 86.

<sup>43)</sup> c. 17. p. 419 sqq.

<sup>44)</sup> ap. Herodot. I, 137.

inquireretur diligentissime in omnem illius vitam, inireturque ratio, plurane turpiter et flagitiose, an bene laudabiliterque gessisset. Tum, si vincebat turpium numerus, condemnabatur, sin præponderabantur \*) honestis turpia, absolvebatur. Cogitabant enim, humanarum virium non esse rectum cursum perpetuo tenere: habendos pro bonis viris eos, non, qui nunquam peccarent, sed, qui saepius honeste agerent. Hanc ipsam legem ego ab iis quoque, quorum in manus habri venient, observari summopere cupio, ut ne statim eos rejiciant ac condemnent, si quid in eis a me peccatum deprehenderint. Nam si, ratione fideliter inita, major τῶν ἐσφαλμένων, ητῶν κατωρθμένων, numerus fuerit, tum equidem, quin rejiciantur et sordeant, non recuso. (VIII, 25.)

## 13.

*Illustratus Horatii ex odīs locus.*

Cum tanta esset apud veteres infamia eorum, qui abjecto clypeo fugerant, quosque

---

\*) Forte Muretus scripsit *præponderabant.* R.

contumelioso nomine, ut notum est, φιλάσπιδας vocabant, quid in mentem venisse dicemus elegantissimo poetæ Horatio, eam ut notam sibi ipse versibus suis inurere voluerit? Nota enim sunt illa ex oda ad Pompejum Varum<sup>45)</sup>:

*Tecum Philippos et celerem fugam  
Sensi, relicta non bene parmula:  
Cum fracia virtus, et minaces  
Turpe solum tetigere mento.*

An id ei ingenium fuit, ut non in alios modo, sed in se ipsum quoque libenter dicta diceret vinetaque, ut alibi ait<sup>46)</sup>, ipsem cæderet sua? An in homine minime militari Mercurialique potius, quam Martiali, neque ad arma, sed ad amores et ad pocula et ad libros tractandos nato aperta illa et simplex timiditatis suæ professio jucunda potius, quam ignominiosa est? Nam, quod eum quoque ipsum, ad quem scribit, in ejusdem culpæ societatem vocat, videri potest fecisse Xenæneti Atheniensis exemplo, cuius est nobilis illa responsio ad cives suos objurgantes eum, quod fugisset, Μεθ' ὅμῶν γε, ὡς φίλαι κεφα-

<sup>45)</sup> II, 7, 9.

<sup>46)</sup> Hor. ep. II, 1, 220.

*λαὶ.* Omnino tamen verisimilius esse arbitror, Horatium hac quoque in re Archilochi, ad cujus se imitationem studiose comparaverat, similem esse voluisse. Si quidem et ille, ut alia turpiter a se facta, quod apud Aelianum <sup>47)</sup> legimus, prædicaverat, ita, cum in pœlio adversus Sajos, Thraciæ populos, eadem ratione expediisset salutem suam, notum id posteris suo ipsius præconio esse voluit cecinitque hoc modo:

*Ασπίδι μὲν Σαιτῶν τὰς ἀγάλλεται, ἦν παρὰ  
θάμνῳ*

*Ἐγτος ἀμώμητον κάλλιπον οὐκέ εἰδέλων.*

*Ψυχὴν δ' ἐξεσάωσα φυγῶν· ἀλλ' ἀσπὶς ἐκείνη  
Ἐρρέτω· ἦς αὐθίς κτήσομαι οὐ κακίω* <sup>48)</sup>.

Ita enim eos versus lego, etsi aliter Alciatus. Sed et ille bello ferox, ille tyrannorum exactor Alcæus, quem etiam apud inferos, ut hic <sup>49)</sup> ait, canentem pugnas et exactos ty-

<sup>47)</sup> V. H. X, 14 ibique v. Perizon.

<sup>48)</sup> ap. Aristoph. Pac. 1296. Strab. XII.  
p. 827. Plutarch. inst. Lacon. c. 34. p. 357  
ed. Wyttensb. T. I. P. II. et Sext. Empir.  
P. H. III, 24.

<sup>49)</sup> carm. II, 13, 26 sqq.

rannos mirantur umbræ, non ita fuit prodigus animæ, ut non fugere aliquando maluerit, quam mori; qui et ipse, ne hoc nesciremus, versibus id suis mandavit, ut auctor est Herodotus in *Terpsichore*<sup>50)</sup>, in quo malitiam quandam Herodoti notat Plutarchus<sup>51)</sup>. Ita ut videatur ἡ φιλοψυχία poetarum quasi quidam morbus; possintque ad multos eorum accommodari, quæ apud Homerum<sup>52)</sup> Veneri Jupiter dicit:

Οὐ σοι, τέχνην ἐμὸν, δέδοται πολεμῆσαι ἔργα  
Ἄλλὰ σύ γ' ἴμερόεντα μετέρχεο ἔργα γάμου·  
Ταῦτα δ' Ἀρηὶ θοῷ καὶ Ἀθηνῷ πάντα μελίσσα  
(IX, 2.)

#### 14.

*De Mitylene Horatii loci duo illustrati.*

**N**on temere est, quod Horatius Mitylenea inter urbes pulcerimas numerat, tum in odis<sup>53)</sup>:

<sup>50)</sup> V, 95.

<sup>51)</sup> de Herod. malign. c. 15. p. 446. ed. Wytt  
T. IV. P. I.

<sup>52)</sup> Il. V, 528.

<sup>53)</sup> I, 7, 1.

*Laudabunt alii pulcram Rhodon aut Mitylenen;  
tum in epistolis<sup>54)</sup>:*

*Incolumi Rhodos et Mitylene pulcra facit, quod  
Pœnula solstitio, campestre nivalibus auris.*

Talem enim fere fuisse proditum est, quales sunt, quæ hodie non Italæ modo, sed universo orbi terrarum ornamento sunt, Venetiæ. Nam et in Mitylenen influens mare multis eam euripis distinguebat ac dissecabat, et pontes tota urbe plurimi erant ex candido ac polito lapide facti, ut non urbs, sed insula amoenissima videretur. Id ita exponit dulcissimus ac suavissimus scriptor, Longus, principio<sup>55)</sup> ποιμενικῶν his verbis: Πόλις ἐστὶ Λέσβου Μιτυλήνη μεγάλη καὶ καλή. διείληπται γὰρ εὐρίποις, ύπειρεούσης τῆς θαλάσσης, καὶ κεκόσμηται γεφύραις ἔεστοῦ καὶ λευκού λιθον. νομίσεις οὐ πόλιν ὄραγ, ἀλλὰ νῆσον. Eo autem libentius ex eo pauca hæc protuli, quod et confirmant Horatii de nobilissima urbe testimonium, et Longi liber lectu dignissimus nondum, quod sciam, publicum accepit. (IX, 16.)

<sup>54)</sup> I, 12, 17.

<sup>55)</sup> c. 1.

## 15.

*De duobus locis ex primo libro commentariorum Cæsaris de bello Gallico.*

**L**egebamus animi caussa primum librum commentariorum Cæsaris de bello Gallico, ego et Horatius Macaranus, elegantissimo ingenio et honestissimis moribus prædictus adolescens; et, ut ei quidque occurrerat, in quo hæreret, ita aut ex me sciscitabatur sententiam meam aut etiam suam ipse modeste ac verecunde proferebat. Cum igitur ventum esset ad eum locum, ubi Arioistus Cæsar's legatis respondet<sup>56)</sup>), *Aeduis se obsides redditurum non esse, neque iis neque eorum sociis injurya bellum illaturum, si in eo manarent, quod convenisset, stipendumque quotannis penderent; si id non fecissent, longe iis fraternalium nomen populi R. afuturum; iis recitatis, paullulum substitit Horatius et, Quando, inquit, mihi licere voluisti omnia dicere, quæ in mentem venirent, non dissimulabo, vereri me, ne hoc loco, ubi est afuturum, una littera extrita, legi debeat futurum.* Re-

<sup>56)</sup> c. 36.

cens enim sum a lectione ultimi Aeneidos,  
abi commemini ita Turnum loqui <sup>57)</sup>:

*Longe illi dea mater erit, quæ nube fugacem  
Feminea tegat, et vanis sese occulat umbris.*

Ut ergo illic Turnus minatur, longe Aeneæ futuram matrem; ita hic Arivistus, longe Aeduis fraternalum nomen populi R. fore. Tum ego, Acute, inquam, istuc a te, Horati, et ingeniose cogitatum est; et, quo tibi magis etiam de ista tua conjectura placeas, scito, eandem adprime eruditus hominis Gabrielis Faerni fuisse, cum uno illo, quo tu quoque usus es, Virgilii testimonio niteretur, certe que eodem modo locutus est optimus et ipse Latinitatis auctor Ovidius octavo metamorphoseon <sup>58)</sup>:

*Pone, age, nec titulos intercipe femina nostros,  
Thespiadæ clamant; nec te fiducia formæ  
Decipiat, ne sit longe tibi captus amore  
Auctor.*

Sed tamen, cum eadem veterum librorum scriptura sit, quæ vulgata, nihil est caussæ, cur quidquam mutandum putemus. Nam hoc quoque alterum loquendi genus veteribus

<sup>57)</sup> XII, 52.

<sup>58)</sup> v. 433.

non inusitatum fuisse, ex eodem illo, quem modo citavi, Ovidio cognoscitur, apud quem ita legimus libro quarto <sup>59)</sup>:

*Huic quoque, vade procul, ne longe gloria  
rerum,*

*Quas mentiris, ait, longe tibi Juppiter abs.  
Paullo autem infra eum, quem dixi, Cæsar  
locum locus alius <sup>60)</sup> est in omnibus, quo  
ego quidem viderim, libris depravatus, quem  
qui nuper emendare voluerunt, magis etiam  
corruperunt. Nam, cum dixisset Cæsar, e  
Gallorum sermonibus de Germanorum virtu-  
te tantum extitisse in exercitu Romano me-  
tum, ut non mediocriter omnium mentis  
animosque perturbaret, *Hic*, inquit, *primus*  
*ortus est a tribunis militum ac præfectis reb-*  
*quisque, qui, ex urbe amicitiae caussa Ca-*  
*sarem secuti, magnum periculum miserabantur,*  
*quod non magnum in re militari usum habe-*  
*bant.* Ita enim habent veteres tum calamo  
notati tum typis descripti libri. At in iis,  
qui postea editi sunt, addita est negatio, hoc  
modo: *Non magnum periculum miserabantur.*  
Sed, qui attente totum locum consideraverint,*

<sup>59)</sup> v. 648.

<sup>60)</sup> c. 59.

facile intelliget, legendum esse *Magnum periculum esse rebanur.* (X, 4.)

## 16.

*Emendati loci aliquot ex primo libro annalium Taciti ab excessu divi Augusti.*

Multa jam pridem notaveram in C. Cornelium Tacitum eaque, ut soleo, cum amicis compluribus communicaveram cogitabamque eum, si daretur occasio, edere a multis, studio atque opera mea, errorum maculis vindicatum. Sed, dum diem ex die duco, exspectans ejus, quod animo conceperam, efficiendi atque exequendi maturitatem: ecce tibi Justus Lipsius, adolescens eleganti ingenio praeditus mihiique, dum Romæ fuit, per familiaris, tam diu sibi cunctandum esse non putavit. Sed, cum ipse quoque ex veteribus libris, quos hic nactus erat, multa correxisset, nonnulla etiam acute et ingeniose excogitasset, Taciti libros a se emendatos et illustratos publicavit. Qui cum ad me perlati essent, eosque una ego et Gibertus Oddus Perusinus, quicum ego ante hos duodecim annos Tacitum totum diligenter evolveram, curiose cum eo, qui tum a me emen-

datus erat, conferre ac contendere cœpissimus, deprehendimus, ita sæpe incurrisse utrumque nostrum in eadem vestigia, ut, qui rem non nosset, pleraque sumpsisse alterum ab altero suspicaretur. Quam tamen suspicionem et a me, si nihil aliud, temporum ratio facile amolitur, neque cadere in Lipsium sinit fides ipsius ac probitas, qua ille non minus, quam ingenio excellit. Gavisus sum, adolescenti, cuius ego crescenti gloriæ plurimum faveo, tantam extitisse mecum his quoque in rebus consensionem ac judicii similitudinem; et tamen pauca quædam, in quorum nonnullis non prorsus mihi cum illo convenit, subjicienda duxi, non tam certandi studio, quam propter amorem, ut ait vetus poeta. Primum igitur sub principium libri primi annalium <sup>61)</sup> lego: *Donec gliscente adulazione detererentur, ut Aemilius; non deterrerentur, ut Lipsius.* Libertate enim aluntur et gliscunt ingenia; adulazione, qua nihil servilius est, degenerant et deteruntur. Est autem oratio venustior illa contrariorum contentionem. *Gliscere enim est crescere, d-*

<sup>61)</sup> I, 1.

*seri* deminui. Illud *pluribus munimentis insisteret* <sup>62)</sup>, jam pridem a me ita emendatum erat, eodemque modo versus Ennianus apud Ciceronem <sup>63)</sup>:

*Nam tibi munimenta mei peperere labores.*  
 Paullo autem infra eum locum ita lego: *Igitur verso civitatis statu, nihil usquam prisci et integri moris: omnes, exuta aequalitate, jussa principis adspectare, non, ut vulgo, omnis.* Et de Tiberio <sup>64)</sup>: *Ne iis quidem annis, quibus Rhodi, specie secessus, exul egerit, ubi vulgo, exulem egerit.* Jam illud: *Serviendum feminæ duobusque insuper adolescentibus, qui remp. interim premant, quandoque distrahant, prorsus integrum esse censeo, hoc sensu: fore, ut duo illi adolescentes interim, dum imperaturus est Tiberius, remp. premant, quæ eos quoque aliqua ex parte dominos habitura sit; quandoque autem, nempe Tiberio mortuo, quandocunque tandem id futurum sit, eandem distracturi sint.* Cum verisimile sit, fore, ut uterque fautores et

<sup>62)</sup> annal. I, 3.

<sup>63)</sup> de fin. II, 32.

<sup>64)</sup> c. 4.

sectatores habeat, per quos operam det, ut, summoto altero, ipse in imperium succedat. Tunc igitur remp. in partes ac factiones distractum iri. *Quandoque autem ita positum est;* ut in illo loco libri quinti<sup>65)</sup>: *Et tu Galba quandoque degustabis imperium.* Sed nihil mihi tam præter opinionem accidit, quam eam conjecturam, qua ipse mihi præcipue placebam, quam eruditissimis hominibus sæpissime ostentaveram, quam ut filiolam amplexabar meam, legendum esse *Gnarum id Cæsari*<sup>66)</sup>, ubi ante me omnes nullo sensu legerant *C. Navum id Cæsari*, eam Lipsio quoque in metem venisse. Cogitavi autem, idem mihi evenisse, quod multis patribus, qui, dum adulatas ac nubiles filias nimium diu domi habent eisque conditionem querere negligunt, efficiunt interdum, ut ipsæ sibi maritos querant. Sed, ut ut sit, quoniam de eo Taciti loco multa dicenda sunt, ea proximo capite exsequemur. (XI, 1.)

65) Non V, sed VI, cap. 20. *W.*

66) c. 5.

## 17.

*Quiddam, quod occulit significaverat Homerus, non  
mintri artificio a Virgilio significatum esse.*

**U**t inferos esse, ubi a sceleratis hominibus poenae post mortem exigantur, nemini unquam sano dubium fuit; ita excubantem pro inferorum foribus Cerberum et Acheruntis transvectionem et caussae dictionem ad Minois tribunal et pertusis dolis aquam haurientes puellas et Ixionis sibi assidue imminentem fugam et metuentem, ne aut siti aut impendentis saxi casu denuo moriatur, Tantalum et totam denique illam in Plutonis domo tragœdiam, quicunque ex veteribus paullo cordatores erant, in somniorum aut anilium fabellarum loco semper habuerunt. Itaque et Cicero primo libro<sup>67)</sup> Tusculanarum ea irridere ac pictorum et poetarum portenta vocare non veretur, quæ convincere nihil negotii sit; et aliorum quamlibet multa testimonia colligi possunt, ex quibus constet, eandem illorum quoque his de rebus fuisse sententiam. Sed et antiquissimus

<sup>67)</sup> c. 5 et 6.

poetarum Homerus tecta quadam urbanitate significavit, quæcumque ipse de inferis cecinisset, talia esse, qualia interdum mulierculis et puerulis ad focum sedentibus, aut falendi aut conciliandi somni gratia, narrari solerent. Facit enim, Ulixem moneri<sup>68)</sup> a matre, ut quam primum superos repeatat, quæque apud inferos vidit, mente condita teneat, ut habeat, quod uxori narrare possit:

'Αλλὰ φόωδε τάχιστα λιλαίο. ταῦτα δὲ πάντα

·Ισθ', ίνα καὶ μετόπισθε τεῇ εἰπησθα γυναικί.  
Ut tantum non aperte dicere videatur,

Πᾶρ πυρὶ χρὴ τοιαῦτα λέγειν χειμῶνος ἐν  
ώρῃ<sup>69).</sup>

Summus autem Homericarum virtutum imitator Virgilius<sup>70)</sup> aliam rationem commentus est, qua idem obscure ac symbolice indicaret. Nam, cum duas, ex Homero hoc quoque, Somni portas fecisset, corneam unam, qua vera; eburnam alteram, qua falsa insom-

68) Od. XI, 222.

69) Xenophanes ap. Athen. II, p. 209. ed. Schweighæuser. Vol. I.

70) Aen. VI, 894. Conf. Odyss. XIX, 563.

nia mitterentur; Aenean, spectatis illis inferorum portentis, porta eburna egredientem facit, ut sagacibus lectoribus suspicandum relinqueret, talem esse totam illam τερατολογίαν, qualia somnia ex inferis eadem illa porta exire dixisset. (XI, 7.)

## 18.

*Ciceronis locus e Sophocle expressus.*

Praeclarum sapiētiæ præceptum est, debere unumquemque nostrum majorem curam habere ejus temporis, quod post mortem nostram consecuturum est, quam brevis illius et exigui, quo in hac vita sumus. Itaque graviter et magnifice Cicero in quadam ad Atticum epistola<sup>71)</sup>, *Longum*, inquit, *illud tempus, cum non ero, magis me movet, quam hoc exiguum.* Nam, quod ita locutus est, *cum non ero*; in eo secutus est consuetudinem vulgi, non, quod eos, qui ex hac vita mi- grassent, non amplius esse opinaretur. Quan- quam autem hæc sententia suapte sponte in

<sup>71)</sup> XII, 18.

mentem ei venire facile potuerit; tamen facile adducor, ut hominem eruditissimum et in Græcorum poetarum lectione exercitatissimum cogitasse putem de loco Sophoclis, apud quem Antigone, cum fratrem inseptum jacere nollet et certo tamen sciret, si eum adversus Creontis edictum sepeliisset, sibi quoque moriendum esse; non tamen propterea absterretur ab illius pii erga fratrem muneric functione, cum dicat, multo longius esse tempus, quo se placere ac probari oporteat inferis, apud quos perpetuo futura sit, quam iis, qui in hac vita versantur. Verba ipsius hæc sunt<sup>72)</sup>:

Φίλῃ μετ' αὐτοῦ κείσομαι, φίλου μέτα,  
Οσια πανουργήσασ'. ἐπεὶ πλείων χρόος,  
Ον δεῖ μ' ἀφέσκειν τοῖς κάτω, τῶν ἐνδάδε.  
Ἐκεῖ γὰρ αἰεὶ κείσομαι.

(XI, 12.)

<sup>72)</sup> v. 73.

## 19.

*De Arimaspis, cui dicti sint unum tantum oculum habere; item de populis, apud quos pueri oblongo capite nascuntur.*

**H**omines esse quosdam in Scythia, tradiderunt ex antiquis nonnulli, qui unum tantum in media fronte oculum haberent. *Arimaspis* nomen est, quos et Aeschylus<sup>73)</sup> ex eo μονῶπας vocat. Ipsum quoque Arimasporum nomen ex re illis inditum putant. Scythica enim lingua *ari* unum esse, *maspon* oculum<sup>74)</sup>. Sed quibus curae fuit veritatem rerum diligentius indagare, eam gentem arcu et sagittis excelluisse memorant, quas cum dirigerent alterumque, ut fit, oculum clauderent adsiduique in eo studio essent, dicti sunt uno tantum oculo uti. Fortassis etiam, quod ei rei a pueris adsuefierent, alterius oculi orbe erant contractiore; versaque paulatim, ut saepe accidit, in naturam consuetudine, patrum similes filii nascebantur, quæque in patribus deformitas ex oculorum inæqualitate ἐπικτητος et adventicia, eadem in

<sup>73)</sup> Prom. 810.

<sup>74)</sup> Herodot. IV, 27, uhi v. interpp.

filiis innata atque insita erat. Ita certe de quibusdam in Asia populis gravis auctor Hippocrates <sup>75)</sup> narrat: cum apud eos pulcrum haberetur oblongo capite esse, ob idque nutrices recens editorum infantium tenella capita manibus contrectando ac comprimendo globosam et orbicularem figuram corrumparent eaque fastigarent <sup>\*)</sup> ac fasciis etiam adstricta in acumen crescere cogerent, paulatim studium in naturam vertisse, ut omnes ea in gente oblongis capitibus nascerentur; ex eoque Macrocephalos vocari. Idem et hodie, serio an joco, de gente quadam in Italia dicitur. (XII, 8.)

## 20.

*Diction elegans Jo. Antonii Lucatelli, episcopi Venu-*

**V**ere et graviter dicere solitum memini Jo. Antonium Lucatellum, et virum et philosophum optimum, qui postea episcopus Venu-

<sup>75)</sup> de aëre, locis et aquis c. 8. p. 289 ed Foes.

<sup>\*)</sup> Rectius *fastigarent*. Vide Drakenborch ad Sil. Ital. V, 50. R.

sinus fuit, tunc autem in familia magni illius Hippolyti cardinalis Ferrariensis mecum amicissime conjunctissimeque vivebat, quod Socrates in cibo ac potu faciendum esse monuisset, id contra fieri oportere in iis, quibus animus aleretur. Etenim apud Xenophonem <sup>76)</sup> Socrates eos cibos summo studio vitandos esse dicit, quibus etiam, qui non esuriunt, ad edendum provocantur, et eos potus, qui etiam non sicutiem adducunt, ut bibat. Contra autem ii sermones utilissimi sunt atque omni studio consectandi, qui in animis languentibus excitant cognitionem et scientiae cupiditatem. (XII, 18.)

## 21.

*Puerorum lusus, quibus maximi momenti negotia praesignificata sunt.*

Solent pueri interdum colludentes imitaria, quæ maxime seria sunt; neque raro animadversum est, eorum ludicris quandam futuræ sortis ac conditionis significationem contineri. Romulus certe, cum adhuc ignarus

<sup>76)</sup> mem. Socr. I, 3, 6.

euæ originis inter pastores educaretur, rex ab illis per ludum creatus et per eam occasio-  
nem ad magnum patrum perductus, pueri-  
lis simplicitatis præsegitonem re ac factis  
comprobavit. Quod ipsum et de Cyro alii-  
que proditum novimus. Sed et L. Septimium  
Severum, qui postea Romano imperio præ-  
fuit, tradit⁹ spartianus <sup>77)</sup>, cum adhuc puer-  
lus esset, nullum aliud ludum inter pueros  
exercuisse, nisi ad judices: cum ipse præla-  
tis fascibus ac securibus, ordine puerorum  
circumstante, sederet ac judicaret. Quod au-  
tem hic omnibus multo majus ac præstantius  
est, sanctissimo viro Athanasio summus orde  
in ecclesia Dei puerili quodam ludo præsi-  
gnificatus est. Nam cum eum æquales sui, festo  
quodam die in littore maris colludentes, epi-  
scopum creassent et ad eum alios quosdam  
puerulos nondum baptizatos perduxissent  
ipseque eos, observatis ad unguem omnibus  
ecclesiasticis ritibus, salutari aqua tinxisset;  
Alexander episcopus Alexandriæ, qui totum  
illum ludum eminus spectaverat atque etiam  
a principio iniquo animo tulerat, cum, vo-

<sup>77)</sup> L. Septim. Sever. c. 1.

eatis ad se pueris, rem tetam diligenter cognovisset, pronuntiavit, pueros illos rite baptizatos videri neque amplius baptizandos esse; adjicienda tantum ad illud mysterium ea, quæ more atque instituto Christiano a sacerdotibus obiri oporteret. Ejus autem Alex. xandri S. Athanasius successor fuit. Neque absipiale est, quod de S. Ambrosio episcopo Mediolanensi S. Paulinus Nolannus episcopus memoriae prodidit, eum adhuc puerum solitum esse quasi per jocum manus sororibus suis osculandas dare, cum sacerdotibus eum honorem ab illis tribui videret, nam se aliquando episcopum fore. (XIII, 9.)

## 22.

*Jucunda narratio super ambiguitate voculae cuiusdam, quæ duobus eruditissimis hominibus errorum objecit.*

**I**nterpretabatur nuper publice librum Senecæ, quo sanctus ille philosophus querit, quare mala bonis viris accident, cum sit providentia. Cumque ventum esset ad eam partem, in qua ipse graviter insectatur luxum temporum suorum, accidit, ut ego quoque in eo loco tractando enumerarem multa genera peregrinarum avium, quas veteres Romani

e remotissimis totius orbis partibus petitas  
mensis inferre soliti essent. Venit ad me  
triduo post unus eorum, qui tum interfue-  
rant, homo et suo judicio eruditissimus et  
meo non ineruditus. Isque, cum aliquot e  
familiaribus meis mecum una esse vidisset,  
dissimulanter quidem, sed ita tamen, ut ar-  
tificium appareret, cœpit operam dare, ut  
sermo noster, aliis de rebus susceptus, in  
mentionem ejus disputationis, quæ triduo  
ante a me habita erat, sensim delaberetur.  
Tum quasi occasionem nactus ostentande  
eruditionis suæ, Nolle, inquit, a te tum  
prætermissam unius avis mentionem, ex qua  
una inexplorabilis veterum libido in exquisiti-  
dapibus conquirendis vel maxime cognosci  
poterat. Quam, quæso? inquam. Phoenicem,  
inquit ille. Obsecro te, etiam phœnicem illi  
esitabant? Certe, inquit. Neque multi, in-  
quam, neque sæpe id facere poterant; ajunt  
enim, eam avem unicam toto orbe reperiri  
et vivere annos, opinor, sexcentos sexaginta  
et, cum ipsa sibi rogum construxerit funus  
que fecerit, tum eodem illo ex rogo renasci.  
Sed ego figmenta esse illa poetarum putabam.  
Tu vero, quem, ut illos rarae inventu dapes,  
ita omnia in studiis rara et exquisita dele-

etant, ede nobis nomen gulonis illius, qui tanti putaverit palato gratificari, ut tam pulcram avem in perpetuum sustulerit; certe enim, cum unica toto orbe sit neque nisi ex se renascatur, imperfecta una, totum genus extinctum est. Atque ea fortassis caussa est, cur nullus jam pridem phoenix reperiatur. Ludis tu quidem, inquit ille, et solita illa tua dissimulatione uteris; sed, si tum inspexisses librum Plutarchi de valetudine tuenda, didicisses ex eo, istius avis, quam tu nullam esse putas, cerebrum dulce quidem esse, sed dolorem capititis inducere, quod tam gravis auctor nunquam prodidisset, nisi saltem ab iis, qui id gustassent, audiisset. Istud vero, inquam, magis etiam mirum fuerit, qui semel eum cibum gustassent, neque enim potuere saepius, tam cito et tam distincte naturam illius percipere potuisse. Nam ego ita ex Aristotele didiceram, e memoria ejus, quod saepe eodem modo contigisset, experientiam, e multis autem (scio, hoc Latinum non esse, sed dabitis veniam) experientiis artem effici. De isto, inquit, tu videris; mihi satis erit, si tibi Plutarchi locum ostendero. Simulque librum e sinu protulit, in quo cum alijs quibusdam erant et ὅγεινα Plutarchi,

Erasmò, ut puto, interprete; nomen enim ita deletum erat, ut tamen ex ductibus litterarum agnosceretur. In eo autem <sup>78)</sup> ita plane scriptum legebatur: *Nam phœnicis cerebrum cum sit admodum dulce, tamen ajunt, capitum dolorem parere.* Homo igitur, qui eam unam ob caussam venisset atque id unum operis habuissest, cum dicto, vix salutatis nobis caussatus, sibi nescio quid negotii esse, discessit. Eo digresso, visum est iis, qui aderant, etiam Xylandri interpretationem inspicere. Et autem ita locum illum reddiderat: *Cerebrum phœnicis dulce admodum est, sed dolores capitum inducere fertur.* Tum ego, una, inquam, Græca vox paullo negligentius expressa, videte, quantum errorem et sodali illi nostro, qui modo discessit, et fortasse etiam aliis objecerit; φοίνιξ enim Græce palma est, cuius arboris non tantum fructus esui sunt, sed etiam medulla, quam et Græci σγκέφαλον et Latini *cerebrum* vocant. De illa autem loquitur Plutarchus, non de phœnicis commenticias avis cerebro. Theophrastus libro secundo <sup>79)</sup> περὶ φυτῶν, ubi de palmarum generi

<sup>78)</sup> c. 18 p. 522. ed. Wyttenb. T. I. P. II.

<sup>79)</sup> c. 8.

**bus agit:** καὶ γὰρ ἐξαιρεθέντος τοῦ ἐγκεφάλου, ζῶσι, καὶ κυπέντες ἀπὸ τῶν ριζῶν παραβλαστάνουσι. Plinius<sup>80)</sup>: *Sunt et cœduæ palmarum quoque silvæ, germinantes rursus ab radice succisæ. Dulcis medulla earum in cacumine, quod cerebrum appellant; exemptæque vivunt, quod non aliæ. Meminit et Galenus libro octavo<sup>81)</sup> de facultatibus simplicium medicamentorum et alii. Quod autem hic ait Plutarchus, e Xenophonte videlicet sumpsit, apud quem id relatum est libro secundo<sup>82)</sup> anabaseos. (XIII, 12.)*

## 23.

*Cur major in nonnullis civitatibus, quam in aliis, existere fortium virorum copia soleat, ex Hippocrate explicatum.*

**Q**uod lauti ac sumptuosi homines facere in cibis solent, ut iis, quæ in mari nascuntur, magis in mediterraneis, quam in maritimis locis gaudeant; contraque, cum in mari versantur, iis vescantur libentius, quæ nisi in con-

<sup>80)</sup> H. N. XIII, 4.

<sup>81)</sup> extr.

<sup>82)</sup> c. 3. §. 16.

tinenti reperiri non solent, ut ipsa peregrinitas pro condimento esse et cibis præcipuum quandam gratiam conciliare videatur, idem ego in studiis interdum facio et, si quid aut apud grammaticos, quod ad jus civile, aut apud physicos, quod ad politican, aut denique apud quemque, quod ad aliam artem, quam eam, quæ ab eo præcipue tractatur, pertineat reperio eo mirifice capior, multoque magis afficior, quam si id ipsum reperissem apud alium scriptorem, cuius ea tractatio propria esset. Ut nuper, cum quæstionem politicam et magni quidem momenti deprehendi a principe medicorum Hippocrate verissime ac sapientissime explicatam. Cum enim constet, majorem copiam virorum fortium existere solere in civitatibus liberis, quam in iis, quæ unius dominatu tenentur, ut in historiis veteribus multo plures legimus Athenienses, Lacedæmonios, Romanos, quam Assyrios, Persas, Medos, fortitudinis laude excelluisse; quæri non injuria potest, quæ id caussa efficiat. Ait igitur Hippocrates, id ex eo evenire, quod homines pro suis, quam pro alienis commodis, pro sua, quam pro aliena gloria, longe alacrius atque animosius pugnant. In iis autem civitatibus, quæ suis legibus vivunt,

si quid bello partum sit, ejus intelligit quisque civium aliquid ad se pro virili parte pertinere. At ubi summa rerum omnium penes unum est, ibi labores quidem militares et pericula et vulnera et cædes pertinent ad eos, qui imperio subsunt; gloriæ autem et imperii amplificatio et omnis denique fructus, qui ex victoria capitur, ad eum unum reddit, qui ceteros oppressos tenet eosque habet in mancipiorum aut in pecudum loco. Hæc in hanc fere sententiam disputantur ab Hippocrate in libello <sup>83)</sup>, quo explicat, quid efficiant cæli, aquarum et locorum varietates. (XIII, 14.)

## 24.

*Duo gravissimorum scriptorum loci, quorum in utroque eadem macula hæserat, emendati.*

Vereor interdum, ne sint quibus hoc totum scriptionis genus lœve ac contemnendum esse videatur, quod ad maculas e veterum librīs eluendas refertur. Ut enim vera sint, quæ scribimus; fere tamen, simulatque quis unam aut alteram litteram vocemve in libro suo aut

<sup>83)</sup> C. 12.

mutaverit aut deleverit aut addiderit, ita singula horum librorum capita concerpat licet, ut quorum vix usus præterea ullus esse alius possit. Sed tamen, si quis sectum reputet, primum, quanta utilitas ex veterum scriptorum lectione capiatur, deinde, quantum difficultatem depravata scriptura illorum studiosis exhibere soleat, magnam gratiam habendam esse judicabit iis, qui suo labore laborem aliis minuant. et, in quibus ipsi fortassis aliquando hæsitarunt, in eis, ne alii quoque hæsident, elaborant. Qua spe fretus, subsecivis horis eorum librorum, quibus olim usus sum, oras inspicio et, si quid in eis notatum video, quod usui etiam aliis esse posse arbitrer, colligo atque ita hæc qualiacunque concinno, ut, si minus ipse de meo excudere possum digna, quæ legantur; at certe aliquid efficiam, quo ii, qui lectio ne digna scripserunt, facilius intelligantur. Nunc igitur duos locos indicabo, quorum in utroque διάνοια legitur, cum utrobique ἀνοίᾳ legi debeat, idque eo libentius faciam, quod in utroque et eruditissimi interpretes lapsi sunt, neque id isti animadverterunt, qui, quasi ipsi nusquam offendant, exultant in aliorum erratis eaque mimico orationis

gènere tam cupide persequuntur. Eorum prior est apud Thucydidem libro sexto <sup>84)</sup> in oratione, qua Alcibiades adversus Niciam de mittendis in Siciliam copiis disserit. Cum enim prior eum tetigisset Nicias, quod majores sumptus, quam pro re faceret; respondet delicatus ac sumptuosus adolescens, sumptus illos ad ostentandam externis hominibus civitatis magnitudinem ac potentiam pertinere, neque illam imprudentiam inutilem esse (ita enim εἰρωνεύμενος vocat), cum quis sumptibus suis non sibi solum prodest, sed etiam civitati. Verba ejus hæc sunt: καὶ οὐκ ἀχρηστος ἦδ’ ἄνοια, ὃς ἂν τοῖς ἴδιοις τέλεσι μὴ ἔαυτὸν μόνον, ἀλλὰ καὶ τὴν πόλιν ὠφελῇ. Ita enim legendum esse, non, ut omnes pervulgati libri habent, διάνοια, vel de scholiis Græcis intelligi poterat, in quibus ita notatum est: εἰρωνεύεται δὲ Ἀλκιβιάδης, λέγων ὅτι, εἰ καὶ ἀνάρτος φαίνομαι τισιν, ἀλλ’ οὖν τῇ πόλει οὐκ ἀχρηστός μου ἐστὶν ἡ ἄνοια, ἀλλὰ καὶ ὠφέλιμος. Idemque plane confirmat, quod in eadem oratione haud ita multo post legitur: καὶ ταῦτα ἡ ἐμὴ νεότης καὶ ἄνοια, παρὰ φύσιν δοκοῦσα εἶναι, ἐς τὴν Πελοποννησίων

---

<sup>84)</sup> c. 16.

δύναμιν λόγους τε πρέπουσιν ὀμίλησε καὶ, δῷγῇ πίστιν παρασχομένη, ἔπειτε. Alter locus est in libello, qui Plutarchi quidem non videtur, sed inter ipsius opuscula tamen legitur, de liberis educandis<sup>85</sup>), ubi graviter pectare ostendit eos, qui parvulos quidem liberos sub magistris ac pædagogis habent; sed puberes jam factos suo more ac modo vivere patiuntur; ait enim, eos non animadvertere, se in eo imprudentiae ac temeritati licentiam ad faciendas injurias dare. Atque hoc exponit his verbis: ὥσθ' οἱ μὴ τῆς ἡλικίας ταύτης ἐρρωμένως ἀντιλαμβανόμενοι, τῇ ἀνοίᾳ διδόντες ἔξουσίαν ἐπὶ τὰ ἀδικήματα λανθάνουσι. Sed hic quoque τῇ διανοίᾳ perperam in vulgatis libris legitur. (XIV, 1.)

## 25.

*Qui sint versus Iσόψηφοι. Declaratum epigramma  
Græcum. Item aliquot questiones ludicræ, que  
apud Gellium proponuntur, dissolutæ.*

**N**on equidem unquam cuiquam auctor fuerim, ut quærat apud Homerum versus Iσοψίφους; si quis tamen neque habet, quod

---

85) c. 16. p. 42 ed. Wytteneb. T. I. P. II.

agat, et nihil agere non potest, indicabo ei, qui versus dicantur ἰσόψηφοι, quos si quærere postea volet, præstabō, non defore illi, ubi se exerceat. Cum igitur litteræ Græcorum etiam ad numeros significandos, ut notum est, adhibeantur, quorum versuum omnes litteræ, pro numeris acceptæ, eundem numerum efficerent ac constituerent, eos versus ἰσοψήφους vocabant. Ejus rei exemplum ostendam in duobus nominibus, eademque declarabo epigramma Græcum incerti auctoris e libro secundo anthologias<sup>86</sup>), quod qui explicarit, neminem adhuc video extitisse. Primum igitur illud adscribam:

Δαμαγόραν καὶ λοιμὸν ἰσόψηφόν τις ἀκούσας  
 Ἐστησ' ἀμφοτέρων τὸν τρόπον ἐκ κανόνος.  
 Ως τὸ μέρος δὲ καθείλκετ' ἀνελκυσθὲν τὸ  
 τάλαντον  
 Δαμαγόρον. λοιμὸν δ' εὗρεν ἐλαφρότερον.

Jocatur, quisquis est, in flagitosum quendam, Damagoran nomine; cuius nomen cum pestis nomine ἰσόψηφον esse, quidam cum au-

<sup>86</sup>) T. IV. p. 135 ed. Jacobs. T. III. p. 167<sup>4</sup>  
 Brunckii anal.

diisset, quasi in statera expendit ingenium pestis et ingenium Damagoræ; præponderasse autem eam lancem, in quam Damagoræ ingenium impositum erat, quod videlicet multo leviora essent mala, quæ a peste, quam quæ a Damagora, importarentur. Sunt autem ἵσοψηφα plane nomina Δαμαγόρας et λοιμὸς, ut e subjecta descriptione perspici potest:

δ	4	λ	30
α	1	ο	70
μ	40	ι	10
α	1	μ	40
γ	3	ο	70
ο	70	ς	200
ρ	100		
α	1	420	
ς	200		
			420

Multum igitur negotii habuit, aut potius multum ei ab re sua otii superfuit, quicunque ille fuit Gellii <sup>87)</sup> familiaris, qui con-

---

<sup>87)</sup> N. A. XIV, 6.

quisierat, quinam ita inter se affecti versus apud Homerum forent. Quod autem præterea notarat, quorum nominum in Homericō poemate reperiatur παραστιχίς, notat Eustathius, e primis litteris quinque primorum versuum ultimi libri Iliados effici nomen λεύκη, ubi etiam tradit, veteres ejusmodi quæstiunculis lusitare solitos esse, quales aliquot ponit et explicat, leves illas quidem et ludicras, sed tamen cognitu non injucundas. Nam quod ibidem amicus ille Gellianus quærit, quis Homeri versus sit, qui per singula vocabula singulis syllabis increscat; non dubito, quin illum significaverit e tertio <sup>88)</sup> Iliados:

*'Ω μάκαρ Ἀτρεΐδη,. μοιρηγενὲς, δλβιόδαιμον!*  
 Sed et illius quæstionis explicationem, qua ratione dicat Homerus, singulas pecudes in Africa in singulos annos terna parere, repetiet, qui hoc tanti putabit, apud Eustathium in quartum Odysseæ. Levia hæc esse fateor; sed, ut in eis quærendis defatigari stultum fuerit, ita, cum se sponte offerunt, non omnino repudianda esse arbitror. (XIV, 13.)

<sup>88)</sup> v. 182.

## 26.

*Sermo habitus cum Dario Bernardo de stultitia quorundam, qui se Ciceronianos vocant.*

Venerant ad me in Quirinalem, visendi ac salutandi caussa, nobiles aliquot Germani adolescentes, qui, cum totam prope Italiam perlustrassent neque quemquam fere prætermisissent eorum, qui nomen aliquod habent in litteris, quin eum vidissent allocutique essent, me quoque, ut ipsi quidem dicebant, eadem de caussa videre mecumque colloqui voluerant. Cumque ipsi me de studiis meis, ego contra eos de Germaniæ statu deque iis, qui illic hodie florere dicerentur, eruditis hominibus interrogarem, quæ cujusque ætas esset, quæ habitudo corporis, quæ fortuna ac conditio vivendi, in primis autem, quinam ex eis patritam atque avitam religionem constanter tuerentur, neque illo se pestiferarum opinorum æstu abripi sinerent; varie illis, ut de quoque interrogati erant, respondentibus, una atque altera hora consumpta est. Complexus igitur illos et abeuntes faustis omnibus prosecutus dimisi. Interfuerat illi sermo ni ac colloquio nostro Darius Bernardus, jenesis et festivo ingenio et sanctis plane atque

incorruptis moribus, qui, eis digressis, Verum omnino, inquit, est, quod dicitur, in nullis hominibus hoc tempore, præterquam in Transalpinis, promptam atque expeditam reperiri Latine loquendi facultatem. Vel ii, qui modo abierunt, ut nusquam in loquendo hærent, nusquam titubant, nusquam offendunt, ut omnia in numerato habent, ut tota eorum sine ullo impedimento ac salebris decurrit oratio. At nostri homines, etiam ii, qui sibi e studiorum laboribus pallorem et maciem et senium contraxerunt, si quando Latine loquendum est, ut luctantur, ut suadant, ut anhelant. Credas, eos magna vi ex imis pulmonibus verba eruere, cum istis contra sine ulla cura ac cogitatione jugis quædam ac beata Latinarum vocum copia ultiro ex ore manare ac decurrere videatur. Est istuc quidem, inquam, ita, ut dicis, Dari; sed tamen habet et Italia præclaros viros, quiue et ornatissime scribant et disertissime ac copiosissime, cum opus est, loquantur, Manutium, inquit, fortasse dicis et Sigionum et Petrum Joannem Maffejum aut ex eadem sodalitate eum, cuius audita morte ubertim tibi nuper lacrymas isse memini, Perpinianum et, si quos tales vix singulos singulæ

statas ferunt. Et istos, inquam, et alios, quanquam is quidem, quem tu postremo loco nominasti, Hispanus, non Italus, fuit; sed ita diu in Italia fuerat, ut pro Italo haberri posset. Quem tu virum, Dari, utinam audire potnisses, neque te, quo tempore ille in hac urbe eloquentiae præcepta tradebat, alio vitæ genere implicatum aula tenuisset. Nunquam enim quemquam audiisti ac ne audies quidem, ut opinor, in quem illud de Nestore <sup>89)</sup> eclogium melius conveniret: *Cujus ex ore melle dulcior fluebat oratio.* Sed quid est, quod tu, colloquentibus nobis, his terve nutu mihi nescio quid significare visus es? Egone? inquit; dolebam, excidere interdum grandiori illi, qui tecum colloquebatur, voces quasdam minus Latinas, quibus ille perpetuus subitæ orationis nitor quasi maculis quibusdam infuscaretur. Quas quasso? inquam, nam me quidem alia cogitantem prætervolarunt. *Cœlos*, inquit, et *cœlorum orbes aliquoties dixit et eam doctrinam, quæ cœlitus ad homines lapsa esset.* Quid tu? recte hæc dici, non putas? *Cœle-*

---

<sup>89)</sup> Hom. Il. I, 249. Cf. Cic. Cato 10.

*stia, inquit, corpora et orbes cœlestes et  
cœlo lapsam doctrinam dixissem lubentius.  
Non male tu quidem, sed tamen ne illa qui-  
dem suos auctores non habent. Citat hæc  
Servius <sup>90)</sup> e Ciceronis Hortensio, Epicurei  
plures volunt esse cœlos. Et Lucretii sunt hæc  
e libro secundo <sup>91)</sup>:*

*Quis regere immensi summam, quis habere  
profundi*

*Endo manu validas potis est moderanter  
habenas?*

*Quis pariter cœlos omnis convertere?*

Quamvis autem cœlos illi dicebant mundos,  
quos putabant esse innumerabiles; tamen ex  
eo satis constat, *cœli* nomen apud Latinos et  
singulare esse et multitudinis. Nam de illo  
*cœlitus*, me quoque olim reprehensum me-  
mini a quodam, qui, nisi quod Ciceronis es-  
set, nihil Latine dici putabat. Itaque irride-  
bat me, non modo cum citarem Servium,  
qui versum illum e primo <sup>92)</sup> georgicon,

*Si te digna manet divini gloria ruris,*

<sup>90)</sup> ad Virgil. Aen. I, 331.

<sup>91)</sup> v. 1094 sqq.

<sup>92)</sup> v. 168.

ita exponit, si id tibi concession est *cælitus*,  
*ut gloriam ruris habeas; sed etiam, cum mal-*  
*to meliorem istis omnibus Ciceronis imitato-*  
*rem, Lactantium, cujus haec sunt e libro*  
*quinto<sup>93)</sup> institutionum: Nemini dubium po-*  
*test esse, quin is doctor, qui cælitus mittitur,*  
*tam scientia si: rerum omnium, quam virtute*  
*perfectus. Quid tu igitur? inquit, satime*  
*istos idoneos auctores Latinitatis putas? Ego*  
*dicam tibi, inquam, Dari. Diu et ipse in*  
*eo errore versatus sum, ut, nisi qui aut Ci-*  
*ceronis ætate aut paullo ante vixissent aut*  
*certe illi ætati suppare fuissent, non satis*  
*dignos esse arbitrarer, quorum exemplo, qui*  
*Latine aut scribere aut loqui vellent, nite-*  
*rentur. Sed postea, re tota mecum accumu-*  
*tius considerata, visus ipsi mihi sum nimis*  
*plus mihi sumere, qui de Seneca, Livio, Va-*  
*lerio, Celso, Quintiliano, Columella, utro-*  
*que Plinio, Tacito, Suetonio, Vellejo, Q. Cur-*  
*tio, Lactantio aliisque ejusmodi scriptori-*  
*bis, quos et ab iis ipsis temporibus, quibus*  
*Latina lingua floruisse diceretur, proprius*  
*afuisse et suo quemque saeculo disertissimos*

<sup>93)</sup> Non V, sed IV, 24, 4.

habitos esse constaret, temere pronuntiare auderem. Certe enim neque quisquam unquam veterum eos male Latine locutos esse dixit, neque nos, tam longo intervallo, valde boni ejus rei existimatores sumus. At multa simplicia vocabula, multa etiam loquendi genera in eorum libris leguntur, quæ apud Ciceronem et ejus æquales nusquam reperias. Primum quis hoc præstare audeat? Ciceronis scriptorum vix decimam partem reliquam habemus, eamque multis partibus mancam ac mutilam, multis vulneribus, multis cicatricibus deformatam, Sallustii vix centesimam, Varronis tantundem, Catonis e tam multis voluminibus unum de re rustica commentariolum, tot philosophorum, tot oratorum veterum, tot poetarum, tot historiorum, tot jurisconsultorum scripta perierunt, et ex illis fractis ac laceris, quæ ad nos pervenerunt, Romani sermonis reliquiis adfirmare audemus, si quid in eis non reperiatur, id apud veteres in usu non fuisse? quanto credibilius est, nova multa atque inusitata nobis videri, quæ, si eorum libri exstarent, in frequentissimo usu posita fuisse constaret? Illi autem, quos stulte et arroganter, ut minus eleganter locutos, despicere audemus,

cum et bibliothecas haberent omni genere librorum instructissimas et eas diligentissime per voluntarent et acerrimo iudicio prædicti essent; quis scit, an ea ipsa ex vetustioribus sumpserint, quæ frusta nobis aut novitatis aut peregrinitatis nomine suspecta sunt? Cum sæpe contingere videamus, ut multæ voces diu ab istis censeantur inter novas, quæ postea usque ab ultima antiquitate a nobilissimis auctoribus proditæ ac propagatæ reperiuntur. Quid, quod in istis ipsis Ciceronis reliquiis multæ sunt, quæ semel tantum leguntur? Ergo si paullum chartæ aut mus aut tinea adrosisset, aut situs aut caries corrupisset, aut scintilla e lucerna in certam aliquam libri partem incidisset, hodie *pigrandi* et *controversandi* verba multaque alia istis delicatis barbara essent, quæ nunc ita non refugiunt, ut inculcent. Et, ut magis intelligas, totum hoc e stulta quadam opinione pendere, scito, multos ex istis inepte fastidiosis, quibus qui quid dicunt, quod Ciceronis non sit meros lapides loqui videntur, quibus, ut olim athletis in arenam descendantibus, circumdandæ essent amphotides, quoties in publicum prodeunt, ne delicate ipsorum aures vocum non Ciceronianarum ictibus contur-

derentur, s<sup>a</sup>epe esse a me magna cum volu-  
ptate delusos. Nam cum voces quasdam ob-  
servasse, Ciceronis quidem illas, sed minus  
contritas neque a Nizolio in illum præclarum  
indicem, qui istorum obruza est, relatas; ad-  
miscebam eas de industria orationi meæ, cum  
ad me audiendum amici quidam hoc, de quo  
loquor, morbo laborantes venissent. Illi, ut  
earum quamque audierant, cervicem contor-  
quere, humeros attollere, frontem contrahe-  
re, aliis alii in aurem insusurrare, excuti  
sibi cerebrum, perire aures, cum talibus vo-  
cibus verberarentur. Quin etiam, cœtu di-  
misso, cum me, ut sit, officii caussa domum  
reducerent, male se a me habitos atque ac-  
ceptos esse conquerebantur. Ego, aliquan-  
di eos ambiguo sermone frustratus, tandem  
sponsione lacesebam, ni illæ ipsæ voces, qui-  
bus auditis caput sibi condoluisse dicerent,  
ipsius Ciceronis essent. Quid quæris? cum  
id ita esse pervicissem, jam voces illæ om-  
nem duritiam atque asperitatem deposuerant,  
jam lenes, suaves, jucundæ auditu factæ  
erant et, ut lupini aqua macerati, omnem  
amaritiem exuerant, simul atque eas Cicero-  
nis esse constiterat. Meministine, cum vox  
*illustriſſimus* apud istos censores in urbe jus

togæ tueri non poterat, sed pro peregrina habebatur? Nec miseræ prodesse in tali tempore quibat, quod Gellius *illustriſſimas orationes et illustriſſimos philosophorum* alicubi dixisset. Itaque, si quis Latine loquens *cardinalem* quempiam *illustriſſimum*, ut fit, vocaverat, in eum ὅλῳ τῷ μνητῆρι, ut Græci dicunt, utebantur. Neque extorqueri eis poterat, ut non *maxime illustrem* pro *illustriſſimo* dicerent, nisi postquam ex Varrone <sup>94)</sup> audierunt, *illustriſſimum* quemque ex *veteribus pastorem* fuisse. Et quidem eam vocem nemo majori cachinno excipere solitus erat, quam ille, quem sui ita esse Ciceronis similem prædicabant, ut dicerent, σύχρ μὰ τὴν Δήμητρα, eique illud occinerent, οὐ καὶ Ἀχιλλέως, ἀλλ' Ἀχιλλεὺς αὐτὸς εἰ. Qui cum aliquando ad me libros tum Aristotelis ad Nicomachum interpretantem venisset audissetque adfirmantem, innumerabilia esse in omnibus philosophiae partibus, quæ Latine dici non possent ab iis, qui tam severi esse vellent; egresso mihi, cum circumfusa nobis esset magna eruditorum hominum corona,

---

<sup>94)</sup> de R. R. c. 1.

mirari se dixit, quid ita mihi videretur fieri non posse, quod jam egregie Perionius præstisset. Credo, inquit, illum dicis, qui, quod quinto quoque anno \*) faciendum significari vellet, id *singulis quinque annis* fieri oportere scripsit. Eum ipsum, inquam, et Ciceronis eloquentiam vides. Sed, ut me ad propositum referam, etiam si hoc demus, novata esse multa ab iis, qui post Ciceronem fuerunt, quid caussæ est, cur ea rejicere debeamus? Quorsus igitur illud Horatii 95)? *Ut folia in silvis,* et illud 96):

\*) Huc pertinet animadversio Gasp. Scioppii de stilo histor. p. 226: «Fugit Mu-  
«retum ratio, cum pro *singulis quinque annis* dicendum putat *quinto quoque anno*. Nec enim eadem utriusque dicti est sententia. Si quid enim fiat,  
«quod quinquennio seu singulis quin-  
«quenniis semel, nihil necesse est, id  
«quinto semper anno fieri, cum etiam  
«primo, secundo aut quocunque quin-  
«quennii anno factum intelligatur.» R.

95) A. P. 60.

96) ibid. v. 58 sq.

*— licuit semperque licebit*

*Signalum præsente nota producere nomen.*

Nonne Cicero et multa novavit ipse et Catonem, Varronem, Brutum aliosque, ut idem facerent, hortatus est? An fortassis personale illud privilegium fuit, ut cum Cicerone et cum iis,

*Qui tum vivebant homines atque ævum agitabant* <sup>97)</sup> ,

extinctum esse videatur? *Incomprehensibile* Ciceroni singere licuit, quidni aliis alia ad eundem modum postea licuerit? Evidem existimo, Ciceronem, si ad Quinctilianii et Plinii et Taciti tempora vitam producere potuisse et Romanam linguam multis vocibus eleganter conformatis eorum studio auctam ac locupletatam vidisset, magnam eis gratiam habiturum atque illis vocibus cupide usurum fuisse. Nam istorum quidem audire est opera pretium amentiam. Ad Taciti aut Suetonii voces nauseant; ipsi eas scriptis suis intexunt, quæ ne in culina quidem illorum patienter audi-ri potuissent. Mentior, nisi tibi, cum voles, in scriptis quorundam, qui hujus sectæ cō-

---

<sup>97)</sup> Ennius ap. Gell. N. A. XII, 2.

*ryphæi* habentur, *speculationem, ingratitudinem, contrarietatem* aliaque ejusdem generis plurima ostendero. *Sed satis est dixisse, ego pulcra poemata pango* <sup>98)</sup>. *Cum semel in hanc disciplinam nomen dederis, quocunque modo et scribas et loquare, dicas licet:*

*Ταῦτης τοι γενεῆς τε καὶ αἴματος εὐχομαι εἶναι* <sup>99)</sup>.

Fuit hæc de principio laboriosa quædam et exquisita diligentia, nunc in ignaviam verit, quid enim magis in promptu est, quam, cum quid scribere ingressus sis, de singulis voculis Nizolum consulere? Quid tu igitur? inquies, ex omnibus antiquis scriptoribus, nullo discrimine, verba, quibus utare, depromes? Immo vero adhibebo judicium, habeo dilectum et, cum ex iis potissimum, qui antiquitatis quoque ipsi principes visi sunt, Cicerone, Cæsare, Terentio, aliis quam plurima sumpsero, cum orationis meæ genus ad eorum exemplar, quam maxime potuero, conformaro, ex aliis quoque bellissimum quodque carpam et, quo quisque maxime excel-

<sup>98)</sup> Hor. A. P. 416.

<sup>99)</sup> Hom. Il. VI, 211.

luisse videbitur, id imitari atque exprimere conabor neque in iis modo, quos paullo ante nominavi, sed in Tertulliano \*), Arnobio, Hieronymo, Augustino, Ambrosio et, quod magis mireris, Appulejo, Cassiodoro, Martiano etiam et Sidonio Apollinari multa reperiam, quibus suo loco positis oratio ubi-

---

\* ) G. Scioppius rhetor. exercit. p. 17 et de stilo histor. p. 64 existimat, hæc Muretum non ex animi sententia scripsisse, sed ut in hac professione, si quid sibi minus Ciceronianum excidisset, latebram haberet. Adversus Scioppium disputat Jac. Thomasius præfat. p. 8. Mihi in tali re non, quid quisque dixerit, præsertim temporis serviens, sed quid certo et constanti judicio fecerit, spectandum videtur. Atqui res ipsa loquitur, Muretum non alios, nisi Ciceronem et reliquos optimæ ætatis scriptores, imitando expressisse; Appuleji autem, Cassiodori, Sidonii et similium verba, tanquam scopulum, fugisse. Vera igitur est Scioppii sententia. R. Conf. Wytttenbach. Vita Ruhnkenii p. 230 ed. Lugd. Bat.

rior et ornatior fiat. Tibi quoque, Dari,  
auctor sum, ut idem facias, in primis que, ut  
ne eorum stultitiam imiteris, qui usque eo  
antiquitatis studiosi sunt, ut voces quoque  
Christianæ religionis proprias refugiant et in  
earum locum alias substituant, quartum non  
nullæ etiam impietatem olen: qui non fidem,  
sed persuasionem; non sacramentum  
*corporis Dominici*, sed sanctificum crustulum;  
non excommunicare, sed diris devovere; non  
angelos, sed genios; non baptizare, sed ab-  
luere dicunt aliaque eodem modo depravant,  
qui, ut opinor, nisi sibi metuerent, etiam  
pro Christo Jovem Optimum Maximum dice-  
rent, est enim magis Ciceronianum. Quæ  
autem insania est, cum porrificere, cum int-  
petrire, cum tripudium solistim, cum patet-  
ras et sympuvia legimus, notare ea tanquam  
dicta sapienter, quod ex auguralibus et poti-  
ficalibus libris deprompta sint; propria Chri-  
stianæ fidei et Christianorum rituum verba,  
ut non satis Latina, contemnere! Pluta dice-  
re cum pararem, amicorum quorundam in-  
terventus institutum sermonem abrumpere  
coegit. (XV, 1.)

27.

*Hippolyti cardinalis Estensis prudens de severitate sermo.*

Sæpe mihi obversatur ante oculos Hippolytus cardinalis Ferrarensis, sæpe de illo vigilans, sæpe etiam dormiens cogito; et magna caussa est, cur id facere debeam. Primus ille fortunarum mearum, quantulæ illæ tandem cunque sunt, auctor atque inceptor fuit Quindecim annos et eo amplius cum eo familiarissime vixi, cum optimus et humanissimus princeps sua mecum gravissimis de rebus consilia sæpen numero communicaret, nonnunquam etiam eodem plane modo, quo magistri discipulorum ingenia interrogando experiri solent, meam super eis sententiam exquireret, a se interdum dissentientem æquissimo animo ferret, errantem amantissime redargueret multarumque rerum ad vitam pertinentium pro singulari prudentia, qua prædictus erat, admoneret. Præcipue autem, cum Tibur secesseramus, ubi ille quotannis æstivos menses transigere solebat, nullus fere abibat dies, quin per studiorum speciem, aliis omnibus exclusis, horas aliquot una jucundissimis sermonibus consumeremus. Ut-

namque eorum, quæ quotidie ab illo audiebam, commentarios et confecissem diligentius et studiosius conservassem. Sed hominum incogitantium more, qui, quorum in præsens copia est, ea sibi perpetuo parata fore confidunt, et e plurimis paucissima seligebam, quæ memoriæ caussa consignarem litteris, et eas ipsas scidas, in quas illa conjeceram, postea ita negligenter habui, ut earum bona magna- que pars perierit. Incido autem nonnunquam in earum nonnullas, quæ me acriore reliquarum desiderio incendunt. Ut hæc est, quæ nunc aliud agenti venit in manus. Habitus erat in prandio sermo de summo quodam et potentissimo principe, qui, cum in omnibus ætatis partibus admirabilem quan- dam integritatem et innocentiam præstisset, jam senex ad imperium evectus, peccata hominum ferre non poterat eaque durioribus ac severioribus legibus, quam inveterata sæ- culi licentia postulare videretur, coercebatur. Multi ac varii sermones fuerant: aliis, ut fit, rigidam illam et præfractam severitatem com- mendantibus neque aliter vitia resecari posse dicentibus; quibusdam modice culpanti- bus, cum dicerent, ab illis repentinis muta- tionibus naturam quoque ipsam abhorrere,

quæ nos non statim ab hieme ad æstatem aut  
ab æstate ad hiemem, sed, interjecto inter il-  
las vere autumnoque, perduceret. Abscessus  
quoque et vomicas in corporibus nostris a  
medicis lenibus primo fomentis ac catapla-  
matis molliri solere neque prius incidi,  
quam suppuraverint. Cardinalis, cum et  
blande omnes ad dicendum invitaret neque  
patienter modo, sed et libenter audiret, di-  
cebatur, in iis reprehendi posse severitatem,  
qui ad formulam suam non viverent, sed alia  
facerent ipsi, alia publice facienda præscri-  
berent; in eo non posse, qui nullam aliis le-  
gem poneret, quam non ipse sibi multo ante  
posuisset. His aliisque in eandem sententiam  
sermonibus super mensam habitis, Hippoly-  
tus, dimissis ceteris ex more, me in cubicu-  
lum ad se vocari jubet. Ibi cum alia multa  
sapientissime dixit, quibus ne sibi quidem  
illam tantam severitatem prorsus probari  
ostenderetur, quam tamen certo sciret ab opti-  
ma mente proficiisci, tum has, quas subji-  
ciam, sententias adspersit orationi suæ, quas  
ego, quod et graves et eleganter expressæ vi-  
derentur, ut primum ab eo discessi, in libel-  
lo, quem tum forte in sinu gestabam, anno-  
tavi: *Nihil prohibet, esse aliquem et optimum*

*virum et non optimum principem. Optandus est medicus, qui aliquando ægrotarit. Non satis aptus est ad regendos homines, qui ab hominibus ea, quæ sunt supra hominem, exigit. Miseros homines, si sola innocentia tutos facit! Cogitet, qui imperat, quomodo sibi olim alios imperare voluisse. Deinde, quasi eum ipsum, de quo sermo erat, alloqueretur, Quod tu, inquit, alios præstare non posse miraris, id te alii præstare posse mirantur. Si quid tu quoque olim tale fecisti, ignosce et aliis, ut ignotum est tibi: sin nihil; cogita, non eundem a Deo datam esse omnibus animi firmitatem. Qui ad minora peccata interdum connivere non vult, sœpe ad majora homines cogit. Aliud ultio est, aliud correctio. Qui ulcisci vult, iratus est; qui corrigere, amicus. Ille eum, qui peccavit, non amplius esse vult; hic esse quidem, sed non amplius tam esse. Non sunt ferenda vitia. Sed, qui nullum vitium fert, nullum hominem feret. Hæc optimus et longo rerum usu exercitatissimus senex, quæ tanquam oracula quædam fuisse, eventus ipse postea docuit. (XVI, 4)*

## 28.

*Servi ad pedes cœnantibus stabant. Magdalenam pedes  
Domini stando unxisse.*

**D**iscubentibus olim coenandi caussa servi retro ad pedes stare consueverant, qui dominorum jussa exciperent. Quod vel ob eam causam observatione dignum putavi, ut magis intelligeretur, quod in sacrosancto evangelio scriptum est, Magdalenam, cum in domo \*) pharisæi, coenanti communi omnium Domino, ingressa esset, retro ad pedes ipsius stetisse. Neque enim adveniens ulla ratione majorem animi summissionem significare poterat, quam cum eum sibi nobilissima mulier locum de legit, qui servis proprie erat attributus. *Stans retro, ait S. Lucas* <sup>100)</sup>, *ad pedes ejus, lacrimis cœpit rigare pedes ejus. Seneca libro tertio* <sup>101)</sup> *de beneficiis: Ut primum diluxit, servus, qui cœnanti ad pedes steterat, narrat, quæ inter cœnam ebrius dixisset. Martialis* <sup>102)</sup>:

\*) A Mureto scriptum videtur cum in domum pharisæi, cœnante communi etc. R.

<sup>100)</sup> VII, 38.

<sup>101)</sup> c. 27.

<sup>102)</sup> III, 23.

*Omnia cum retro pueris obsonia tradas,  
Cur non mensa tibi ponitur a pedibus?*

(XVI, 6.)

29.

*Peregrinatio sitne utilis, quæsitum, et, liceatne laudare  
aliud; aliud sequi.*

Peregrinatio ad tempus, homini præsertim adolescenti, neque injucunda neque inutilis est, nam et novitas ac varietas mirificam oblationem habet; et, qui mores multarum gentium novit, magnum sibi ad prudentiam instrumentum comparavit. Sed plerique juvenum hodie, qui longinquæ itinera suscipiunt multasque regiones perlustrant, id sibi fere unum studio habent, ut, quo quæque urbs loco sita sit, cuius generis ædificia habeat, quæ in quaue sit mercium ceterorumque rerum ad explendas cupiditates accommodatarum copia, cum domum redierint, narrare æqualibus possint: quibus legibus atque institutis temperata sit, quibus magistratibus utatur, quomodo ea, quæ ad se conservandam utilia sunt, persequatur declinetque contraria, horum omnium ne cogitationem quidem suscipiunt ullam. Et tamen

nihil prodest multa loca vidisse, nisi harum rerum notitiam adjunxeris. Præclareque de Ulysse Homerus<sup>103)</sup>:

Πολλῶν δ' ἀνθρώπων ἴδεν ἀστεα καὶ νόον  
ἔγνω.

*Urbes, inquit, multorum hominum vidit, ingenia naturasque cognovit. Quæ re ipsa distincta sunt, ea distinxit etiam verbis. Negligentius Horatius<sup>104)</sup>:*

*Qui mores hominum multorum vidit et urbes.*

*Urbes etiam a prætereunte videri possunt, mores cognosci, nisi adhibita cura et studio, non possunt. Solon, Pythagoras, Plato aliquique olim magni ac præstantes viri eo consilio peregrinati sunt, ut quam maximam sibi talium rerum supellectilem compararent. Quanquam enim, ut in aliena domo, sic in aliena rep. negant curiosum esse optere; hæc tamen, quam dico, curiositas et privatim semper et publice utilis fuit. Aliam quandam rationem secutus est Plato<sup>105)</sup>, qui*

<sup>103)</sup> Od. I, 3.

<sup>104)</sup> A. P. 142.

<sup>105)</sup> de legg. XII, p. 195 et 197. Bip.

hujus generis peregrinationes neque nisi magistratus permisso neque nisi a quinquagesimo usque ad sexagesimum ætatis annum suscipi voluit, quod probarem et ipse, si qua usquam civitas, qualem ipse describit, reperiretur. Nam quod ille verebatur, ne alienigenarum hominum multitudine in provinciam aliquam confluentem ibique sedes figente, et adolescentibus, quorum improvida ætas ad libidinem plerumque quam ad virtutem pronior est, extra patrios fines vagantibus, externa potius vitia importarentur, quam domestica tollerentur; hunc metum ipsius non vanum fuisse, satis declarant eæ gentes, quæ, cum multa sæcula floruisse, nunc in extium suum versæ, peregrinis potius moribus laborant quam suis. Sed, ut me ad propositum referam, cum et utilis et jucunda sit bene instituta peregrinatio, tranquillam tamen et quietam vitam amantibus domi vivere jucundissimum est. Οἶκος φίλος, οἶκος ἀριστος, dixisse ait testudinem Aesopus. Quid senex ille, an corporis oculis captus, nescio, mentis certe oculo lynceus?

Οἶκοι βέλτερον εἶναι, ἐπεὶ βλαβερὸν τὸ θύρηφι<sup>106).</sup>

---

<sup>106)</sup> Hesiod. O. et D. 365. cf. hymn. in Mercur. 36.

Ubique enim, ut vafer quidem et improbus,  
sed politus et urbanus scriptor ait Lucianus,  
*εὐχαταφρόνητον πρᾶγμα οἱ ξένοι.* Itaque in  
illa aurea ætate, si qua poetis fides, nemo  
peregrinabatur,

*Nullaque mortales præter sua littora no-  
ranti* <sup>107)</sup>.

Evidem afficior intimis sensibus, cum illud  
Claudiani poemation <sup>108)</sup> lego, quo senex ille  
Veronensis describitur, qui nunquam e pa-  
triis finibus excesserat, de quo vere et ele-  
ganter idem poeta:

*Erret et extremos alter scrutetur Iberos,  
Plus habet hic vitæ, plus habet ille vitæ.*

Præclareque Horatius <sup>109)</sup>:

*Romæ laudetur Chios et Samos et Rhodos  
absens.*

Sed, ut aliud ex alio; quid est, quod lon-  
ginquas sive urbes sive insulas laudari jubet  
adire vetat? Certe enim hoc dicit: landato  
peregrinationes, sed ipse te domi continet.

<sup>107)</sup> Ovid. met. I, 98.

<sup>108)</sup> epigr. VI, 21 sq.

<sup>109)</sup> epist. I, 11, 21.

**A**n aliud laudare jubemur, aliud sequi? At aliud in ore, aliud in pectore habere turpissimum est. Et tamen multa talia sunt poetarum, ut illud Hesiodi <sup>110)</sup>: laudandam esse parvam navim, sed merces in magnam imponendas; et hoc Virgilii <sup>111)</sup>:

— *Laudato ingentia rura,  
Exiguum colito.*

**E**t hodie in Italia usitatum est simile proverbium agricolarum: laudandos montes, sed a planicie non recedendum. Capitale in eodem genere illud Sophoclis <sup>112)</sup>: laudandam justitiam, sed hærendum lucro:

*τὰ μὲν  
Δίκαιοι επαινεῖ, τοῦ δὲ κερδαίνειν ἔχου,*

a quo præcepto etiam improbissimi verbo, re et factis ne ii quidem, qui boni viri habentur, omnes abhorrent. Nunquid igitur, ut aliam vestem domesticam habemus, aliam forensem, ita alia aliis laudabimus, alia ipsi consectabimur? An hoc potius significant ve-

<sup>110)</sup> O. et D. 643.

<sup>111)</sup> georg. II, 412 sq.

<sup>112)</sup> fragm. Aethiopum.

tera illa poetica proverbia, cum s<sup>e</sup>repe varia  
ac multiplices sint hominum sententiae, ita  
ut eadem alii laudent, alii vituperent, gra-  
vesque interdum inimicitiae ex ejusmodi dis-  
sensionibus oriantur, debere nos sinere  
unumquemque judicio suo uti et potius,  
quam ullam dimicationem aut contentionem  
suscipiamus, laudare judicium ipsius, sed ta-  
men id, quod optimum est, sequi? Ita mihi  
quidem videtur. Et cetera quidem hoc sen-  
su accipi queunt, Sophocleum illud non po-  
test, neque alia ratione summum poetam de-  
fendi posse arbitror, quam ut dicamus, eum  
habuisse rationem decori et sententiam pro-  
tulisse convenientem ei personae, quae tum  
loquens induceretur. (XVII, 8.)

## 30.

*Roma cur et a quo orbis compendium dictum.  
Gregorii XIII. pontificis laus.*

**I**n excerptis e primo <sup>113)</sup> libro deipnosophi-  
starum Athenaei legimus, non aberraturum,  
si quis urbem Romanam epitomen totius orbis  
vocaverit, quod et Romanam ex omnibus ter-

---

<sup>113)</sup> c. 36. p. 75 ed. Schweigh. Vol. b

rarum partibus longe plurimi confluunt, et, quidquid usquam visendum ac spectabile est, Romæ spectari potest. Quam laudem etiam hodie post tot barbarorum insultus, tot strages, tot direptiones, *æterna urbs*, ut eam veteres vocarunt, magna ex parte retinet, ut nunc quoque cum Propertio<sup>114)</sup> vere dicere liceat:

*Omnia sunt pariter rerum miracula Romæ,  
Natura hic posuit, quidquid ubique fuit.*

Atque haud scio, an unquam eam epitomen orbis aut communem patriam verius vocare licuerit, quam hoc tempore, cum Gregorius XIII. pontifex maximus, incredibili animi magnitudine et depraedicanda omnibus sacerulis in universum hominum genus caritate, Hebræorum Christianam religionem suspicere volentium, Græcorum, Armeniorum, Germanorum, Britannorum collegia instituit, magnifica eis, ubi habitent, ædificia extruxit, redditus, quibus alantur, attribuit, templa ingentia posuit: ut, singulari temporum nostrorum felicitate, sacrosanctum Christi nomen ac numen omnium populorum linguis ac ri-

---

<sup>114)</sup> III, 22, 17 sq.

tibus una in urbe celebretur. Cujus pontificis inexhausta et indefessa liberalitas, orbis nostri finibus non contenta, penetravit etiam ad gentes veteribus incognitas et nostro pri-mum saeculo repertas, constitutis quaternis numorum aureorum millibus, quae quotan-nis usque in Japponem ad sustentandos eos, qui cælesti doctrina populos illos imbuerent, mitterentur. Hoc est vere communem om-nium pastorem, vere Christi vicarium, esse. Sed ad laudes illius pleniore ore celebrandas alius mihi, si Deus volet, constitutus est lo-cus. Nunc, quod dicere coeperam, cum Athe-naeus non indicarit, quis e veteribus Roman epilomen τῆς οἰκουμένης vocasset, visum est monere, ejus appellationis auctorem fuisse oratorem Polemonem, ut testatur Galenus commentario primo in Hippocratem de arti-culis. (XVII, 12.)

## 31.

*Xenophontis libri primi anabaseos locus non satis fide-liter ab eruditō interprete redditus.*

**N**on fraudabo gloriola sua scito et eleganti præditum ingenio puerum, M. Antonium, fratri mei filium, qui hodie jussus a me Xe-

nophontis primum<sup>115)</sup> anabaseos conferre cum interpretatione Romuli, cum alia satis multa notavit ab interprete partim omissa, partim negligentius reddita, tum hoc, quod mihi animadversione dignum visum est, cum et insigne sit neque ab optimo typographo, qui tamen in notandis Romuli erratis satis alioqui diligens fuit, animadversum. Xenophon enim, cum, exposita Cyri morte, de moribus et ingenio ipsius, ut solet, dissenseret multaque argumenta colligeret, quibus ostenderet, eum multitudini eximie carum fuisse, hoc quoque inter cetera utitur, quod, quamvis ipse fratris servus foret, nemo tamen, desertis ipsius partibus, ad fratrem transfugerit, cum multi contra quotidie a Xerxe deficerent seque in Cyri castra conferrent. Unum excipit Orontem, qui conatus sit a Cyro transfugere, sed conatum illum infastum ei atque infelicem fuisse. Καὶ οὗτος δέ, inquit, ὃν φέτο πιστὸν οἱ εἶναι, ταχὺ αὐτὸν εὑρε Κύρῳ φιλαίτερον, η ἔαυτῷ, quæ verba ita interpretatur Romulus: *Quem ta-*

---

<sup>115)</sup> c. 9. §. 29.

*men rex, dum sibi fidelem putat, Cyro pene,  
quam sibi, amiciorem invenit.* Atque nihil minus dicit Xenophon, quam quod eum Romulus dicentem facit. Neque de rege loquitur, sed eum, cui uni ex omnibus plurimum fidei Orontas habebat, repertum esse dicit Cyro, quam Orontæ, amiciorem. Litteras enim, quas ad regem de proditione ferre jussus erat, ad Cyrum attulit, atque, ita proditione detecta, Orontas capite pœnas luit. Hoc, cum et ad historiæ veritatem vel maxime pertineret et, mirante me, a puero nondum duodecim annos nato sagacissime animadversum esset, dignum, quod adscriberem, judicavi. (XVII, 20.)

## 32.

*Sacrum pro populi salute in domo consulis fiebat quotannis, idque Atheniensium exemplo.*

**O**ccultum quoddam sacrum antiquitus in consulis domo quotannis ab ipsius consulis uxore pro salute populi, unde et *Damnum* vocabatur, fieri solitum, in quod maribus ingredi non liceret, omnes sciunt, cuius etiam violati tam sœpe Cicero Clodium accusat. Sed, ejus sacri originem Græcam esse, fortassis non sœque multi sciunt. Monebo igitur, Athenis quo-

que in consuetudine positum fuisse, ut quotannis in domo ejus, qui eo anno rex esset, ejusdem generis sacrum quoddam fieret ab uxore regis. In hac autem urbe consules ipsi quoque quasi anni quidam reges erant. Hoc, quod dixi de Atheniensibus, si quis, unde sit, querat, reperiet apud Demosthenem in oratione adversus Neæram <sup>116)</sup>. (XIX, 11.)

## 33.

*De Horatio Coclide Senecæ narratio, ab aliis præmissa.*

**O**bservatione dignum arbitror, quod, cum P. Horatius Cocles in ponte sublicio solus impetum hostium excepisset rescissoque ponte incolumis tranasset ad suos, gratus erga tantam virtutem populus Romanus fuit et, præter statuam aheneam in comitio positam, tantum ei agri, quantum uno die circumarasset, dedit, cum in modicis opibus necesse esset modica esse magnarum virtutum præmia. Sed illud quoque memoratu di-

<sup>116)</sup> Vol. II. p. 1369 sqq. ed. Reisk.

gnum est, eum illud ipsum quantulumcunque præmium accipere notuisse, non, quod aspernaretur, ut parum, sed, quod inutilem reip. civem esse duceret, qui ob operam publice navatam opulentior esse aliis civibus vellet ac non potius in ipsa recte facti conscientia et in caritate ac benevolentia ci-vium suorum satis sibi magnum præmium poneret. Hoc tamen neque a Livio <sup>117)</sup> neque a Dionysio <sup>118)</sup> neque a Plutarcho <sup>119)</sup> ponitur, quin potius ii omnes ita loquuntur, ut ab eo acceptum fuisse præmium si-gnificant. Seneca tamen, alios videlicet au-tatores secutus, aliter narrat, cuius verba subjiciam e capite septimo libri septimi de beneficiis: *Illam alteram possessionem agno-scet, hanc nolet habere, et si poterit, emitteisque illam vocem, quam Romanus imperator emisit, cum illi ob virtutem et bene gestam remp. tan-tum agri decerneretur, quantum arando uno*

---

<sup>117)</sup> II, 10.

<sup>118)</sup> antiq. Rom. V, 23,

<sup>119)</sup> Poplicol. c. 16.

*die circuire posset. Non est, inquit, vobis eo opus cive, cui plus opus sit, quam uni civi.* Hæc Seneca, qui, quanquam Coclitem non nominat et eum, de quo loquitur, quod in Coclite mirum videri potest, Romanum imperatorem vocat, *Coclitem tamen intelligere videtur.* Sed et in veterum Galliæ regum annalibus egregia facta perexiguis olim præmiis decorata legimus, non, quod minoris fieret virtus, sed, quod avidiores tunc homines gloriæ minus avidi pecuniæ forent gloriamque suam contaminari ac pollui crederent, si quod aliud præmium acciperent, nisi tam leve, ut appareret, eos non id quæsiisse. Sic antiquis temporibus victores sacrorum certaminum non auro ac gemmis nitentem, sed pineam aut oleaginam coronam ferebant, quæ virtutis non præmium, sed indicium esset. Nostra ætas virtutem gratis colere desiit, versaque vice exigua hodie lenonibus præmia videntur, quæ olim exercituum ductoribus nimis magna visa essent. (XIX, 18.)

---



V.

M. ANTONII MURETI

COMMENTARIORUM

ALIQUOT LOCA POTIORA.

Ut villici, si quando dominum, venatu fessum aut imbri subito deprehensum, tugurio suo exceperunt, cum praeter panem cibarium et vappam aut lorean nihil ferre habeant, quod ei apponant, perlustrant tamen penarum cellam et, siquib[us] forte aut pernam sale ac fumo duratam aut tergus suillum aut callum aprugnum reconditam ac sepositum habent, promunt ac proferunt pauperes divitas, ut animnum saltem suum hero atque hospiti probent: ita ego nunc executio omnes arculas memoriae meae et, *Flo-  
riſteris ut apes in saltibus omnia libant, Vagor* itidem, quod de se alicubi Pindarus ait, *per prata Musarum*, si forte possim ex multis et variis floribus sertum aut corollam non priorsus injucundam contexere.

*Muretus ad Platonem  
de repub.*

## 1.

**IN CICERONIS CATILINARIAS COMMEN-  
TARIUS.**

I, 1. **A**nimadversione dignum, esse hic integrum senarium jambicum,

*Senatus hæc intelligit, consul videt,  
et quidem aliquanto meliorem eo, quem ex  
oratione in Pisonem annotavit Fabius* <sup>1)</sup>:

*Pro di immortales, hic quis illuxit dies?*  
 At jambicos quidem vel sexcentos e Ciceronis scriptis possit aliquis minimo negotio colligere. Neque fortasse mirandum. *Magnam enim partem*, ut ipse <sup>2)</sup> ait, *ex jambis nostra constat oratio*. Ο δε ἴαμβος, ait Demetrius <sup>3)</sup>, τῇ τῶν πολλῶν λέξει ὅμοιος. πολλοὶ γοῦν

<sup>1)</sup> Quintil. inst. or. IX, 4.

<sup>2)</sup> Cic. orat. 56.

<sup>3)</sup> de elocut. c. 45.

μέτρα ἱαμβικὰ λαλοῦσιν, οὐκ εἰδότες. Aristoteles autem lib. 3<sup>4)</sup> de arte dicendi, Ὁ ἱαμβος, inquit, αὐτὴ ἐστιν ἡ λέξις ἡ τῶν πολλῶν. διὸ μάλιστα πάντων τῶν μέτρων ἱαμβεῖα φθέγγονται λέγοντες. Idem etiam confirmat εν τῷ περὶ ποιητικῆς<sup>5)</sup>. Ideoque Flaccus<sup>6)</sup> vocat jambum *Alternis aptum sermonibus*. Quid, quod heroicos quoque non paucos in Cicerone aliisque antiquis scriptoribus repertas? atque adeo haud ab re fuerit aliquot indicare, ne cui forte hoc audentius, quam verius, protulisse videamur. Orationis pro Archia principium est: *Si quid est in me ingenii, judices, quod sentio quam sit exiguum; aut si qua exercitatio dicendi,*

*In qua me non inficiar mediocriter esse versatum.* Nonne videtur poetam poetice velle defendere? at hic quidem, quod in media periodo est, minus fortasse sentiatur. Quid, hic ex oratione ad Quirites post redditum<sup>7)</sup>: *Denique omnes, qui vestris maximis beneficiis*

<sup>4)</sup> c. 8.

<sup>5)</sup> c. 22.

<sup>6)</sup> Hor. A. P. 81.

<sup>7)</sup> c. 6.

*Honoribusque sunt ornati, producti ad vos ab eodem, non solum ad me conservandum vos cohortati sunt, sed etiam rerum mearum gestarum*

*Auctores, testes laudatoresque fuerunt.*

*Et pro Plancio <sup>8)</sup>: Victoriae nostræ graves adversarios paratos:*

*Interitus nullos ultores esse videbam.*

*Et lib. 1 <sup>9)</sup> Academicarum quæstionum: Quæ Cum sunt dicta, in conspectu consedimus omnes.*

*Et 4 <sup>10)</sup> Tusculanarum: Illud animorum corporumque dissimile est, quod animi valentes.*

*Morbo tentari non possunt: corpora possunt.*

*Et 5 <sup>11)</sup>: Hoc loco multa ab Epicureis disputationetur:*

*Hæque voluptates singillatim extenuantur.*

*Sed nihil admirabilius, quam integrum di-*

<sup>8)</sup> c. 38.

<sup>9)</sup> c. 4.

<sup>10)</sup> c. 14.

<sup>11)</sup> c. 33.

stichou, quod lib. 3<sup>12)</sup> de oratore annotavi  
Ita enim loquitur Crassus: *Ac mihi quidem  
veteres illi majus quiddam animo*

*Complexi, plus multo etiam vidiisse videntur,*

*Quam quantum nostrorum ingeniorum acies  
intueri potest, etc.* Ponam etiam aliquot exempla ex aliis scriptoribus, ne quis eos hac in parte Cicerone fuisse diligentiores putet. Salustius<sup>13)</sup>: *Alii autem equites illos,*

*Cnæi Pompeji veteres fidosque clientes,  
voluntate ejus Pisonem aggressos. Livius  
lib. 7<sup>14)</sup>: Pugnation haud procul*

*Porta collina est totius viribus urbis.*

Idem eodem libro<sup>15)</sup>: *Ipse, ubi illuxit, in  
radicibus montium extendere aciem coepit*

*Sedulo, ut adversus montes consisteret hostis.*

At hoc quidem rarum in Livio non est. Quid plura? M. Cato<sup>16)</sup>, cum oratione simplicissi-

<sup>12)</sup> c. 5.

<sup>13)</sup> Catil. c. 19.

<sup>14)</sup> c. 11.

<sup>15)</sup> c. 14.

<sup>16)</sup> de R. R. 1.

ma de agris judicium faceret, heroicum effun-  
gere non potuit. Ejus verba sunt: *Vinea  
est prima, si vino multo siet, secundo loco  
hortus irriguus, tertio salictum, quarto ole-  
tum, quinto pratum, sexto campus frumenta-  
rius, septimo silva cædua,*

*Octavo arbustum, nono glandaria silva.*

Vereor, ne paullo, quam pro re, lon-  
gior fuerim. Sed tamen, quod omnes artis  
rhetoricæ magistri tantopere clamant, vitio-  
sissimum esse versum in oratione soluta fa-  
cere, semel mihi faciendum putavi, ut pro-  
latis exemplis ostenderem, ne ipsos quidem,  
qui hoc præcipiunt, perpetuo id præstare  
potuisse. (T. II. p. 535 sqq. ed. Ruhn.)

Video, interpres conturbari, quod  
idem et pontifex maximus et privatus esse  
dicatur. In eo autem nulla repugnantia est:  
Pontificatus enim magistratus non est. Qua-  
re nihil prohibet, eundem et pontificem ma-  
ximum esse et privatum. Nisi forte quis pu-  
tet, omnes honores, qui a populo mandan-  
tur, esse magistratus. Quod longe abest a  
vero. Nam pontificatum magistratum non  
esse, vel hinc licet intelligas, quod, nisi mor-  
te, non finiebatur. At magistratus nullus

erat hujusmodi. Nam in Sylla et Cæsare, dictatoribus perpetuis, alia quædam ratio est. Item duos magistratus simul gerere poterat nemo. At nihil vetabat, qui pontifex maximus esset, eum vel prætorem vel consulem fieri vel alium ejusmodi honorem capere. Ramus aliter hoc explicare conatus est. Ita enim scribit: *Privatum esse et cum imperio esse contraria sunt; at sacerdotes tum imperium non habuere.* Primum, quod ait, sacerdotes tum non habuisse imperium; cur illud tum addiderit, nescio. Nunquam enim sacerdotes imperium habuerunt. Nisi forte respexit ad religionis nostræ pontifices: quod non puto. Deinde quod illa, tanquam contraria, opponit: privatum esse et cum imperio esse; mea quidem sententia, fallitur. Valdeque miror, etiam Fr. Hotomanum jurisconsultum in explicatione prioris actionis in Verrem idem tradidisse. Ego vero multos reperio, et qui privati essent tamen cum imperio et qui imperium non haberent neque tamen essent privati. Cn. Pompejus, quo tempore contra Sertorium missus est, privatus erat, ut Cicero aperte testatur undecima Philippica<sup>17)</sup>, et tamen cum imperio consu-

<sup>17)</sup> c. 8.

lari. At contra censores privati, opinor, non erant, qui tamen imperium non habebant. Ne tribuni plebis quidem. Itaque non pro imperio summovebant populum, sed blande, hoc modo: *Si vobis videtur, decedite, Quirites.* Verius igitur erat illud, privatos esse, quicunque magistratum non gerunt. (T. II. p. 539.)

I, 4. Vereor interdum, ne mea in scriptoribus reprehendendis ab aliquo culpetur audacia. Quod si id obtrectandi studio faciem, egomet ipse me temeritatis impudentiaeque damnarem. Nunc cum investigandae atque eruendae veritatis desiderio incensus faciam, pro qua summus philosophorum non aliena tantum, sed sua etiam cuique, si res ferat, evertenda esse placita pronuntiavit; neminem puto æquum rerum aestimatorem fore, qui mihi non id laudi potius, quam vitio adscribat. Etenim sive eos merito accuso: quis me propterea vituperandum duxerit? sive injuria: prodeat aliquis, qui eadem opera et culpa illos et errore me liberet. Nam, quemadmodum ait Aeschines, privatorum iniicitiis multa in republica corrigi; ita in litteris quoque plurima litteratorum homi-

num non inimicitiis quidem, sed modestis  
et ab omni contumelia remotis dissensioni-  
bus corriguntur. (T. II. p. 547.)

I, 9. Cupiditates, quæ in hominum men-  
tibus enascuntur, itemque consilia, quæ ca-  
piuntur, a diis immitti, multi veterum cre-  
diderunt. Hinc in poetarum scriptis vide-  
mus, heroas omnia de consilio alicujus dei  
facere: Agamemnona Junoni, Achillem, Aja-  
cem, Diomedem, Ulyxem, Jasonem Palladi,  
Paridem Veneri, alios denique aliis deis ob-  
temperare. Etiamque, ut quisque deus cui-  
que homini bene aut male consultum cupe-  
ret, ita putabatur bonum aut malum consi-  
lium ei dare, profuturas aut nocituras cupi-  
ditates in animum illius immittere. Cujus rei  
exempla ab iisdem poetis innumera peti pos-  
sunt. Et ex hac sententia dictum est a Vir-  
gilio <sup>18)</sup>:

*Hic mihi nescio quod trepido male numen  
amicum*

*Confusam eripuit mentem.*

Et a Catullo <sup>19)</sup>:

---

<sup>18)</sup> Aen. II, 734 sq.

<sup>19)</sup> XL, 5 sq.

*Quis deus tibi non bene advocatus  
Verecundem parat excitare rixam?*

et a Cicerone in Miloniana <sup>20)</sup>: *Hic dii immortales, ut supra dixi, mentem dederunt illi perdita ac furioso, ut huic faceret insidias.* Alii contra ipsas cupiditates ceterasque affectiones animi deos esse autumarunt. Quæ utraque dogmata Virgilius <sup>21)</sup> hic versibus complexus est:

*Dine hunc ardorem mentibus addunt,  
Euryale, an sua cuique deus fit dira cupido?*

Cum enim animum ipsum aut deum aut partem quandam dei putarent esse (id quod postea Pythagorei comprobarunt), quidquid in deo esset, deum esse credebant. Neque vero, quod quasdam cupiditates malas esse atque exitiosas viderent, idcirco de sententia dimovebantur, nam deos quoque alios bonos faciebant, alios malos. Ex hac opinione amor in deos relatus est; ex hac spei, timori, impudentiae consecrata sunt fana; ex hac Euripides εὐλάβειαν <sup>22)</sup>, id est, cautionem, utilis-

<sup>20)</sup> c. 33.

<sup>21)</sup> Aen. IX, 184 sq.

<sup>22)</sup> Phœn. 789.

simam deam, φιλοτιμίαν<sup>23)</sup> vero, id est, ambitionem, deam perniciosissimam, et φθόνον<sup>24)</sup>, id est, invidentiam, deum injustissimum nominavit. At harum quidem opinio-  
num utramque falsam esse constat. Vera au-  
tem et, quoniam, ut ait Aristoteles, verum  
vero pugnare non potest, religione nostrae  
consentanea est Plotini, gravissimi ac sanctissimi philosophi sententia: omnes honestas et  
laudabiles cupiditates, omnia recta et hone-  
sta consilia immitti divinitus in animos no-  
stros; vitiosa autem quæ sunt, ea ex naturæ  
nostræ corruptione ac depravatione profici-  
sci. In hanc me disputationem deduxerunt  
verba illa Ciceronis: *Utinam tibi istam men-  
tem dii immortales donarent.* Vere autem  
ut dicam, libenter facio, ut excurram in hu-  
jusmodi locos, quo rerum minutiorum ta-  
dium admista graviorum et majoris momen-  
ti argumentorum tractatione minuatur. (T. II.  
p. 561 sq.)

Romanorum legionum proprium signum  
fuisse aquilam, constat. Cum autem legio

<sup>23)</sup> ibid. 534.

<sup>24)</sup> Androm. 492.

divideretur in decem cohortes, prima cujusque legionis cohors semper suscipiebat aquilam, ut est apud Vegetium<sup>25)</sup>. Erat autem *aquila* parvum sacellum sive, ut Cicero hic loquitur, *sacrarium*, in quo inerat aquilæ effigies vel argentea, ut hic videmus, vel aurea. Id sacellum, hastæ impositum ex inferiori parte acutæ, quo in terram defigi posset, portabat is, qui *aquilifer* dicebatur. Narrat Dio lib. 40.<sup>26)</sup> Aquilas autem illas divino cultu affici solitas esse, et ea, quæ modo recitavi, indicant, et Ciceronis hoc loco verba confirmant. (T. II. p. 565 sq.)

I, 11. Usum quendam verbi *mactare*, paucis, ut arbitror, notum, quem ante hos decem<sup>27)</sup> annos annotavi et publice docui, cum, etiam tum adolescentulus, Limoni, quod Pictorum oppidum est et humaniorum litterarum et juris civilis studiis florentissimum, Amphitruonem Plautinam enarrarem, trade-re hoc loco institui simulque locum Plautinum, a quibusdam, qui eum non intellige-

<sup>25)</sup> MDXLVI.

<sup>26)</sup> de re milit. II, 6.

<sup>27)</sup> c. 18.

bant, corruptum, declarare. *Mactare igitur hostiam* alicui deo usitate dicimus, ut

*Caelicolum regi mactabam in littore tau-  
rum* <sup>27)</sup>.

At *mactare deum* quempiam aliqua *hostia*, minus sœpe usitatum illud quidem, sed tam en a veteribus dictum esse constat. Atque inde jocandi occasionem arripuit Plautus, apud quem Mercurius, assumpta Sosiæ forma, cum Amphitruonem advenientem ludificaret et a foribus repelleret, multis ulro citroque jactis conviciis, ad postremum ita eum alloquitur: *Sacrufico ego tibi* <sup>28)</sup>. Cumque miratus Amphitruo subjunxisset, *Qui?* respondet ille: *Quia enim te macto infortunio.* Ubi jocus est, ut dixi, e vocabuli ambiguitate quæsusitus. Nam cum *mactare aliquem* interdum sit ei sacrificare, ad hanc verbi notionem Mercurius respiciens ei se sacrificaturum pollicetur. At postea illudens pro *hostiæ* nomine ponit vocem *infortunio*. Quid autem sit *mactare aliquem infortunio*, nemo nescit. Hoc qui non intelligebant, corrū-

<sup>27)</sup> Virg. Aen. III, 21.

<sup>28)</sup> IV, 2, 14.

perunt et versum et sententiam, adjectis duabus voculis, hoc modo: *Sacrifico ego hunc tibi, Jupiter.* Ejusdem autem locutionis exemplum est in interrogatione in Vatinium <sup>29)</sup>: *Cum inaudita ac nefaria sacra suscepferis, cum inferorum animas elicere, cum puerorum extis deos Manes maciare soleas.* At extra hos duos locos, haud scio, an ullum præterea illius exemplum in veterum scriptis reperiatur. (T. II. p. 567 sq.)

II, 10. Barbam aluerunt Romani usque ad annum ab V. C. quadringentesimum quinquagesimum quartum, quo tempore primum e Sicilia tonsores in urbem adduxit P. Licinius Mena, ut est apud Plinium lib. 8 <sup>30)</sup>, ideoque tam sæpe Cicero veteres illos barbatos vocat, pro Murena <sup>31)</sup>: *Apud illos barbatos,* pro Cœlio <sup>32)</sup>: *Aliquis mihi ab inferis excitandus est ex barbatis illis,* pro Sextio <sup>33)</sup>: *Unum te aliquem ex barbatis illis.* Tunc radi cœperunt. Itaque multo ante Scipionis Africani æta-

---

<sup>29)</sup> c. 6.

<sup>30)</sup> H. N. VII, 59.

<sup>31)</sup> c. 12.

<sup>32)</sup> c. 14.

<sup>33)</sup> c. 8.

tem et ipsa Scipionis ætate non senes modo, verum etiam adolescentes radebantur. Ipse autem Africanus (credo, propter mollitatem quandam) primus radi quotidie instituit, ut idem Plinius auctor est. Quin etiam, cum reorum mos esset barbam promittere, ipse tamen, die sibi a tribuno plebis ad populum dicta, radi non desisti. Postea increbuit consuetudo, ut barbam alerent juvenes, radebant senes, ut cognoscitur ex A. Gellio<sup>34)</sup>. Cicero igitur hoc loco *bene barbatos cum dicit*, homines adolescentulos significat. Sic ad Atticum<sup>35)</sup>: *Concursabant barbatuli juvenes.* (T. II. p. 599.)

III, 1. *Fatum* Cicero vocat interitum. Idemque Græcis in usu est, qui *μοῖραν* et *πότμον* et *χῆρα* pro morte dicunt etiamque *πεπρωμένην*, ut in illo versiculo:

'Αφυκτόν ἔστι τὸ τῆς πεπρωμένης κακόν.

Quæ harum vocum usuratio unde mihi manasse videatur, aperiam. *Fatum* re vera significat consilium voluntatemque divinam,

<sup>34)</sup> N. A. III, 4.

<sup>35)</sup> ep. I, 14.

qua omnia ex omni æternitate ita constituta sunt, nihil ut accidere possit, quod non deus infinito ante tempore præsciverit, et quidem certo ac præfinito præsciverit. Nefariæ enim impietatis esset dicere, Dei scientiam aut non omnium esse aut incertam esse ac fluctuantem. Quod tamen non ita accipiendum est, ut, quod quidam scelerati faciunt, malorum caussas referamus in Deum. Nam, ut medicus, qui certo prænoscit, ægrotum ex hac aut illa infirmitate peritum, non tamen ægroto mortis caussam afferre dicendus est; ita Deus, quamvis hunc aut illum flagitiosum fore præcognoscit, minime tamen in caussa est, ut ille flagitosus evadat. Cendum est etiam diligentissime, ne stoicorum vesaniam insequamur aut aliorum, qui spoliatas omni libertate hominum mentes servitute devincire conantur tolluntque e rebus omnibus casum et, quidquid de rebus futuris affirmatur negaturve, id definite verum aut definite falsum esse confirmant. Quod longissime abest a vero. Etenim permulta sunt, quæ, antequam fiant, vel fieri vel non fieri possunt; estque ita plane libera hominum voluntas, ut nemo invitus bonus fiat, nemo invitus malus, alioqui enim frustra

virtutibus præmia, frustra vitiis supplicia constituerentur. Sed tamen et ea ipsa, quæ eam naturam habent, ut et hoc et illo modo evenire possint, certo prænoscuntur a Deo: et, quamvis liberum erat Catilinæ conjurare in patriam vel non conjurare, Deus tamen conjuraturum illum ex omni æternitate præsciverat. Dei autem scientia nullam necessitatem rebus imponit. Nam, ut vere et sapienter ab hominibus eruditissimis iisdemque sanctissimis dictum est: modus cognitionis non immutat naturam rei cognitæ. Ac Deus quidem uno prorsus modo prænoscit omnia, neque tamen omnia uno eodemque modo eveniunt. Nam, ut insistamus in exemplo proposito, non minus certo sciebat Deus, fore, ut Catilina bellum faceret patriæ, quam fore, ut aleretur, ut cresceret, ut somnum caperet, ut quotidie ad senium magis accederet. Alter tamen hæc contigerunt et alter illud. Nam hæc, etiam ipso Catilina invito, allatura erat naturæ necessitas, illud in ipsius voluntate atque arbitrio positum fuit. Hunc igitur rerum ordinem in mente divina constitutum proprie accepto *fati* nomine significari ajo. Credebant autem veteres, quo temporis puncto quis nasceretur, eo ipso fatali-

ter constitui de morte atque interitu ipsius,  
quod indicat hic versiculus Manilii <sup>36)</sup>):

*Nascentes morimur, finisque ab origine  
pendet,*

et illud Senecæ:

*Primusque dies dedit extremum.*

Atque hac potissimum in re vim fati  
elucere arbitrabantur. Inde factum opini-  
nor, ut morti atque interitui *fati* nomen tri-  
buerint. Quod autem hic annotat Silvius,  
*fati* nomen non accipi pro morte naturali,  
sed tantum pro morte violenta, longe falsis-  
simum est. Immo vero, violentam mortem qui  
oppetunt, *præcipere* aut *præoccupare fata* et  
*præter fatum mori* dicuntur. Et ita accipien-  
dus est locus ille e secunda <sup>37)</sup> Philippica:  
*Multa autem impendere videntur præter natu-  
ram præterque fatum, et versus ille Virgi-  
lii* <sup>38)</sup>:

*Nam, quia nec fato merita nec morte per-  
ibat.*

(T. II. p. 608 sq.)

<sup>36)</sup> astronom. IV, 16. Senet. Oedip. 988.

<sup>37)</sup> Non II, sed I, 4.

<sup>38)</sup> Aen. IV, 696.

III, 5. Veteres, ut nunc quoque fit, in annulis signatoriis, quas cuique libitum erat, imagines exprimendas curabant. Sæpiissime tamen imagine alicujus præstantis viri in signando utebantur. Sylla dictator traditione Jugurthæ semper signavit. Intercatiensis quidam, cuius patrem Scipio Aemilianus ex provocacione interfecerauit, cum hoc ipsum sibi gloriosum duceret, quod pater suus cum tanto viro dimicans imperfectus fuisset, signasse postea dicitur ejus pugnæ effigie, vulgato Stilonis Praæconini sale, quidnam fuisse facturum eum, si Scipio a patre ejus interemptus esset. Scipio, superioris Africani filius, imagine patris sui. Divus Augustus primo sphinge, mox imagine Alexandri Magni. postremo sua, quam expresserat Dioscorides. Atque hac etiam inseuti principes signare perseveraverunt. Mæcenas rana. Nostris temporibus Viglius Zuichemus, præstantissimus jurisconsultus, Pallade signavit. Vidi aliquot Erasmi epistolas, quæ omnes signatae erant Termino, additis duabus vocibus, *nulli cedo*, non sine suspicione arrogantiæ. (T. II. p. 619 sq.)

III, 10. Supplicationes interdum huic aut illi deo, interdum *ad omnia pukinaria*,

id est, omnibus diis, constituebantur. Ibant per urbem coronati pueri, matronæ, virgines, nonnunquam etiam lauream manu tenuentes, canebantque hymnos compositos in laudem deorum, ac decernebatur supplicatio vel ad avertendum aliquod malum, quod aut premeret aut immineret, vel ob rem bene ac feliciter gestam. (T. II. p. 630 sq.)

IV, 2. Unaquæque urbs suos quosdam habere putabatur deos, quorum in tutela esset. Ideoque Romani cum considerarent aliquam urbem jamque inibi essent, ut eam caperent, prius deos illos certo quodam carmine evocabant: quod aut aliter urbem capi posse non crederent aut, etiam si posset, nefas existimarent deos habere captivos. Eademque de caussa et deum, in cuius tutela urbs Roma esset, et ipsius urbis Latinum nomen ignotum esse voluerunt. Vide Macrobius libro tertio <sup>39)</sup> Saturnaliorum. (T. II. p. 639.)

---

<sup>39)</sup> c. 9.

## 2.

## SCHOLIA IN TERENTIUM.

**S**cenā quid sit, notum est omnibus. Quod autem actus fabularum partimur in scenas aliamque *primam scenam*, aliam *secundam* et sic deinceps dicimus; quam perite et intelligenter id fiat, quærendum puto. Evidem, libere ut dicam, grammaticorum hanc, non poetarum, esse partitionem arbitror neque credo, *scenam* pro parte actus apud ullum probatum scriptorem, si grammaticos excipias, legi. Itaque neque apud Plautum ulla *scenarum* mentio est, et in Terentii fabulis aliter ab aliis distinguuntur, et in veteribus Terentii libris, etiam impressis, neque prima neque secunda neque ulla omnino scena nominatur. (T. II. p. 661.)

**H**eutont. III, 2, 1. Hoc loco potissimum libet pusillum quiddam neque tamen contemnendum cum studiosis communicare, id est, super ratione scribendæ vocis *ocium*, quam video ab aliis per t, ab aliis per c litteram scribi. Ac jam primè Pierius, quo nemo unquam subtilius, nemo accuratius istius generis minima maxi-

ma perscrutatus est, in optimis illis bonæque frugis plenissimis annotationibus in Virgilium suis, quid hac de re sentiret, aperuit. Nam, cum in Romano libro versum illum <sup>40)</sup> ita scriptum esse dicat:

*Parthenope studiis florentem ignobilis oci,*  
aliis tamen locis omnibus eo ipso in libro *otium* affirmat legi. Profert etiam inscriptio-  
nes antiquas librosque veteres aliquot, in qui-  
bus ea vox per t litteram legatur. Ego tan-  
tum Pierio tribuo, ut, cum antea *ocium* et  
*negocium* scribere consuevissem idque verius  
putarem, postea, sola ipsius auctoritate mo-  
tus, a mea consuetudine discesserim. Neque  
tamen, quid sentiam, dissimulandum puto.  
Marmora numismatave antiqua, quæ hanc  
aut illam scripturam confirmarent, mihi qui-  
dem inspicere adhuc non contigit. Libros  
veteres nonnullos vidi, in quibus *otium*, mul-  
tis partibus plures, in quibus *ocium* scribere-  
tur. Adeoque nunc ipsum, de quatuor ma-  
nuscriptis Terentii libris, quos babeo, in  
duobus *otium*, in aliis duobus *ocium* perpe-  
tuo scribitur. Habeo et Sallustium satis anti-

---

<sup>40)</sup> Virg. georg. IV, 564.

quum, in quo nunquam aliter, quam *ocium* et *negocium* legas. Ciceronis autem quotquot vidi veteres libros, in eis eodem modo scriptum animadverti. Paulus quidem Magnolus, magna homo doctrina, diligentia etiam admirabili, cum Ciceronis libros de officiis accuratissime cum antiquis exemplaribus consulisset, testatum reliquit, se in antiquis omnibus *ocium* et *negocium* per c litteram reperisse. Movet me quoque vehementer Donati auctoritas, qui in locum illum ex Eunucho<sup>41)</sup>:

*Suspitiones, inimiciūœ, inducīœ,*

*Inducīœ*, inquit, sunt pax in paucos dies, vel quod in diem dentur vel quod in dies *ocium* præbeant. Quæ si posterior notatio vera est, dubitationem res amplius nullam habet. Quin etiam, si vera non sit, credibile tamen est, Donatum aliquam probabilitatem secutum, quæ nulla fuisset, si ipsius temporibus *inducias* per c, *ocium* autem per t scribere erudit consuissent. Piget super re tam tenui plura verba facere, neque sane magnopere labore, utra opinio recipiatur. Non enim in

---

<sup>41)</sup> I, 1, 15.

eo positas esse, ut ille dicebat, Græciæ fortunas, satis intelligo. Cum tamen eruditissimi olim homines de singulis litteris singulos libros scripsisse memorentur; non est, cur ego, qui præclare mecum agi duco, si per illorum vestigia repere liceat, has disputationes mihi parum decoras putem. (T. II. p. 685 sqq.)

Phorm. III, 5, 6. Profecto nunquam quisquam satis attente veteres inspexit libros. Hoc adeo ea ex re venit in mentem mihi. Ego abhinc triennium, cum primum hæc scholia divulgarē meditarer, Terentii fabulas cum plurimis calamo exaratis voluminibus, quam potui, diligentissime contuli. Præcipue autem unum, quod adhuc habeo, quia ceteris emendatius videbatur, ita diligenter inspexi, liquido ut me jurare posse arbitrarer, nihil in eo, quod quidem alicujus momenti esset, non accuratissime excussum. Sed cum postea eundem librum evolverem, valde equidem opinione falsum esse me comperi. Nam cum alia multa minime negligenda deprehendi tum locum, quem nunquam antea intellexeram, illius ope percepī. (T. II. p. 699.)

## 3.

## IN CATULLUM COMMENTARIUS.

**XXXI, 12.** **M**os erat, ut, qui primum ingredierentur regionem aliquam ad eamve ex intervallo reverterentur, religiose eam salutarent, idque, quoniam cuique loco suum quendam genium præsesse arbitrabantur. Itaque Pythagorici ob id aliis alios locis fortunatores esse rebantur: prout videlicet cum cujusque loci genio cujusque hominis genius conveniret. (T. II. p. 764.)

**LI, 1.** Libet hoc loco singularem gratiam inire ab iis omnibus, qui antiquitatis studio et delicatorum versuum suavitate capiuntur. Etenim, cum Dionysii Longini libellum *περὶ ψυχοῦ*<sup>42)</sup>, qui nondum a quoquam editus est, hortante eodem, qui me ad hæc scribenda impulit, singularis doctrinæ eximiæque virtutis viro, Paulo Manutio, Latine interpretari cœpisset, ut eodem tempore optimus liber et Græcus et mea opera La-

<sup>42)</sup> c. 10.

tinus factus ederetur; cum alia in eo sane plurima deprehendi digna, propter quæ liber ipse communi omnium elegantium hominum desiderio expetatur, tum oden suavissimam poetriæ Sapphus, quam versibus maxima ex parte Catullus expressit. Quis autem est, duntaxat eorum, qui aliquem litterarum atque humanitatis sensum habent, qui non summam voluptatem capiat mulieris in hoc genere longe post homines natos præstantissimæ et poetæ Latinorum omnium mollissimi versibus invicem comparandis? Eam autem od̄en, cum locis aliquot depravata esset, versusque ipsi permisti confusique invicem essent, jam, ante quam liber in meas manus veniret, emendaverat distinxeratque homo et Latinarum et Græcarum litterarum cognitione excellens, Franciscus Portus, qui idem cum in aliis optimis utriusque linguæ scriptoribus tum in Aeschylo multa felicissime emendavit, quæ adhuc in omnibus impressis libris depravata circumferuntur. Eum igitur merita laude fraudare nolui. Sed jam neminem esse arbitror, qui non decimam illam Musam audire gestiat.

Φαίνεται μοι κεῖνος ἵσος θεοῖσιν  
 Ἐμμεν' ἀνὴρ, ὅστις ἐγκατίον τοι  
 Τιζάνει καὶ πλασίον ἀδὺ φωνού-  
 σας ὑπακούει,  
 Καὶ γελώσας ἴμερόεν, τό μοι τὰν  
 Καρδίαν ἐν στήθεσιν ἐπτόασεν.  
 'Ως ἴδον σε, βρόγχον ἐμοὶ γὰρ αὐδᾶς  
 Οὐδέν τοι δέ τις οὐκέτι.  
 'Αλλὰ καμμὲν γλῶσσ' ἔαγ', αὖ δὲ λεπτὸν  
 Αὐτίκα χρῶ πῦρ ὑποδεδρόμακεν  
 'Ομιλτεσσιν δ' οὐδέν δρημι· βομβεῦ-  
 σιν δ' ἄκοαι μοι·  
 Καδδ' ἴδρας ψυχρὸς χέεται· τρόμος δὲ  
 Πλάσαν αἴρει· χλωροτέρη δὲ ποίας  
 Εμμι· τεθνᾶναι δ' ὀλίγου δέοισα  
 Φαίγομαι ἄπνους.

(T. P. p. 784 sq.)

LXI, 81. Nihil est, quod magis juven-  
 tum deceat, quam honestus pudor. Itaque  
 et M. Cato dicebat, *Placere sibi juvenes, qui*  
*erubescerent, non, qui pallescerent;* et Dioge-  
 nes verecundum illum ruborem *colorē vir-*  
*tutis esse dicebat;* et Pythias, Aristotelis filia,  
 interrogata, qui sibi color videretur pulcer-  
 rimus, *Eum,* respondit, *qui in ingenuis ex*  
*pudore enasceretur.* Virgines autem prae-  
 cipe commendat: unde tam sæpe *virgineum*

*pudorem virginalemque verecundiam in scriptis veterum legimus. (T. II. p. 797.)*

LXVI, 1. Ptolemæus cognomento Euergetes Berenicen seu Beronicen (utroque enim modo nomen hoc scriptum reperio), Ptolemæi Philadelphi ex Arsinoe priore filiam, sororem suam, in matrimonio habuit. Neque enim ea conjunctio inhonesta Aegyptiorum legibus habebatur. Ea recens ducta, contigit, ut expeditionem adversus Assyrios suscipieret. In quam cum proficiseretur, vovisse crinem suum Veneri Berenice dicitur, si sibi vir suus sospes victorque rediret domum. Cujus devotionis suæ cum, re præclare a Ptolemæo gesta, convictam se judicio deorum immortalium videret, quo se religione exolveret, crinem rite in Veneris æde appendit. Is cum postridie repertus non foret, magnoque ob eam rem rex reginaque in moerore essent; Conon, mathematicus ea tempestate excellens, persuasit ipsis, crinem deum numine sublatum in cælum et in sidus conversum fuisse; idque Callimachus, qui principem illum propter singulare bonarum artium studium numinis loco habebat, poemate<sup>43)</sup> complexus est. (T. II. p. 832 sq.)

---

<sup>43)</sup> epigr. LV.

XCV, 4. Hic versus intelligi non potest, nisi in vetere aliquo libro inseguens, qui temporum injuria amissus est, reperiatur. Sed et ante hunc ipsum in veteribus libris tantum spatii est, quantum uni, quod minimum sit, disticho scribendo sit satis. Has plagas sanare ipsi non possumus. Non enim vates aut harioli sumus. Procul autem a nobis absit tantus furor, ut imitemur, quod, malo exemplo, alii quidam fecerunt: quibus religio non fuit, ubi quid deerat, hasce sacrosanctas venerandæ antiquitatis reliquias admistis ineptiis suis, intolerabili audacia, contaminare. Licuerit fortasse diis, (ut in fabulis est) cum humerum Pelopis Minerva depasta esset, veri loco eburneum apponere: nobis certe non licet, ubi veros honorum poetarum versus absumsit vetustas, alias a nobis confictos eorum loco substituere. Docui supra, hoc a Parthenio in versibus Sapphicis factum fuisse. Idem (ut incitata semel audacia non novit modum, multisque, ut iterum peccare audeant, satis argumenti est semel peccasse). hoc etiam loco fecit, pentametrumque suum Catulli versibus immiscuit. Id ipse fassus ni esset, hodie fortasse versus ille sine ulla dubitatione Catullo tribueret.

tur. Itaque verba ipsius ascribam: *Hic quam manifeste desit pentameter versus, ac ejus subtractione sensus poetæ sit imperfectus; nemini bono viro arrogans aut impudens, sed potius pium atque officiosum factum meum videri debet, si meo civi, Catullo, de patria nostra bene merito, versum meum hoc in loco, quo usque suum poeta inveniet, mutuabo, immo etiam, si poetæ placuerit, benigne donabo. Omnia enim amicorum inter bonos cives sunt communia. Suppleatur itaque hic Catulli nostri locus hoc modo:*

*Vilia cum interea quingenta Hortensius uno  
In pede stans fixo carmina ructat hians.*

*Hoc mihi faciendum quoque fuit superius, ubi Adonium versum vetustate abolitum Sapphicis supplevi.*

Aperte ista officia, Partheni: non placent. Nemo, opinor, sanus bonos libros isto modo juvari velit. Ut in signis, ita in scriptis quoque veteribus, si quam labem importaverit vetustas, mutila potius ipsa nos, quam a recenti aliquo artifice interpolata, deletant. At, tanquam unum insanisse non esset satis, accessit alius, qui spatium hoc ita impleret:

*Millia cum interea quingenta Hortensius uno  
Accipit autumno versum ab Antimacho.*

Mibi ita videtur: quæ in bonis auctoribus desunt, ut e libris veteribus, adhibita ope ingeniosorum exercitatorumque hominum, suppleantur, omni studio laborari debere: sin minus, τὸν δεύτερόν, φασι, πλοῦ; vendum quidem certe esse, ne quid alieni admisceatur. (T. II. p. 861 sq.)

CXIII. Ne hic quidem me pudebit fateri, hos quatuor versus a me non intelligi. Possem, quæ ab aliis afferuntur, refellere; possem ipse quoque, si liberet, aliquid eorum exemplo configere. Malo simpliciter id, quod est, dicere neque facere, quod isti, qui, dum integra, corrupta, facilia, difficilia, nusquam hæsitanter, sine ullo discriminè interpretantur, imperitis fortasse docti, doctis quidem et intelligentibus imperiti atque audaces videntur. Sed nimirum cæcorum oculis tantundem intempesta nocte, quantum vel meridie, lucet. Accuset in his locis inscitiam meam alias, dum ipse, quod probemus, afferat. Gaudebimus. (T. II. p. 869)

## 4.

## IN TIBULLUM SCHOLIA.

II, 3, 11 sqq. cf. III, 4, 67 sqq. **S**equitur Tibullus Rhiani, veteris poetæ Græci, et Callimachi μυθολογίαν, qui Apollinem sponte Admeto serviisse tradunt, ipsius amore captum. Nam alii ajunt, eum damnatum a Jove hac poena ob interfectos Cyclopas, ut Euripides<sup>44)</sup>, apud quem Apollo ipse ita loquitur:

Ω' δάματ' Ἀδμήτει', ἐν οἷς ἔτληγ ἐγὼ  
 Θῆσσαν τράπεζαν αἰνέσαι, θεός περ ἀν.  
 Ζεὺς γὰρ κατακτὰς παῖδα τὸν ἐμὸν, αἴτιος,  
 Ἀσκλήπιον, στέροισιν ἐμβαλὼν φλόγα.  
 Οὐ δὴ χολωθεὶς, τέκτονας δίον πυρὸς  
 Κτείνω Κύκλωπας. καὶ με θητεύειν κατῆρ  
 Θυητῷ παρ' ἀνδρὶ τῶνδ' ἄποιν' ἡνάγκασεν.  
 Ελθὼν δὲ γαῖαν τίνδ', ἐβούφρόβονυ ἔξινφ.

Est autem hic ille Admetus Pheretis filius, cui cum fatales anni expleti essent, Apollo a Parcis obtinuisse dicitur, ut ipsius morti mora aliqua produceretur, si quis reperiretur, qui pro eo mori vellet. Tunc igitur neque

<sup>44)</sup> Alcest. 1 sqq.

Pheres, grandis natu pater, neque jam exacta ætate mater Clymene, neque denique quisquam amicorum repertus est, qui non suam, quam alienam, vitam servare mallet. Sola uxor Alcestis ea in virum fuit caritate ac fide, ut se sponte pro eo ad mortem obtulerit. Sed et eam ipsam postea Hercules liberavit. Ex eo coeptum est vulgo cani Athenis σκόλιον quoddam, cuius alii Alcæum, alii Sappho, alii Praxillam Sicyoniam auctorem esse dicebant. Cujus principium hoc fuit:

Ἄδμητοθ λόγον, ὃ ταῖρε, μαδὸν, τὸνς ἀγα-  
δοὺς φίλει,  
Τῶν δειλῶν δ' ἀπέχουν, γνοὺς, ὅτι δειλῶν  
όλιγα χάρις.

Hæc autem uxor ei Apollinis beneficio venerat. Cum enim Pelias pater nuptias illius proposuisset ei, qui leonem et caprum ad eundem currum jungeret; id ei Apollo ipse confecit. (T. II. p. 893 sq.)

## 5.

## IN PROPERTIUM SCHOLIA.

I, 20, 6. **E**st operæ p̄tium cognoscere, puer hic [Hylas], qui tantopere heroi fortissimo carus et acceptus fuit, quo modo in ipsius manus pervenisse dicatur. Ea de re ita memorie proditum est. Hercules cum Dejaniram Oenei filiam duxisset uxorem, Calydone degebat. Quodam die accidit, ut Cyathus puer Architelis filius, qui Oeneo pocula ministrabat, Herculi manus abluturo aquam eam, quæ abluendis pedibus comparata erat, insciens infunderet. Indignatus Hercules pugno eum interfecit. Quam ob cædem profugus, cum una cum uxore se in viam dedisset, ad Evenum fluvium Nesso centauro mortem attulit, ut et Archilochus narrat. Deinde progrediens, in Dryopiam venit. Est autem ea gens rapinis ac latrociniis dedita, contermina Mileensibus, ut est apud Pherecydem in tertio <sup>45)</sup>. Ibi cum Hylus filiolus, quem secum ferebat, esuriret, Lycas autem

<sup>45)</sup> historiarum. Vid. Pherecydis fragment.  
p. 107 ed. Sturz.

*pedagogus procul relictus esset, a Thiodamante, in quem inciderat, Hercules pauxilulum cibi petere occöpit. Negat ille. Commotus Hercules abreptum interfectumque unum e bobus ipsius cum sacrificasset, epulabatur. Currit propere in Dryopum urbem Thiodamas evocatosque eos aduersus Herculem educit. Tum in eam necessitatem Hercules adductus est, ut uxorem quoque armaverit. Quam etiam in pugna vulnus accepisse propter mammam, ferunt. Sed tandem superior effectus Hercules, Thiodamante interfecto, filium ejus Hylam abduxit eumque in deliciis habuit.* (T. II. p. 919 sq.)

II, 3, 19. *Tres veteres poetaræ, Sappho, Corinna et Erinne.* Quarum de prima nihil dicere necesse est, non enim potest illa cuiquam ignota esse, nisi qui litteras nesciat. De duabus autem aliis, quoniam non æque notæ sunt, aliquid commemorare haudquam alienum fuerit. Corinnæ igitur duæ fuerunt: una Thespia, altera aut Thebana aut Tanagræa, utraque poetica laude insignis, hæc quidem ita, ut Pindarum quinque vicesse tradatur, sed Pausanias<sup>46)</sup> id

---

<sup>46)</sup> in Boëoticis sive IX, 22.

eo factum putat, quod Pindarus Dorica lingua caneret, quæ non satis intelligeretur ab Aeolibus, illa autem Aeolica, neque non illud ad conciliandam victoriam profuisse tradit, quod mulier esset omnium per id tempus formosissima. Erinnen autem Sapphonis aequalem et sociam fuisse accepimus, quæ poema scripserit, quod colum vocavit, partim Aeolica dialecto, partim Dorica, trecentis versibus constantis, tanta felicitate, ut eam cum Homero ex aequo contulerit antiquitas. Obiit autem virgo annos habens undeviginti. Ac, ut de Homeri, ita de hujus quoque patria ambigitur. Sunt enim, qui Tejam, sunt, qui Teliam, sunt, qui Lesbiam, sunt, qui Rhodiam faciant (T. II. p. 923.)

III, 1, 1. Philetæ secundas partes in elegia tribui solitas, ait Fabius<sup>47)</sup>. Eum ita exili corpore fuisse prodit Athenæus<sup>48)</sup>, uti necesse habuerit pilas plumbeas ad pedes gestare, ne subverteretur a vento. Mortuum autem e labore, quem capiebat in studiis, et

<sup>47)</sup> Quintil. inst. or. X, 1.

<sup>48)</sup> Athen. IX, 64 p. 485 et XII, 77 p. 551  
ed. Schweigh.

e molestia, quam contraxit, cum fallacis et captiosæ stoicorum conclusiunculæ, quam Græci ψευδόμενος, Cicero <sup>49)</sup> mentientem vocat, dissolutionem reperire non posset. (T. IL p. 928.)

## 6.

## IN HORATIUM SCHOLIA.

Poteram facile supersedere hoc labore annotandi quidquam in epistolam de arte poetica: tot enim erudi homines in eam scripserunt scribuntque quotidie, ut ea brevi pauciores aliquanto versus, quam interpretes habitura videatur. Accedit huc alia caussa, quod is, quem sæpe jam nominavi, Achilles Statius Lusitanus, mihi homo conjunctissimus. omniq[ue] elegantis doctrinæ genere affatim excultus, suos in eandem commentarios propediem editurus est, tanta diligentia atque accuratione confectos, ut facile confidam, omnes homines judicaturos, non frustra eum post tot alios in eandem incubuisse curam. Suspenso igitur, ut ajunt, brachio

<sup>49)</sup> de divinat II, 4.

eam percurrere satis habebo et, veluti dicas  
caussa, pauca quædam annotare, quæ an alii  
jam notaverint, nescio. Non enim sane nisi  
per admodum paucorum scripta legi. Sed  
cum omnes, qui tractamus litteras, iisdem  
fere utamur libris; fieri nullo modo potest,  
ut non eadem animadvertiscantur a pluribus.  
Itaque mirari soleo, cum quidam ventosi ho-  
mines conqueruntur, ea notare alios, quæ  
ipsi quoque antea viderint; in eoque ita dis-  
putant, gravem sibi minimeque tolerandam in-  
juriam fieri; nullam esse rationem, quæ ipsis  
quoque in mentem venerint, ea dicere alios  
sine honorifica ipsorum appellatione. Atque  
operæ pretium est quorundam ea in re co-  
gnoscere amentiam. Deprehensi \*) enim sunt,  
qui cum legissent commentariolum, quem  
proximo superiori anno in Catullum edidi-  
missis ad amicos litteris me accusarent, quod  
quædam afferrem ut mea, quæ ipsi plus tri-  
ginta jami annos in libris suis notata haberent.  
Quasi vero magnopere mihi laborandum fue-  
rit, quid in libro suo notasset is, quem ego

---

\* ) *Deprehensi sunt minus propriæ pro re-  
pertii sunt. R.*

natum mehercule nesciebam. Sed, ut ad rem si quid ab aliis dictum, tacito ipsorum nomine, attulero, testificor, id me eo facere, quis, quod bona ipsorum venia dictum sit, quidquid mihi datur ocii, soleo non paullo libenter in veterum quam in recentiorum scriptorum lectione consumere: non, quod hos contemnam, sed quod, a quibus ipsi didicerunt ab iisdem volo ego quoque, si liceat, discere (T. II. p. 967.)

## 7.

## IN SENECAE SCHOLIA.

Ep. 1. **A**ntiqui breves quasdam sententias, quibus multum sapientiae paucis verbis adstrictum contineretur, ad Deum referebant auctorem. Ejusmodi fuerunt: *Nosce te ipsum; Deum sequere; Ne quid nimis;* ejusdemque generis aliae. Fuit et haec in nobilissimis atque omnium sermone celebratissimis: *Tempori parce. Mentio ejus apud Ciceronem libro tertio* <sup>50)</sup> *de finibus; apud hunc nostrum epistola, ut a me quidem numerantur, nona-*

---

<sup>50)</sup> c. 22.

gesima quarta, ut ab aliis, nonagesima quinta; apud Clementem Alexandrinum stromate primo<sup>51)</sup>; apud Stobæum λόγῳ γ<sup>52)</sup>, alios. Et quod ait princeps medicorum, *Vitam esse brevem, artem vero longam*, non de medendi modo arte, sed et de sapientia, quæ vivendi ars est, multo etiam verius dici potest. Zenonis<sup>53)</sup> est, *Nulla re ita nos egere, ut tempore.* Nos autem ridicule de vitæ brevitate querimur: partem ejus multo maximam sine fructu effluere patimur. Et cum mortem nobis imminentem sentimus, si quis se triduum aut quadrivium ad vitam nobis adjecturum profiteatur, omnia dare ac profundere parati sumus: cum sæpe integros menses atque annos ita nobis eripi passi sumus, ut si ex pleno ac redundanti et superfluenti aliquid nullius pretii largiremur. At Theophrastus<sup>54)</sup> συνεχῶς ἔλεγε, πολυτελές ἀνάλωμα εἶγαι τὸν χρόνον. (T. III. p. 24.)

<sup>51)</sup> Non I, sed V, p. 658 ed. Potter.

<sup>52)</sup> p. 98 ed. Schow.

<sup>53)</sup> Diog. Laert. lib. VII. segm. 23.

<sup>54)</sup> Stobæo teste.

Ep. VI. Aristides quidem vel ex ipso aspectu ac contactu Socratis mirificam se quandam utilitatem percipere solitum esse profitetur his verbis: *Ego enim, o Socrates, nihil unquam a te didici, ut et ipse nosci; proficiebam autem, quoque tecum una eram, etiam si tantum una in domo essemus, quanquam non in eodem cubiculo; magis tamen, si quando in eodem etiam cubiculo. Et tum quoque magis, si in te dicentem intuerer, quam si oculos aliam ullam in partem dirigerem; multo autem maxime ac plurimum proficiebam, si quando proxime te sederem tangeremque te et hærerem tibi.* Hæc, ut potui, expressi e Platonis Theage in extremo<sup>55)</sup>. (T. III. p. 29.)

Ep. XI. Omnia scribebant veteres iis litterarum formis, quas hodie majusculas vocamus. Neque ulla fere erant inter singulas voces intervalla. Punctis interjectis vocem a voce distinguebant, hoc modo: QUANQUAM. TE . MARCE . FILI. (T. III. p. 46.)

Ep. XLV. Præstigiatores sunt, quos Græ-

<sup>55)</sup> p. 23 sq. Bip.

ci *psephopaectas* vocant, frequentissimum etiam hodie circulatorum genus, qui celeritate quadam ac dexteritate manuum e pluribus acetabulis, quæ in mensa exponunt, efficiunt, ut, quos calculos sub uno ab eis conditos putares, eos statim sub alio ostendant, ita ut calculi illi ex uno acetabulo in aliud transisse videantur. (T. III. p. 47.)

**Ep. LVIII.** Ut *essentiae*, sic *entis* nomine nati necesse habent, qui Latine philosophari volunt. Neque vero ita defungi queunt, ut pro *ente* dicant *id quod est*, alioqui in magnas saepenumero se induent difficultates. Idem accidit iis, qui *possibile* et *impossibile* dicere, saltem in disputationibus philosophicis, reformidant: cum Plato, Aristoteles, Epicurus, Zeno in lingua infinitis partibus copiosiore innumerabilia tamen vocabula fingere necesse habuerint. Evidem, ut de meo sensu libere atque ingenue fatear, multa puto ab istis delicatis in S. Thoma, in Joanne Scoto aliisque ejusmodi eruditissimis hominibus irrideri, quæ et necessaria sunt et talia, ut, si quis ea vetustis illis temporibus protulisset, magnam ei gratiam omnes philosophiae studiosi habituri fuisse videan-

tur. Nos, dum teneris auribus videri volūmus, tenera nobis ac puerilia esse ingenia neque, veræ ac solidæ eruditionis capacia, ostendimus. (T. III. p. 52 sq.)

Quod hic de Platone dicitur, eum sibi vitam moderata vivendi ratione produxisse, idem fere de Herodico Selymbriano memoriæ proditum est et a Platone ipso et ab Aristotele et a Plutarcho. Et Galenus quiddam de se non absimile narrat. Ejusdem rei luculentissimum maximeque commemorabile exemplum vidi olim Patavii, Aloysium Cornelium Venetum, hominem splendidissimo genere natum eundemque amoenissimo ingenio et suavissimis moribus præditum, cuius etiam libellus extat de commodis, quæ ex parca et moderata vivendi ratione capiuntur. Is, cum anno fere quadragesimo ita profligata valetudine esset, ut a medicis prope depositus ac desperatus mortem potius, quam vitam, ad breve aliquod tempus ægre extracturus videretur, ita vitam instituere cœpit, ut cibum ad pondus, potum ad mensuram sumeret neque unquam ne tantulo quidem modum, quem ipse sibi præscripserat, excederet, modicis corporis

exercitationibus uteretur, curas omnes procul ab se ablegaret, animum sermonibus amicorum aliisque honestis oblectationibus hilararet: quibus rebus id consecutus est, ut et morborum expers vixerit et diu medicis suis superstes ad extremam senectutem pervenerit. (T. III. p. 56.)

Ep. LXXXVIII. Liberalia studia vocabantur Romæ, quæ apud Græcos ἐγκύρωτα μηδίματα, id est, certa quædam, quæ omnes fere ingenui et honesto loco nati, non illi quidem accurate et exquisite perdiscere, sed delibare tamen modice ac degustare consueverant. Nam et grammaticis operam dabant, a quibus rectam orationis strukturam et syllabarum modum cognoscerent historicorumque ac poetarum intelligentia imbuuerentur, et geometriam, musicen arithmeticosque, quidam et picturam discebant et præterea luctandi, equitandi aliasque corporis exercitationum magistres habebant. (T. III. p. 68.)

De ira I, 15. Scio, Græce dici φρενίτις; sed in omnibus cujusque generis Latinis veteribus libris scriptum video phrenesim et phreneticus,

*non phreniticus.* Et tamen olim quidam plane *phreneticus* sive, ut ipse dici malebat, *phreniticus*, cum quendam Varronis versum ita edidisset, ut repereram:

*Phrenetici, septem trionum filii.*  
*clamabat, omnes, qui ita scriberent, et Græci et Latini sermonis imperitos esse; in me,*  
*quasi primus ita scripsisse, invehebatur, ri-*  
*dente me et cum homine ad conviciandum*  
*exercitatissimo certamen refugiente. Non de-*  
*bet autem cuiquam aut mirum aut novum vi-*  
*deri, in voce peregrina, quam veteres Latini*  
*sibi utendam sumerent, unam litteram mu-*  
*tatam esse. Illi, quæ erat apud Græcos υλη,*  
*non sylvam aut sylvam, sed silvam fecerunt;*  
*iidem, littera η in diphthongum mutata, scæ-*  
*niam dixerunt, quæ illis fuerat σκηνή; neque*  
*tropæum, sed tropæum; neque hyemem,*  
*quamvis erat ab υω, sed hiemem vocarunt.*  
*Nilum Melonem, Ganymedem Catamitum,*  
*Odyssea Ulixem, Ajanta Ajacem nominarunt*  
*et talantum noluerunt, quod erat τάλαυτος,*  
*talentum maluerunt. Sed apud insanos et in*  
*eo, quod semel dixerunt, obstinatos nihil*  
*momenta rationum valent. (T. III. p. 98.)*

De brevitate vitæ c. 20. Quod hic  
 de Turannio dicitur, simile quiddam, me

puero; narrabatur de mercatore quodam Parisiensi , ceteroqui viro bono , sed , qui tota vita nihil unquam vacui temporis a litibus forensibus habuisset etiamque tunc capularis senex fora omnia quotidie per vagaretur. Quod cum ad Franciscum pri-  
mum, Galliarum regem, elegantissimi homi-  
nem ingenii, perlatum esset; quietis se ali-  
quid misero homini confecturum et cum  
omnibus, tum qui quid ab ipso peterent, tum  
a quibus ipse peteret, bonis et æquis condi-  
tionibus transacturum recepit. At infelix se-  
nex ad regem accurrit provolutusque ad il-  
lius genua supplex orat, ut sibi una saltem  
aut altera lis, in qua se exerceret, relinque-  
retur: vitam sibi, adempta illa exercitatione,  
injucundam et insuavem fore: Risit rex et  
homini, qui quiescere, nisi inquietus, non  
posset, lites suas, ubi se arbitratu suo defa-  
tigaret, reliquit. (T. III. p. 116 sq.)

Natural. quæst. II , 31. Mihi hoc  
contigit, ut paucis mensibus ante, quam  
Hippolytus cardinalis Ferrarensis, qui ita  
de me meritus est, ut perpetuo animæ  
ipsius bene precari debeam, ex hac vita  
discederet, fulmen, in palatum ipsius deci-

dens, ad mea usque cubicula pervenerit. Ibi gladii, qui ad lectum unius e famulis meis pendebat, mucronem ipsum ita colliquefecit, ut in globulum converterit, vagina prorsus illæsa. (T. III. p. 126.)

## 8.

IN ARISTOTELIS ETHICA COMMEN-  
TARIUS.

I, 6. Exponam, quid Plato ideæ nomine intellexerit. Duo sunt ex sententia Platonis in Timæo <sup>56)</sup> genera rerum: unum earum, quæ sensu percipiuntur; alterum earum, quæ mente et intelligentia. Prius illud ait esse *nunquam semper fieri*; posterius *nunquam fieri, semper esse*. Etenim esse ea demum, quæ semper sunt, quæ immutabilia sunt, quæ nunquam neque oriuntur neque occidunt; fieri autem, non esse ea, quæ assidue mutantur, quæ et orta sunt et interitui obnoxia. Jam vero omnia, quæ sub sensum cadant, et orta et interitura sunt, eademque per-

<sup>56)</sup> p. 301 et 348 sq. Bip.

petuo labuntur ac fluunt neque diutius permanent uno et eodem statu. Itaque veteres philosophi, Protagoras, Heraclitus, Empedocles, cum ad hæc tantum respicerent, omnia fieri, nihil esse dicebant, ut est apud Platonem in Theæteto<sup>57)</sup>, et refertur in Cratylō dictum Heracliti<sup>58)</sup>: "Οτι πάντα ἔται καὶ οὐδέν μένει. καὶ ὅτι δις εἰς τὸν αὐτὸν ποταμὸν οὐκ ἀνέμβαλης. At species et genera, quibus singulæ res continentur, et uno verbo τὰ καθόλου, et fuerunt ex omni æternitate neque unquam esse desinent neque ulli mutationi obnoxia sunt, sed semper eodem modo se habent. Non enim homo aut animal aut nascitur aut interit, sed hic homo atque hoc animal: neque semper verum fuit eritve, Socratem esse animal ratione prædictum; at idem de homine ex omni æternitate verum fuit semperque erit. Neque semper verum est, Aristidis justitiam esse virtutem, non enim semper est Aristides; at semper verum, justitiam esse virtutem. Hoc intuens Plato statuit, τὰ καθόλου sola proprie esse atque

<sup>57)</sup> p. 70 Bip.

<sup>58)</sup> p. 267 Bip.

idcirco esse πρώτας οδοίας καὶ μάλιστα οὐσίας, cetera autem esse tantum κατὰ μεθεξίν τινα τῶν καθόλου. Hæc autem universa vocabat εἴδη aut ἰδέας, id est, species aut formas rerum et αὐτοέκαστα, ut αὐτοάνθρωπον idean hominis, αὐτόιππον idean equi. (T. III. p. 191.)

III, 10. Philoxenus, genere Cytherius, poeta, scripsit dithyrambos et poemata, quod inscripsit δεῖπνον, quo lauta edulia et instruendi apparandique convivii rationem exposuit. Hunc narrant non tantum ipsum studiosum fuisse laute opipareque vivendi, verum etiam curam adhibuisse, ut cives sui bene conditis epulis vescerentur. Itaque ejus rei caussa quotidie, cum lavisset, urbem circumibat, comitantibus pueris, vinum, oleum, acetum aliaque ad cibos condierdos necessaria ferentibus, et singulorum domos ingrediens inspiciebat, quid cuique in cœnam paratum esset, ac, si quid minus recte conditum erat, ipse de suo condiebat. Tum, ita lustrata urbe, domum reversus epulabatur. Hic cum aliquando Ephesum venisset ac forum cupedinarium vacuum offendisset, percontatus, quid esset rei, cum accepisset, quid-

quid erat obsoniorum, in aedes cuiusdam, qui nuptias celebrabat, delatum esse, ipse quoque, quanquam et hospes et invocatus, eodem ad prandium profectus est et cum ceteris accubuit. Cumque dominus epuli, ejus ingenio delectatus, dixisset: *Philoxene, nunquid cras quoque nobiscum epulaturus es?* etiam, inquit, si, ut hodie, nihil erit in macello. Adhibitus ad mensam aliquando a Dionysio tyranno, cum ipsi quidem Dionysio ingentem nullum, sibi autem multo minorem appositum videret, suum a patina sublatum ad aurem admovit simulavitque, quasi quiddam ex eo percontaretur. Quærenti caussam Dionysio, *Ego, inquit, o rex, poema quoddam de Gulatea scribo, quare quærebam ex hoc pisce quiddam de Nereidibus, quo poema meum exornarem, sed ipse juniores se captum ait, quam ut illa per ætatem cognoscere potuerit, e grandiore illo, qui tibi appositus est, si quæram, illic mihi facile ea, quæ volo, explicaturum.* Conversus in gisum Dionysius, pisces, qui sibi appositus erat, ad Philoxenum misit. Ab hoc tamen ipso tyranno conjectus est in latomias, cuius rei hæc catissa a Plutarcho traditur libro de fortuna et virtute Alexan-

dri <sup>59</sup>). Dionysius ipse quoque poemata scribebat eaque, cum inconcinna et illempida essent, optima videri volebat. Cum igitur tragödiam quandam scripsisset, eam Philoxeno inspiciendam dedit, ut corrigeret, si quid forte corrigendum videretur. Ille vero una litura totam emendavit. Indignatus Dionysius compegit eum in illum carcerem, quem modo nominavi. Unde tamen postea liberatus, cum iterum Dionysium audiret sua poemata recitantem, adulantibus et plaudentibus ceteris, exurgens ipse, *Mitte me*, inquit, *denuo in latomias*; *illuc enim aetatem degere satius est, quam tam mala poemata audire.* (T. III. p. 298 sq.)

V, 1. Græci sua lingua vocant *clen*, quem Latini *jugulum*, id est, os, quod a summo humero ad imum collum pertinet, et eodem nomine vocant *clavim*. Unde jocus elegans Philippi, Macedonum regis, cui cum Iesus in bello jugulus esset, medico, a quo curabatur, assidue humorum aliquid poscen-

<sup>59</sup>) orat. II. c. 2. p. 370 ed. Wyttēnb. T. II.  
P. II.

ti, *At tu, inquit, quantumvis sume; habes enim in manu tua meam clavim.* Hoc Latine friget, quia Latini ad significandum *jugulum clavis* nomine non utuntur; Græce autem propter illam nominis ambiguitatem elegantissime dicitur. (T. III. p. 361.)

V, 5. Locrensibus leges tulerat Zaleucus, qui, cum intelligeret, nihil tam periculosum esse in republica, quam, abrogatis vetustis legibus, novas ferri, statuit, ut, qui novam legem rogare vellet, collo in laqueum inserto, id faceret, et, si quidem lex justa et honesta ab eo ferri videretur, id illi impunemente esset, sin minus, fracta laqueo gula interiret. Rem totam graviter et luculenter narrat Demosthenes orat. adversus Timocratem<sup>60)</sup>. Est et apud eundem oratorem de legibus non temere antiquandis novisque condendis locus insignis in ea adversus Leptinem<sup>61)</sup>. (T. III. p. 389 sq.)

Vix existimo, ullo in genere saepius a

<sup>60)</sup> Vol. I. p. 744 ed. Reisk.

<sup>61)</sup> p. 80 sqq. ed. Fr. A. Wolf.

librariis peccatum esse, quam cum unam eandemque vocem haud ita longo intervallo bis saepiusque positam reperiebant. Facile enim tum eveniebat, ut, properantes et operi suo non satis intenti, modo voces, modo versus, interdum etiam paginas totas transilirent. Innumerabiles propemodum locos, si opus sit, proferre possum ex Hippocrate, Platone, Aristotele, Polybio, Plutarcho, Athenaeo, Galeno, Laertio et aliis optimae notae scriptoribus, in quibus per ejusmodi oculorum errorem factae sunt maximae ac foedissimae labea. (T. III. p. 403.)

## 9.

## IN I. ET II. LIBRUM PLATONIS DE REPUBLICA COMMENTARIUS.

II. p. 250. **P**rimum hoc principium est, ut nihil Deo affingamus, sed eum, qualis vera est, talem etiam exprimamus. Sed hoc majus et difficilius est, quam ut humanis viribus praestari queat. Dei enim essentiam capere humanus animus non potest: solus Deus capax est sui, solus perfecte novit se et in se omnia. Caligat humana mens ad illam

immensam lucem omni luce superiorem et, quo se altius attollere conata est, eo se longius infra id, quod petit, jacere sentit. Apud Aegyptios in adyto Minervæ, quo nomine illi sapientiam divinam, id est, Deum ipsum intelligebant, ita scriptum erat: *Ego sum, quæ sunt, quæ futura sunt, quæ fuerunt.* *Tunicam meam nemo unquam retexit.* Quibus significabatur, Deum esse omnia; ejus autem plenam cognitionem neminem unquam consecutum. Vulgatum illud est de Simonide<sup>62)</sup>, qui, cum ex eo rex Hiero quæsisset, quidnam esset Deus, unum sibi diem ad cogitandum postulavit. Cum idem postridie sciscitaretur, biduum petiit. Idem cum saepius fecisset, admiratus Hiero, cur ita rem traheret, quæsiit. Tum ille, *Quo magis, inquit, cogito, eo mihi res videtur obscurior.* Nam nedum essentiam ipsius comprehendamus, ne nominare quidem eum ullo idoneo, quodque cum re significata adæquetur, nomine possumus. Vereque eum Mercurius ille, quem Ter maximum vocant, anonymon esse dixit. Neque immerito Socrates

---

<sup>62)</sup> Cic. N. D. I, 22.

in Philebo <sup>63)</sup> cohorrescere se dicit, quoties Deus aliquis nominandus est, metuentem, ne ei nomen aliquod parum conveniens tribuat. Et Platonici motum, quo animus noster fertur ad contemplandum Deum, σιωπησιν ψυχῆς, id est, silentium et taciturnitatem quandam animi vocant. Et D. Hieronymus principium psalmi apud Hebreos 65. ita convertit: *Tibi silentium laus, Deus*, quod eum silentio tantum et admiratione venerari, non etiam pro dignitate de eo aut loqui aut cogitare possimus. Neque tamē absterrei debemus, quo minus Deum, qualicunque possumus orationis genere, celebremus; sed perpetuo, quantum in nobis est, potentiam, sapientiam, bonitatem ipsius deprædicare, ita tamē, ut et agnoscamus et fateamur, omnia, quæ a nobis de ipso aut dici aut cogitari queunt, minus nihilo esse, si cum infinitate atque immensitate ipsius conferantur. (T. III. p. 577.)

---

<sup>63)</sup> p. 210. Bip.

## 10.

IN PRIMAM CICERONIS TUSCULANAM  
SCHOLIA.

**N**on eodem plane modo scripserunt dialogos Aristoteles et Theophrastus, quo eos scripsérat Plato. Nam Plato quidem, cui omnes dicendi veneres, omnes lepores, omnes festivitates domi, ut ajunt, nascebantur, ubertate quadam et abundantia orationis non res tantum ipsas explicat, sed multa etiam extrinsecus adhibet ornamenta, dum et loca describit et arborem patulis diffusam ramis et fluvium Ilissum ita frigidum, ut eum Socrates pedibus contingere vereatur; et personarum mores ac \*) ingenia prope comicorum more subjicit oculis, Thrasymachi confidentiam et impudentiam, Hippiæ levitatem ac vanitatem, Protagoræ arrogantiam et jactationem et similia. Aristoteles autem et Theophrastus, quamvis homines eloquentissimi, cum tamen sibi suavitatem illam Platonicam deesse sentirent, statim a rebus ipsis exordiebantur neque illa tentabant, in quibus tanto se Platone inferiores fore videbant. (T. III. p. 780 sq.)

---

\*) Ac nunquam ponitur ante vocalem. R

## 11.

## IN CICERONIS OFFICIA SCHOLIA.

I, 7. *Antigono regi duo milites ex ipsius exercitu noctu in lutosa et salebrosa via impediti maledicebant maleque precabantur. Prope aderat ignotus ipse et eos nullo negotio ulcisci poterat. Sed eos, quibuscumque modis potuit, adjuvare coepit, donec ex illa aspera et molesta via evasissent. Tum placide et comiter, Ite, inquit, et Antigono quidem, ut libet, maledicite. Sed ei bene precamini, qui vos adjuvit.* (T. III. p. 810.)

I, 25. Longe aliud est judicio et sententia, aliud voluntate atque animo dissidere. Nam etiam in sententiarum dissimilitudine ac discrepancia animorum tamen conjunctio servari potest, neque unquam boni viri quemquam, quod a se dissentiret, propterea in inimici loco habendum existimarent. Evertendam Karthaginem Cato, conservandam Scipio Nasica censebat. Num igitur eos inimico inter se fuisse animo creditus? Stultorum et imperitorum ista consuetudo est, qui, quoniam, ut ait comicus<sup>64)</sup>,

<sup>64)</sup> Terent. adelph. I, 2, 20.

*nisi, quod ipsi faciunt, nihil recte fieri putant,  
idcirco a se ne levissimis quidem in rebus  
dissentientes ferunt. (T. III. p. 813.)*

## 12.

## IN TACITI ANNALES COMMENTARIUS.

In Cornelii Taciti annalibus explicandis hanc rationem tenere constitui: ut in iis, quæ quotidie interpretanda sumam, primum quidem ea, quæ ad historiam pertinebunt, accuratissime ac subtilissime persequar efficiamque, quoad potero, ne quid illorum intelligentiam vestram, si me attente audietis, effugiat; ea deinde, quæ ad verborum elegantiam, quibus hic scriptor lectissimis et ad id, quod vult, exprimendum accommodatissimis perpetuo utitur, quæ ad structuram ac conformatiōnē orationis, in qua nemo unquam diligentior fuit, quæ denique ad eloquentiam facere putabo, indicem eorumque vos commo- nefaciam; postremo colligam et excerptam ex eo præcepta ad prudentiam præcipueque ad civilem prudentiam pertinentia, quorum incredibilem quandam vim his libris contineri, omnes summo consensu, etiam, qui alioqui Tacito iniquiores sunt, confitentur. Quod si semper eundem ordinem tenere non potuero,

certe tamen horum trium nunquam ullum sciens omittam. Ita nullus fere abibit dies, quo non ii, qui mihi operam dabunt, et veteris historiæ scientiores et Latinæ linguae intelligentiores et aliquo ad instituendam vitam præcepto auctiores instructioresque discedant. Cujus rei ut gustum jam nunc capere aliquem liceat, agedum, principium hoc, quo reddendam rationem consilii sui viamque sibi ad id, quod instituerat, præmuniendam censuit, mecum una considerate.

I. 1. *Urbem Romanam et cet. usque ad illud Postquam Bruto]* Exponit, quæ caussa fuerit, cur, Romanam historiam scripturus, extremis potissimum Augusti temporibus sibi exordiendum putaverit. Caussa autem hæc est, quod res Romanæ ab urbe condita usque ad id tempus claros ac luculentos scriptores nactæ essent, a quibus memoriae proderentur; at ea, quæ subsecuta erant, satis cum fide nemo scripsisset, id autem a se facilius posse præstari, quod, quæ res aliis scriptoribus, ne veram et incorruptam historiæ fidem retinerent, obstitabant, earum sibi nulla impedimento esse posset.

*Reges habuere]* Ita, quod antiquissimum in terris nomen imperii est, idem in urbe primum fuit. Regnatum autem est in urbe annos CCXLIV. aut, ut alii, CCXLV.

*Libertatem]* Pulsis regibus, regioque nomine in perpetuum sublato, ob constupratam per vim a Sexto Tarquinio, Superbi filio, Lucretiam, quæ animæ quidem suæ exitum, populo autem Romano aditum ad libertatem eodem pugione patefecit.

*Et consulatum]* Duo autem consules instituti, ut ne amplius summa rerum omnium potestas penes unum esset, tum ut in altero perfugium foret, si quid alter moliretur iniusti. Creati annui, ut modestius et innocenter imperarent, cum scirent, se quoque, ex acto anno, privatos fore, et a se administrati magistratus rationem postulatum iri. Ex illo igitur, quam diu viguit respublica, summum in urbe imperium consulum fuit. Quod si quæ inciderunt mutationes, breves tamen illæ fuerunt, usque ad imperium Augusti; quodque his verbis exequitur Tacitus:

*Dictaturæ ad tempus sumebantur]* Objere fortasse poterat aliquis: Quid consules modo nominas? Nonne respublica et sub dictatoribus interdam et sub decemviris et sub tribunis militum fuit? Respondet, illa omnia brevia et extraordinaria fuisse. Quis et quanto primum anno ab urbe condita dictator creatus fuerit, inter auctores ambigitur; et Li-

vius<sup>65)</sup> ipse in tanta discrepantia negat id pro certo constitui posse. Plures tamen in hoc consentiunt, creatum esse anno nono post reges exactos. Primum alii M. Valerium Volusum, alii T. Lartium faciunt. Creabatur fere periculis reipublicæ temporibus. Regia plane dictatori potestas aut etiam major. Inconsulto enim populo animadvertere in cuiusque civis Romani caput poterat, neque ab eo antiquis temporibus provocatio erat, quam etiam a regibus fuisse, ex libris Ciceronis de republica notat Seneca epistola CIX. Postea tamen etiam a dictatoribus provocari ad populum potuit. Antiquitus magister populi dicebatur. Creabatur e consularibus et ab altero consulum viva voce sine populi suffragiis. Interdum tamen senatusconsulto missa populo ejus creandi potestas. Equum ascendere non poterat, nisi prius rogato populo, ut id facere liceret. Id temperamentum quoddam immensæ illius potestatis fuit. Creato eo, aliorum omnium magistratum cessabat auctoritas. Soli tribuni plebis manebant, qui etiam aliquando dictatoribus intercessisse memorantur. Terminabatur sexto mense, nisi, ita postulantibus reipublicæ ne-

---

<sup>65)</sup> II, 18.

cessitatibus, prorogaretur. Ideoque ait Tacitus, dictaturas ad tempus sumi solitas. Duo soli dictatores perpetui creati, L. Cornelius Sulla et C. Julius Cæsar, quorum ille, cum amplius XL millia civium occidisset, ausus est dictaturam deponere seque publico sine ulla custodia credere; Cæsar, qui ob id Sullam litteras nescisse dicebat, cum et eam retineret et regium nomen, specie recusantis, flagrantissime ambiret, anno post oppressam rempublicam tertio et dictatura simul et anima spoliatus est. Quales Romæ dictatores, tales propemodum in Græcia Aesymnetæ.

*Neque X. viralis potestas]* Anno ab urbe condita, ut Livius (III, 33.) numerat, CCCI, ut alii, CCCII, cum jam consularis imperii, quo plerique superbius et immoderatius utebantur, plebem pertæsum esset, creati sunt ex senatusconsulto decemviri legibus ferendis consulari imperio sine provocatione, qui tum ex patriis institutis ac legibus tum ex moribus ac legibus Atheniensium ceterarumque Græciæ civitatum, quas legati, ob eam rem triennio ante in Græciam missi, tum primum attulerant, jura describerent, quibus postea in perpetuum senatus populusque Romanus ute-  
retur. Editæ tum ab iis decem tabulæ. Qui-

bus cum duas adhuc deesse percrebuisse; creati in annum quoque sequentem decemviri, qui illud quasi corpus juris absolverent. Grata, ut solet, ea mutatio plebi fuit, quam diu se decemviri comiter modesteque gesserant. Sed ubi, dulcedine dominationis abrepti, superbiam ac libidinem, prope perpetuas immodicæ potentiae comites, non exercere tantum, sed et ostentare coeperunt, jamque eos in perpetuum sibi imperium continuare velle constabat; commota plebs non prius tumultuari desiit, quam, rejecto decemviratu, respublica in pristinum statum restitueretur. Præcipua tumultus caussa App. Claudi libido, qui cum, Virginis, ingenuæ ac pudicæ virginis, insano amore correptus, nihil precibus, nihil pretio, nihil minis perficere potuisse; allegato M. Claudio, cliente suo, qui eam in servitutem postularet, ausus etiam adversus omne fas contraque legem a se latam vindicias in servitutem dare, patrem, virum fortem, eo necessitatis adduxit, ut medio fero, in ipsius Claudi et universi populi oculis, filiam unice caram jugalare ipse manibus suis maluerit, quam pati, ut ipsius pudicitia a quoquam minueretur. Ut igitur regibus Tarquinii, sic decemviris Appi

vesana cupiditas e manibus imperium extor-  
sit. Quod autem Tacitus negat, decemviralem  
potestatem ultra biennum valuisse, cum de-  
cemviri etiam ex tertio anno aliquid deliba-  
verint, recte facit. Etenim cum illud tem-  
pus, in quod eis mandatus populi suffragis  
erat decemviratus, abiisset; privati jam erant,  
etiam si per vim magistratum nomen et in-  
signia retinebant. Livius quoque ait, eam  
primam evenisse in reipublicæ Romanae for-  
ma mutationem, sed eo minus insignem,  
quod diurna non fuerit.

*Nec tribunorum militum]* Ab anno urbis  
**CCCVIII**, usque ad annum **COCLXXXVI**  
summa inconstantia creati sunt modo consu-  
les, modo eorum loco seni plerumque tribu-  
ni militum consulari potestate. Caussa tu-  
multuandi, quod plebs consulatum, ad quem  
usque ad id tempus soli nobilitati aditus pa-  
tuerat, secum quoque communicari volebat.  
Tribuni autem militum terni ex patriciis sive  
nobilibus, terni ex plebe creabantur. Neque  
quievit, donec, quod volebat, obtinuit, crea-  
to primo plebejo consule, L. Sextio. Tribu-  
norum igitur militarium consolare jus neque  
diu valuit et saepè interruptum est.

*Non Cinnae, non Sullaे]* Anno urbis

DCLXVI. Cinna et Cn. Octavius coss. civitatem in partes distraxerunt: cum Cinna Italicos, cives novos, in XXXV. veteres tribus distribueret, Octavius veterum civium caussam dignitatemque defenderet. Pulsus ab urbe per seditionem Cinna et in ejus locum L. Merula, flamen dialis, consul suffectus. Cinna, magnis copiis collectis, ad urbem venit. Oppugnata urbs eodem tempore a quatuor exercitibus, quibus Marius, Cinna, Carbo et Sertorius praesidebant. Qui tandem ingressi, hostilem in modum, rapinis omnia cædibusque vastarunt. Trucidati omnes prope principes civitatis. Cinna, velut in urbe capta dominans, cum sibi consulatum in triennium continuasset, postremo in apparatu belli adversus Sullam a militibus suis interfectus est. Non igitur longa ejus dominatio fuit. Ne Sulla quidem multo longior: qui, cum, profligatis Cinnanis Marianisque partibus, omnia civili sanguine cruentasset civiumque, quos proscripsérat, bona hastæ subjiciens, prædam se suam vendere dixisset, dictator perpetuus factus, quadriennio post dictaturam sponte depositus.

*Et Pompeji Crassique]* Cum plurimum in civitate possent M. Crassus et Cn. Pompejus

**Magnus, sed infensis animis dissiderent; conciliavit eos inter se C. Cæsar seque cum eis ita coniunxit, ut jam ex eorum trium nutu tota res publica omniaque Romæ ex ipsorum voluntate gererentur, ut recte cecinerit Lukanus** <sup>66</sup>):

*Facta tribus dominis communis Roma.*

Sed non ita multo post trium potentia in unum Cæsarem cessit, qua fretus rempublicam oppressit. Rursus, imperfecto Cæsare, cum spes quædam libertatis affulsisse videtur, tres extiterunt, qui inter se imperium partirentur, M. Antonius, M. Lepidus et C. Julius Octavianus, qui postea vocatus est Augustus. Is brevi, fuso ac profligato Antonio, Lepido Circeos amandato, omnia in potestatem suam rededit. Nota hæc etiam vulgo, ideoque in eis non immoror.

*Qui cuncta discordiis civilibus fessa]* Ob idque ad domandum faciliora frænique, ut ita dicam, patientiora.

*Nomine principis sub imperium accepit]* Principis nomen multo levius est ac mollius, quam aut regis aut dictatoris aut imperatoris. Nam, si vim vocabuli species, nulla eo signi-

---

<sup>66</sup>) bell. civ. I, 85.

sicatur potestas in alios, *princeps enim nihil aliud est quam primus*. Lucretius<sup>67)</sup>:

*Quod patrio princeps donarat nomine regem.*  
*Et princeps senatus non plus potestatis haberet quam ceteri senatorcs, sed tantum primus sententiam dicebat.* Principio igitur Augustus non illo odiosiori et invidiosiori nomine imperatoris utebatur, quo tum summa omnium rerum potestas indicabatur; cum tamen ex senatusconsulto, quod Cæsare dictatore factum erat, eo tanquam Cæsaris filius uti posset. Sed illi immodicæ nullisque circumscripçœ finibus potestati principis nomen obtendebat. Ita sëpe, quæ aspera et intoleranda sunt, mitioribus vocabulis molliuntur. Suetonius in Augusto<sup>68)</sup>: *Domini appellationem*, etc. Sic postea Tiberius cuidam se *dominum* vocanti succensuit vetuitque, ne se amplius contumeliæ caussa appellaret, cum diceret, se servorum tantum dominum, militum imperatorem, ceterorum civium principem esse. Tanta plerumque vulgi recordia est, ut, quæ maxime aversari et horrere se dicit, ea sibi sub aliis nominibus patiatur obtrudi. Sed imperatorum Romanorum aures

---

<sup>67)</sup> I, 95.

<sup>68)</sup> c. 53.

(tanta est vis consuetudinis) paullatim factae sunt talium contumeliarum patientiores, ut se jam non modo dominos, sed et deos vocari æquissimo animo sinerent; quid dixi: sinerent? nonnulli etiam juberent.

Puto in iis, quæ hucusque ex Tacito recitata sunt, nihil superesse obscuritatis. Nunc, ut instituimus, ea denuo relegentes, quæ ad sermonis elegantiam pertinent, adnotemus. Ac primum illud *urbem Romam*, quod principio positum est, habet aliquid granditatis imitatumque fortassis est ex illo Sallustii <sup>69</sup>), *Urbem Romam, sicuti ego accepi, condidere atque habuere initio Trojani*. Sed et illud *habuere* ita proprie eleganterque positum est, ut nihil supra. *Habere enim tenere, possidere dicebant eos, qui dominarentur, ut et apud juris conditores is demum proprie possidere dicitur, qui animo domini possidet.* Virgilius <sup>70</sup>):

— genitor tum *Betus opimam*  
*Vastabat Cyprum et victor ditione te- nebat.*

Horatius <sup>71</sup>):

<sup>69</sup>) Catil. c. 6.

<sup>70</sup>) Aen. I, 621.

<sup>71</sup>) carm. III, 26, 9.

*O quæ beatam, diva, tenes Cyprum.*

Et potentes dicebant τοὺς κρατοῦντας. Idem<sup>72)</sup>: Sic te diva potens Cypri, id est, Κύπρου κρατοῦσα, Κύπρου μεδέουσα καὶ ἀνάστοντα. Atque inde, ut opinor, non a pedibus neque a sedibus ductum est verbum possidendi, ut, cuius quis rei potens est, eam possidere dicatur. Eodem igitur modo et hic accipitur verbum *habuere*. Sic in illo dicto Aristippi: cui cum objectum esset, quod haberet Laidem, *Habeo*, inquit, *sed non habeo*. Ita enim vertit Cicero in epistolis<sup>73)</sup> ἔχω, ἀλλ' οὐκ ἔχομαι. Sappho: Κύπρου Πάφου τ' ἔχουσα πάντα κλῆρον. Sic alicubi Seneca<sup>74)</sup>, *Avaros*, ait, *non divitiis habere, sed a divitiis haberi*, id est, non ipsos pecuniae, sed ipsis pecuniam imperare. *Habere* est regere, *haberi* regi. Sic *vir uxorem habere* dicitur, *uxor a viro haberi*. Nunc considerate mihi orationem singulari artificio conformatam. *Diciaturæ*, inquit, *ad tempus sumebantur*, hoc seorsum; deinde, quia in-

<sup>72)</sup> carm. I, 3, 1.

<sup>73)</sup> ad div. IX, 26.

<sup>74)</sup> epist. 19.

ter decemviros et tribunos militum consulari utrosque potestate magna similitudo erat, utrosque eodem verbo devinxit. *Neque decemviralis*, inquit, *postea u. b. n. trib. m. c. jus diu valuit*. Eademque caussa fuit, cur Cinnam Sullamque conjungeret. *Non Cinnæ*, inquit, *non S. l. d.* Illa quoque plae gemina: triumviratus, ita enim vocari potest, Pompeji, Crassi, Cæsaris, qui Cæsari, et triumviratus Antonii, Lepidi, Augusti, qui Augusto gradus ad opprimendam rempublicam fuit. Convincienda igitur et hæc fuerunt. Cumque illos plurium dominatus cæsim membratimque dixisset, simplicem et absolutam unius dominationem simplici et absoluta verborum comprehensione conclusit: *Qui cuncta, discordiis civilibus fessa, nomine principis sub imperium accepit.*

Hic vero, auditores, licet mihi cum Virgilio<sup>75)</sup> dicere:

— *major rerum mihi nascitur ordo,*  
*Majus opus moveo.*

Sequitur enim, quod tertio loco me facturum esse dixi, ut ex his Taciti verbis ea, quæ ad civilem prudentiam pertinent, colligam, qui ma-

---

<sup>75)</sup> Aen. VII, 44 sq.

ximus historiæ fructus est. Hoe igitur dum fa-  
cio, quæso, diligenter attendite. In primis dili-  
genter animadvertisendum censeo luculentum  
exemplum eorum, quæ de rerum publicarum  
conversionibus ac mutationibus deque earum  
caussis homines sapientissimi tradiderunt.  
Justissimum enim est maximeque naturæ con-  
sentaneum imperium regium, ut quod pla-  
ne simile ac geminum sit paterno. Itaque  
poetæ Jovem eundem patrem ac regem ho-  
minum ac deorum vocant. Et Homerus,  
Ulixem, ait<sup>76)</sup>, erga populos suos tanquam  
mitem quendam patrem fuisse. Sed humani  
animi vitio regnum in tyrannidem facile de-  
generat. Magna enim potestas inebriat ho-  
mines eoque interdum eos perducit, ut uni-  
cum potentiae argumentum contumeliaz  
licentiam putent. Irritantur ergo et exasper-  
tantur multitudinis animi, quæ, si ducem  
nacta sit, non conquiescit, donec aut tyran-  
num cum stirpe extinxerit aut, eo pulso,  
jugum servitutis excusserit. Ita Sex Tarqui-  
nii libido, ut non regnum modo longa jam  
vetustate confirmatum ac corroboratum, sed,

<sup>76)</sup> Odyss. II, 234.

ut nomen ipsum regium ex republica Romana in perpetuum tolleretur, effecit. Debent igitur reges eo ipso putare sibi minimum licere, quia plurimum licet; neque posse se populos regere, nisi cupiditates suas rexerint, ac præcipue cavere, ne in se viros fortes ac magno animo præditos provocent. Humiles enim et abjecti, quanquam eis quoque absindendum est, plerumque tamen accepta injuria aut mussant aut, si quid moliri voluerint, non magno negocio comprimuntur; at provocata virtus acres sub pectore stimulos subjicit, neque facile restinguitur ardor vindictæ, quem in viri fortis animo indignitas contumeliae accenderit. Minore periculo invili aliqua et abjecta muliercula peccasset Tarquinius; at, quod in ea peccatum foret, cui pater Sp. Lucretius, vir Collatinus esset, sola regni eversione poterat expiari. Simile quiddam et postea decemviris accidit, quorum potestatem, quasi incendium aliquod, in civitate grassantem, Virginiae sanguis extinxit. Expulsis igitur tyrannis, servitutem consecuta libertas; isque, qui antea minimum poterat, populus plurimum posse cœpit. Neque tamen ἀχρατος illa libertas fuit, qualis Athenis erat, ubi Plato ait non hominibus

modo, qua servis, qua liberis, sed mulis etiam et asinis summam licentiam fuisse; immo vero rudis ille et expers Græcarum artium populus, qui usque ad id tempus nihil præter ligones et arma tractaverat, ita rempublicam suam temperavit, ut non Solon, non Lycurgus, melius id ac sapientius præstare potuisse videatur. Nam, cum tria sint recta reipublicæ genera, regnum, potestas optimatum et potestas populi; eaque omnium optima ac firmissima sit, quæ non simplex omnino atque unius generis fuerit, sed e singulis, quod in quaque optimum videtur, excerpserit, qualis antiquitus Lacedæmoniorum fuit: summo consilio videntur veteres, Romani suam ex tribus illis generibus permiscuisse ac temperasse. Ac regium quidem nomen aversabantur et oderant, regiam tamen potestatem multas ad res præcipueque ad bellicas necessariam intelligebant. Multo enim melius administrantur bella, cum unus summæ rerum præest, quam cum multorum expectanda sententia est; et hoc vel præcipue Demosthenes<sup>77)</sup> superiorem Philippum Atheniensibus dicit. Ac videre est

---

<sup>77)</sup> or. de Chersones. Vol. I. p. 92 ed. Reisk.

hodieque in eis civitatibus, quæ a multis reguntur, cum bellum gerendum est, unum deligi, cui potestas in exercitu summa tribuatur. Ut igitur Lacedæmone bini reges erant, quorum unus domi jura civibus redderet, deque iis, quæ tempus postulare videretur, ad senatum referret; alter, cum e finibus eduxisset exercitum, vitæ necisque potestatem in eos, qui militabant, obtineret: ita Romani binos consules potestate prope regia creaverunt, qui in urbe quidem ci-vium controversias disceptarent, senatum consulerent, haberent comitia, ad populum, quæ ex usu erant, referrent \*), milites con-scriberent, exercitibus autem summo ac plane regio cum imperio præcessent, ita tamen, ut scirent, rationem se postea eorum, quæ gessissent, exigendos. Hoc Romani sapien-tius, quod Lacedæmoniorum regnum et per-petuum erat et hereditarium, Romani con-

---

\*<sup>o</sup>) Latinitas postulat ferre ad populum, re-ferre ad senatum. Nec moveor exemplis, quæ pro referre ad populum attulit Er-nestus clav. Cic. v. Referre. Mox etiam Muretus minus proprie scripsit populus leges ferebat pro jubebat. R.

sules et creabantur suffragiis civium et anni erant. Hoc igitur temperamento adhibito, quod in regibus odiosum erat, sustulerunt, quod salutare ac necessarium reipublicæ, retinuerunt. Jam ut apud Lacedæmonios in senum collegio, sic apud Romanos in senatu optimatum potestas perspici poterat. Ut apud illos in omnibus vita partibus probatum esse oportebat, qui se in collegium senum admitti postularet; sic apud hos non nisi spectatae virtutis et prudentiae viri in senatum a censoribus legebantur et, si qui non satis ex illius ordinis dignitate se gererent, movebantur. Senatus de gravioribus criminibus aut cognoscebat ipse aut cognitionem mandabat, pecuniam publicam in potestate habebat, legationes mittebat, missas ab aliis audiiebat, de publicis omnibus negotiis consulabatur ac decernebat, sine senatus auctoritate non bellum suscipi, non pax fieri poterat. Summa in illo concilio gravitas, summa dignitas, summa majestas erat: ut non immerito Cyneas, Pyrrhi legatus, interrogatus, quæ sibi Romani senatus visa facies esset, totidem sibi regum concessum visum esse responderit. Ut igitur, si quis consulum modo potentiam spectasset, facile putasset, Ro-

mam regio adhuc imperio subesse, ita, qui senatus tantum auctoritatem considerasset, optimatum eam gubernationem esse existimasset. Præcipua tamen potestas penes populum erat. Et hoc significat Tacitus, cum ait: *Libertatem et consulatum L. Brutus instituit.* Libertatem enim cum dicit, democratiam intelligit, cuius præcipuum finem esse Plato et Aristoteles<sup>78)</sup> docent ἡλευθερίαν καὶ ἴσημορφίαν καὶ ἴσονομίαν, id est, ut omnes in civitate libere vivant, libere loquantur et æquo jure sint. Itaque antiquitus, qui libertatem aut potius licentiam amabant et more ac modo suo vivere volebant, Athenas potissimum confluabant, quod illic maxime omnibus libera omnia essent; et eo respiciens ille ex adelphis<sup>79)</sup> Sannio:

*Hiccine, inquit, ajunt libertatem æquam esse omnibus?*

Sed, ne extra septa, quod ajunt, evager, plurimum Romæ, ut modo dicebam, populus poterat: populus leges ferebat, quarum præcipuum in omni civitate robur est, et ex quibus maxime, qualis quæ-

<sup>78)</sup> Plat. rep. VIII. passim. Aristot. polit. VI, 2.

<sup>79)</sup> II, 2, 9.

que respublica sit, judicatur; populus honores et imperia mandabat; populus solus de capite civium judicabat. Ita, quibus duabus rebus vitam hominum contineri dicebat Democritus, poena et præmio, earum utraque populi potestate continebatur. Admirabili etiam consilio provisum ac prospectum erat, ne harum partium ulla ceterarum utilitatibus carere: neve consules aut senatum aut populum, neu senatus populum aut populus senatum despicere suamque caussam a causa communi sejungere ac separare posset; sed omnes mutuae indigentiae vinculo, quo nullum firmius est, inter se adstringerentur. Vix itaque videbatur ulla res evenire possstanta, quæ perturbaret illam harmoniam, quæ tam bene fundata labefactaret, tam sapienter colligata dissolveret, si rerum humanarum fragilitas et instabilitas quidquam in eis æternum esse pateretur. Quidam, consulatu insolentijs usi, rerum novarum studium in populi animis excitarunt. Creati decemviri, quod sparsa in plures potestas et licentiae et invidiæ minus habitura videretur. Indignatur enim fere plebs, aut unum aut paucos posse omnia, plures dominos æquiori animo ferunt, cum sperent, obstituros alios, si quid unus

superbe aut improbe moliantur. His quoque potestate abutentibus ob idque dejectis, varie creati modo consules, modo tribuni militares, ut male affectis ac laborantibus jucunda, etiam interdum in deterius, crebra mutatio est. Sed res ipsa docuit, verissimum esse, quod scripsit Plato <sup>80)</sup>, nihil tam cavendum esse civitatum fundatoribus, quam ne pro una duas faciant civitates. Sunt autem duæ pro una civitates, quoties pars altera civium dominatur ac floret, alteri ad honores et imperia ita præclusus aditus est, ut eum recludere ne virtus quidem, quæ sola veri honoris mater est, possit. Hoc inter cives perpetui cuiusdam odii atque invidiæ seminarium est, neque potest quisquam ex animo eam rem publicam amare, in qua se laboris ac periculi participem, honoris ac dignitatis exsortem videat fore. Quo magis amanda et admiranda ecclesiastica res publica est, in qua, ut alia, sic hoc quoque divinitus institutum ac receptum est, ut neque paupertas neque generis obscuritas aditum ad summas dignitates cuiquam, qui modo virtute ac meritis nitatur, occludat. Huic incommodo Ro-

---

<sup>80)</sup> de rep. V. p. 29. Bip. (Locus Platon., quem supra p. 591 respicit, est ibid. VIII p. 223.)

mani de principio non satis prospexerant, qui soli nobilitati, id est, patriciis (illi enim tunc soli nobiles erant) consulatum et ordinem senatorium patere voluerant; plebejos, maximam, ut in omni civitate, multitudinem, excluserant. Neque hoc satis. Inter patres et plebem ne connubii quidem jus erat. Ea seges ac materia tumultuum, is fons, hæc origo seditionum fuit. Hinc illæ veteres secessiones, hinc, etiam his rebus ut-cunque compositis, Gracchanæ, Marianæ ac Sullanae tempestates extiterunt, quæ, suæ utrisque partibus ambitioni aut plebem aut senatum prætententibus, huic urbi excidium prope ac vastitatem attulerunt. Nam hoc quoque non immerito ægre ferebat plebs, nobile divitiis affluere, egestate se et aere alieno premi; agros, suis periculis, suo sudore ac sanguine comparatos, ab aliis, ignavia torpentibus, luxuria diffluentibus, possideri. Magna hinc paupertas, magnæ illinc divitiae, periculosa res civitatibus: mediocritate servantur. Jam illa Pompeji primum et Crassi et Cæsaris, deinde, Cæsare extincto, Antonii, Lepidi et Octaviani conjuratio, aperte confirmat id, quod ab iisdem, quos ante nominavi, philosophis traditum est, non esse

patiendum, ut in libera civitate privatorum potentia supra modum augeatur. Facile enim hoc modo popularis status in paucorum imperium vertitur: quorum qui primus alios aut vi opprimere aut dolo circumvenire aut casu aliquo amovere potuit, is unus, nemine jam adversari audente, dominatur. (T. IV, p. 1 — 12.)

I, 2. Catonem ferunt, cum, quatuordecim fere annos natus, crebro in ædes Sulæ a paedagogo duceretur videreturque, illic multos torqueri, multos duci, multorum nobilium civium oblita crux capita adferri, quæsiisse ex magistro, cur nemo reperiretur, qui Sullam interficeret; cumque is respondisset, eum ab omnibus metui, *Cur tu ergo, inquit, venienti huc mihi gladium non dedisti, ut patriam liberarem?* Nemone igitur vir erat, qui Catonis vixum puberis animum indueret? Vere vetus ille Rhinensis versus de Romanis tunc dici potuit:

*Oι μέν παρ' οὐδέν εἰσιν, οἱς δ' οὐδέν μέλει.*  
Alii quidem tanti non erant, ut quidquam magnum ac memorabile susciperent, alii autem negligebant. (T. IV. p. 20.)

I, 8. Senatorem narrat Plutarchus in

commentariolo, quo docet, quomodo adulator ab amico internosci queat<sup>81)</sup> , quendam fuisse, qui olim, cum Tiberius in senatu præsens adesset, surrexit ad dicendum et composito ad severitatem vultu, *Enimvero*, inquit, *liberos homines libere loqui oportet neque quidquam reticere eorum, quae ad rempublicam pertinere judicant, vel cum periculo offensionis.* Adstitere erectis animis omnes et taciti, quid hic tam libere loquax dicturus esset, exspectabant. Desitum jam pridem orationis genus ipsum quoque Tiberium adverterat. Tum ille, *Audi*, inquit, *Cæsar, quid sit, quod omnes nos tibi succensemus, neque tamen quisquam libere dicere audet.* Cohorruerant omnes dubitantes, quo tandem evasurus esset. At ille, *Negligis*, inquit, *temet ipsum (dicendum enim libere est) neque corporis tui curam ullam geris, maceras te assidue curis ac laboribus caussa nostra susceptis, neque interdiu neque noctu conquiesci.* Talia multa continuante ac contexente, illo, Cassius Severus, ad eos, qui sibi assidebant, conversus, *Quam metuo, inquit, ne illa libertas huic homini exitiosa sit.* Sed ego sœpe notavi talem liber-

---

<sup>81)</sup> c. 18.

tatem in multis principum virorum familia-ribus, neque tamen, quæ principum lenitas est, eam unquam cuiquam exitiosam fuisse cognovi. E multis autem adulatio[n]is generibus nullum puto esse, quod aut facilius fal lat aut altius penetret. (T. IV. p. 49.)

I, 49. De sacra cohorte Thebanorum' quæ ex amatoribus et eis, qui amabantur, constabat, memoria proditum est, eam totam a Philippo Macedone in pugna Chæronensi esse concisam, qui, cum eos v[ictor]or inspexisset, omnes adversis vulneribus confosso[s], *Male pereant, inquit, qui hos turpe quidquam aut facere aut pati arbitrantur.* Ex ea cohorte unus in p[ro]cello cū pronus cecidisset, hosti, a quo se confossum iri videbat, *Quæso te, inquit, gladium mihi per pectus adigito, ne is, qui mihi in amoribus ac deliciis est, si me averso vulnere confossum viderit, erubescat.* Auctor Plutarchus in Pelopida. (T. IV. p. 70.)

III, 6. Fuit hæc apud veteres varietas, ut ad vocales longas, quæ antecederent litteram *s*, alii adderent litteram *n*, alii sine ea scriberent. Inde in quibusdam libris *thensau-*

*rus, in aliis thesaurus. Inde et in marmori- bus et in libris eos. pro consul. Inde alii totiens, quotiens, deciens, alii eadem omnia sine n. Inde in vetustis marmoribus mesam pro mensam et mesem pro mensem saepe reperias. Inde isitium et insitum pro eodem. Sic a pinsendo Pisones, sic, qui pinsitores fuerant, facti pistores. Sic formonsus, aquonsus, gloriōsus multi veterū; et, qui hæc a Græcis primū fluxisse ajunt, nugantur. Fuit quidem et Græcis in usu, ut Ὅρτησιος ab eis diceretur Hortensius et Οὐάλης Valens et Κλήμης Clemens. Sed idem veteres quoque Latini factitarant. O arida et infelicia studia nostra, si propter has minutias minus dormiendum est! Equidem nucibus ludere mihi videor, cum ista curiosius tracto. (T. IV, p. 106.)*

## 13.

COMMENTARIUS DE ORIGINE ET PRO-  
GRESSU JURIS ROMANI etc.

**V**eteres ita pronuntiabant, etiam in oratione soluta, ut dicerent:

*Muli illi et terris jactatus et alto* <sup>82)</sup>.

---

<sup>82)</sup> Virg. Aen. I, 3.

ceteraque ad eundem modum, quidam etiam ita scribebant. (T. IV. p. 228.)

Certum illud est, veteres Romanos multis in nominibus usos esse littera *s*, ubi postea *r* substituerunt in illius locum. Papisios dicebant et Vallesios et Fusios. Cicero (ad div. IX, 21) primum L. Papirium Crassum ait Papisium vocari desitum esse anno post V. C. 415. Varro lib. 6. de lingua Latina: *In multeis verbeis, in quo antiqui dicebant s, postea dicunt r, ut in carmine Saliorum sunt hæc, Cosaullæ, dolosi, eso.* Ennio vero ac Pacuvio misesia, incusia, mesidie, onese, rudesumque, Venese, quod Venere post, melios melior, foedesum fœderum, plusima plurima, asena arena, janitos junitor. Ita enim illum Varronis locum emendavit summo ingenio et incredibili doctrinæ copia prædictus et, ut omnia, quæ de eo honorifice dici possunt, uno verbo complectar, patre dignissimus adolescens, Josephus Scaliger. Fabius lib. I, cap. 4: *Ut Vallesii et Fusii in Valerios Furiosque venerunt, ita arbos, labos, vapos etiam et clamos ac lases aetatis fuerunt.* Festus: *Arbosem pro arbore antiqui dicebant et robose pro robore.* Paulus in epitome Festi: *S pro r littera saepè antiqui*

*posuerunt, ut majosibus, meliosibus, lasibus,  
fesiis pro majoribus, melioribus, laribus, fe-  
riis. Ab Aeolibus autem hoc sumpsere Ro-  
mani, qui pro ἵππος dicebant ἵππορ et pro  
ἀδελφὸς ἀδελφὸρ, aut ab Atticis, qui κόρσην  
κόρρην et πύρσον πύρρον. Extant hujus con-  
suetudinis etiamnum quædam in antiquis  
marmoribus vestigia.* (T. IV. p. 231.)

Lycurgus quoque nullam poenam statue-  
rat in adulteros, quia sibi videbatur ita in-  
stituisse rempublicam suam, ut credibile non  
esset, quemquam Lacedæmone adulterum fo-  
re. Ergo Geradas quidam Spartanus interro-  
gatus, quomodo apud cives suos punirentur  
adulteri, *Ne est quidem apud nos, inquit,  
adulter ullus. Quid? si quis existeret? Coge-  
retur, inquit, bovem exsolvere ita magnum, ut  
Taygetum montem capite supergressus biberet  
ex Eurota.* At quomodo ullus tantus bos re-  
periti posset? Quomodo autem, inquit, o ho-  
spes, ullus Lacedæmone adulter existere? Hæc  
ita Plutarchus in Lycurgo <sup>83)</sup>. (T. IV. p. 255.)

Celsus lib. XXVI. digestorum: *Scire leges  
non hoc est, verba earum tenere, sed vim ac  
potestatem.*

---

<sup>83)</sup> c. 15. extr.

Si omnes, qui tenent legum verba, leges scirent, omnes pueri Romæ olim fuissent JCti; ita enim ediscebant legem XII tabularum, ut carmen necessarium, ait Cicero lib. II. de legis cap. 23. Sed illud præterea requiritur, ut vis ac potestas earum intelligatur, quod sine magno et diurno studio fieri non potest. Et hoc modo soli JCti dicuntur scire leges. — Vidi olim quosdam, qui, cum Latinæ linguae ita imperiti essent, ut tria verba emendate conjungere vix possent, profitebantur tamen, se JCtos esse et stultitiam suam defendebant hoc JCtorum dicto, ita videlicet intellecto, ut cetera quoque in jure intelligebant. Fieri potest, ut quis verba legum teneat, qui tamen vim ac potestatem non teneat; illud certe non potest, ut, qui ne verba quidem intelligit, intelligat potestatem. (T. IV. p. 261.)

Legum in civitate summa esse debet auctoritas; neque statim ab earum præscripto reddendum est, etiam si, cur quidque constitutum sit, videre nequeamus; alioqui enim, ut quisque plurimum ingenio atque eloquentia valebit, ita caussam quotidie reperiet, cur leges mutari ac corrigi debeant, quo nihil perniciosius civitati; sapientibus enim, ait Aristoteles, summam

diligentiam adhibendam esse in legibus recte ponendis; sed, ubi semel positæ sunt, eis standum: Οὐδὲν γὰρ διαφέρει ἢ μὴ κεῖσθαι, ἢ μὴ χρῆσθαι. Neque quidquam verius est, quam quod ait apud Thucydidem lib. 3. <sup>84)</sup> Cleon: *Civitatem, quæ legibus utatur minus bonis, sed immutabilibus, meliorem esse ea, quæ bonis quidem legibus temperata sit, sed eas facile mutet.* Sic enim ægrotō satius est, si obtemperet medico interdum etiam erranti, quam si se assueficiat ad contemnendam medici auctoritatem. Neque sibi quisquam tantum arrogare debet, ut se legibus sapientiorem haberi velit. Ideoque veteres ita populis persuadebant, leges aut a diis aut deorum filiis aut alicujus dei consilio latae esse, quibus, ut ait Plato, etiam si nullam rationem adferant, cur ita sit, sine ulla dubitatione habenda est fides. Neque immerito a Platone commendatur lex Cretensium, qua cautum erat, ut juvenum quidem nulli prorsus liceret quærere, recte leges positæ essent, an minus; senum autem, si quis aliqua de re dubitaret, nullo juvenum teste adhibito, cum magistratibus id communicaret, (T. IV. p. 264.)

<sup>84)</sup> c. 37.

# VI.

M. ANTONII MURETI

P O E M A T A.



## 1.

*PSALMUS XV.*

**Q**uisnam, o Rex æterne, tuam admittetur  
in aulam,

Cui dabitur montis culmen adire tui,  
Perpetua ut tecum compostus pace fruatur,  
Carpens nota unis gaudia cælitibus?  
Qui nulla ingreditur macula sussus amatque  
Ex animo rectum justitiamque colit;  
Cui neque cor fraudes agitat, neque subdola  
lingua est,

A quo se læsum dicere nemo potest;  
Quem fugiunt injusti et, quo præsente, lique-  
scunt;

Quo viso, justis mens animusque redit;  
Quem mutare fidem nunquam jactura coegit;  
Fenore qui partas odit et horret opes.  
Nullo unquam judex potuit qui munere vinci,  
Ut duro insontes læderet ore reos.  
Qui facit hæc, is demum, in cæli templa receptus,  
Tecum una dempto fine beatus erit.

## 2.

*AD PETRUM GERARDIUM.*

**O** delicati blanda ruris otia,  
Curis et ambitu procul!

O dulce murmur limpidorum fontium!  
 O grata nemorum opacitas!  
 O sibilantes arborum ingentum comæ!  
 O prata vere gemmea!  
 O solitudo amica cogitantibus!  
 O horror, o silentium!  
 Cui nunc canoro gutture obstrepunt aves,  
 Nunc canna pastoris vagi,  
 Seu mane oves in læta ducit pascua  
 Seu vespere reducit domum.  
 O mensa nec luxu affluens nec sordida  
 Dapibus parata rusticis!  
 Quas non, heri languentem ut irritet gulam,  
 Doctus saporavit coquus;  
 Sed filiis juvenibus et seni viro  
 Severa coxit villica,  
 O bibliotheca nota paucis! o libri,  
 Quos rara contrectat manus!  
 O cella tantum lectuli unius capax!  
 O somne liber et levis!  
 Q. ad beatam tuta vitam semita,  
 Ignota vulgi sensibus!  
 Ut vos requiro, ut mente vos tota expeto,  
 Alia perosus omnia!  
 Ut lætus ad vos tendit et gazis libens  
 Vos anteponit Persiois,  
 Quicunque puro pectus Olmeo lavit  
 Frondemque mordet Delphicam!

Quid mi, Gerard, cui profanis invios  
     Adire fontes contigit,  
 Partesne easdem sequeris, an, siti mala  
     Opum aut perustus gloriæ,  
 Antenitati ruris et dulci otio  
     Vitam anteponis aulicam?  
 O per Lycei cognitos paucis specus,  
     Quos sœpe lustrasti puer,  
 Ne sperne amicus cōsili, quod dat senex,  
     Quodque sibi, sed sero, capit.  
 A litterato te otio avocantibus  
     Ocludito aures et fuge,  
 Canora monstra ut auribus cera oblitis  
     Laertis effugit puer.  
 Beata vita non metallo aut Indici  
     Spoliis paratur æquoris.  
 Animo appetenti pauca, quod sat est, sat est;  
     Avido atque inexpleto, nihil.  
 Cum tibi sit, unde liber et plane tuus  
     Vitam quiete transigas:  
 Quis heu furor te, quis, rogo, impellit furor,  
     Vincla ultro ut induas tibi.  
 Et more pulcrum vivere alieno putas,  
     Nutus timentem divitis?  
 Age, rumpe nexus et jugum colle excute  
     Vindexque et assertor tui  
 Aude esse felix et, procul cuncta amovens,  
     Quæ mentem humo adfixam tenent,

Per liquida puri spatia decurre ætheris;  
 Aeterna tantum cogitans.  
 Et ista sortis lubricæ ludibria  
     Miranda vulgo desere.  
 Utinam mihi olim, flore cum primo rudes  
     Juventa opacaret genas,  
 Amicus aliquis ista monstrasset senex,  
     Quæ nunc tibi ipse cantito:  
 Non ego perisse lustra tot in aula mihi  
     Vanis dolerem questibus.

## 3.

*AD JANUM TILIUM PARENATICON.*

**M**odus tenellis quis tibi ab unguibus  
 Vitæ tenendus, Jane, sit, accipe,  
 Benigna quem natura finxit  
 Ingenio puerum sequaci.  
 Primum ergo amorem numinis intimo  
 Servâ usque fixum pectore et illius  
 Ad jussa te compone: nulla est  
 Sors nocitura Deum colenti.  
 Fac et, parentes sis pius in tuos,  
 Honoré et illos promerito colas:  
 Impune nunquam sprevit ullus,  
 A quibus ortus erat, parentes.  
 Fas et magistris, sint licet asperi  
 Nonnunquam, honorem reddere debitum.

**S**i quando te objurgent, id illos;  
Te quod ament, facere arbitrator.

Nam primula ætas innumeris rapi  
Affectionum turbinibus solet;  
Frenari eam quare et magistri  
Assiduo imperio necesse est.

Nil turpe factu dicere fas puta:  
Quæ quisque gaudet dicere, eis quoque  
Gaudere patrandis putatur.  
Indicium sua cuique lingua est.

Disce et, sodales quos tibi debeas  
Parare; nam omnes consimiles fere  
Evadere illis assolemus,  
Queiscum agimus; neque pestilenti

Si quis frequenter vixerit in domo  
Nec si in malorum cœtibus, ut sibi  
Contagio nil obsit, unquam  
Arte cavere valebit ulla.

Vide ergo, ut illos, Jane, pares tibi,  
Queis esse te olim consimilem voles.  
At, immodestos quos videbis,  
Et cane pejus et angue vita.

Laborem amato, dum juvenis viges,  
Ut ocieris, cum senium premet:  
Laboris osores nec ulla  
Laus sequitur neque splendor ullus.

Hæc si sub imo pectore clauſeris  
Præcepta, Tili, spes bona nos tenet,

Tuis, fore, ut majoribus te  
Persimilem videamus olim.

## 4.

*IN JULIUM CÆSAREM SCALIGERUM.*

**D**icite mihi, Musæ, cultissima nomina nobis,  
Quonam Scaligeri pascitis ora cibo?  
Sic ego. Sic Musæ: quam te sententia fallit?  
Nectare quo potius nos alat ipse, roga.

## 5.

*RAPHAELIS URBINATIS PICTORIS  
EXIMII TUMULUS.*

Ipse loquitur.

**S**ic mea nataram manus est imitata, videri.  
Posset ut ipsa meas esse imitata manus.  
Sæpe meis tabulis ipsa est delusa suumque  
Credidit esse, meæ quod fuit artis, opus.  
Miraris dubitasq[ue] audito nomine, crèdes.  
Sum Raphael, hei mihi, quid loquaor? in amo  
fui.  
Et tamen his dictis quid opus fuit addere  
nomen?  
Alterutrum poterat cuiilibet esse satis:  
Nam mea et auditio est notissima nomine virtus,  
Et præstare vicem nominis ipsa potest.

## 6.

*PROLOGUS IN PHORMIONEM  
TERENTII,*

*cum eam aliquot nobiles adolescentuli, Hippolyti cardinalis  
Ferrariensis jussu, acturi essent.*

**E**tsi scio, esse hic neminem, qui nesciat,  
Quid apparatus noster hic velit sibi,  
Tamen mearum partium esse existimo,  
Interea, dum se mei sodales comparant,  
Bona cum venia vestra, pauca dicere,  
Quæ scire vos, et vestra et ipsorum interest.

Comoediam Terentii acturi sumus,  
Cui Phormioni nomen ipsus indidit,  
Quod parasitus in ea Phormio primas agit.  
Neque hoc videri debet aut mirum aut novum,  
Quandoquidem in omni vita, nedium in fabulis,  
Parasiti, scurræ, sycophantæ, omne id genus,  
Bonis repulsis, ipsi jam primas agunt.

Quod si quis est, parum decorum qui putet,  
Juvenes ingenuos personatos conspici, in  
Scenam prodire et quasi facere histriioniam;  
Ils sibi responsum hoc habeat, nulla re magis  
Dijudicari omnia, quæ mortales agunt,  
Quam sine, quem is, qui, quid agit, proponit sibi.

Qui scenicam artem victus caussa factit aut  
Et, ut coquis ac laniis risum excitent,

Distorquent ora, insulsa dicta dictitant;  
 Contundunt pugnis se invicem atque horum  
 omnium

A plebe viles exigunt merce lulas,  
 Merito histrionum nomen et famam ferunt.  
 Nil simile nostrum est. Nos, ut nostram in-  
 dustriam

Vobis probemus omnibus, ut communi hero  
 Hilaremus animum, cui debemus omnia,  
 Unum id petentes, hunc laborem cepimus.

Quanquam, o supremi cælites, quem jam  
 omnium

Pudere debet personatum conspici,  
 Cum id omnis ætas, omnis ordo factitet?  
 Sed nolo nunc ulcera cujusquam tangerè,  
 Ne quis satyram hanc esse dicat, non comoëdiam.

Nunc unum a vobis, priusquam hinc abeam,  
 postulo,


Si vos, quod vestri honoris caussa fit, juvat,  
 Favete et vigilate animis, vigilate auribus,  
 Dormite linguis. Qui tacere non queunt,  
 Bene fecerint, si cesserint iis, qui queunt,  
 Ne et turbent alios et morbum prodant suum.  
 Facite, ad conanda in posterum nos talia  
 Bonitas ut vestra atque æquanimitas excitet.





CV





book should be returned to  
ary on or before the last date  
below.

five cent day is incurred  
it is

